SUMMA THEOLOGIÆ

AD USUM SCHOLÆ ACCOMODATA

TOMUS QUARTUS,

QUI DUOS COMPLECTITUR TRACTATUS:

I. DE GRATIA DEI.

II. DE JUSTIFICATIONE ET MERITO.

AUCTORE

NICOLAO L'HERMINIER

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORE,
INSIGNIS ECCLESIÆ CENOMANENSIS CANONICO THEOLOGO,
ET IN EADEM ECCLESIA ARCHIDIACONO DE PASSAIO.

EDITIO PRIMA VENETA

AD POSTREMAM PARISIENSEM

Ab innumeris mendis expurgata, ac Indicibus locupletissimis aucta.



VENETIIS

MDCCLXI.

TYPIS JO. BAPTISTÆ PASQUALI.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO.

TRACTATUS
DE
GRATIA DEI.

PRÆFATIUNCULA.

POstquam pro modulo, & satis ut opinor copiose ea tractavimus quæ Incarnationem Verbi divini spectant; nunc animus est differere de Gratia Dei, quæ ut ex fonte rivus, sic ab Incarnatione proficiscitur; tunc enim vere nos qui in tenebris & in umbra mortis habitabamus; tunc, inquam, hausimus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, cum Verbum caro factum est ut habitaret in nobis: vere tunc apparuit benignitas Dei & super nos misericordia ejus tanquam pluvia in vellus descendit, cum exinanivit semetipsum, forma servi accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo.

Hic autem Tractatus, quem nemo est qui difficilem & operosum esse ultro non fateatur, facilis tamen ex omni parte foret, si in hoc uno positus esset omnis labor, ut errores Pelagianorum, Semipelagianorum & Socinianorum refellerentur: quid enim promptius est magis, ut ita dicam, ad manum, quam innumera reperire in Scripturis & Sanctis Patribus testimonia, quibus necessitas divinæ gratiæ invictissime stabiliatur? At quæ centum abhinc annis inter Theologos exortæ quæstiones sunt, quæ stabilita hinc & inde systemata in explicandis divinæ gratiæ nervis & motibus, sic totam rem implicuerunt, sic offuderunt eidem tenebras & caliginem, ut nonnisi cum ingenti studio & acri labore tractari nunc ista quæstio & explicari possit.

Nos qui ab omni studio partium abhorremus, qui cupimus placere omnibus, ut omnes lucrifaciamus, materiam hanc spinis & vepribus horridam sola necessitate ducti aggredimur; ne scilicet mancum aliqua ex parte & imperfectum opus nostrum videatur; sic de gratia Dei differemus, ut in omnibus ducem sequamur S. Augustinum, a quo ne latum quidem unguem discedere piaculum.

Definitio & divisio Gratiæ.

MIssis *gratiæ* variis acceptionibus quæ passim usurpantur in sacris paginis, ubi nonnunquam accipitur pro venustate; ut Psal. 44. *diffusa est gratia in labiis tuis*. Aliquando pro complacentia, qua quis alteri placet, qua voce utitur Moses Deum alloquens Exodi 33. cap. *Si inveni gratiam in conspectu tuo*. Persæpe vero pro misericordia & bona Dei voluntate; ut cum legitur Rom. 4. *Fidem reputari ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei*. Ac denique pro vita æterna, ut habetur ad Rom. 6. cap. *gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu*, quam gratiam S. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio appellat gratiam pro gratia.

Gratia hic sumitur universim pro dono gratis collato creaturæ ex mera Dei liberalitate sine ullo merito ex parte creaturæ, juxta hæc Apostoli ad Roman. 11. cap. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non esset gratia.*

Gratia sic accepta primum duplex distinguitur, nimirum naturalis & supernaturalis: prior est omne donum naturale intra naturæ limites contentum, qualia sunt dona creationis, natura v. g. humana in homine cum suis facultatibus, quæ cum sit indebitum Dei beneficium, recte dicitur gratia, ut non uno in loco observavit S. Augustin. *sit ergo*, inquit lib. de Prædest. SS. cap. 5. *gratia naturæ attributa qua sumus animantia rationalia, discernimurque a pecoribus; sit etiam gratiæ naturæ attributa, qua in ipsis hominibus a deformibus pulchri vel ingeniosi discernuntur a tardis, &c.* quod idem docet Epist. 177. posterior vero gratia est donum supernaturale, hoc est supra naturæ limites positum, a Deo datum in ordine ad vitam æternam, ad salutem consequendam.

Gratia hæc supernaturalis iterum duplex, externa & interna. Externa, quæ extra hominem posita est, cum ei auxiliatur, ut lex, prædicatio Evangelii, exemplum, & miracula Christi. Interna vero est intra hominem posita, quales sunt illuminatio mentis & inspirationes voluntatis, quibus nempe cor nostrum ad bona pietatis opera movetur.

Quanquam negare videantur nonnulli scientiam divinæ legis inter Christi gratias reponendam, tum quia scientiam divinæ legis, Christi gratiæ & charitati opponit Apostolus 1. Corinth. 8. cap. *Scientia inflat, charitas ædificat.* Et 2. Corinth. 3. *Littera occidit, spiritus vivificat.* Tum quia, inquiunt, ob id merito damnata fuit Pelagii doctrina, quod Christi gratiam in lege & doctrina collocabat. Tum denique quia ejusmodi scientia legis divinæ & morum per solum laborem & industriam naturalem acquiri potest; unde sequitur eam non esse gratiam supernaturalem.

At certe legitur expresse in Scripturis sacris scientiam legis seu mandatorum, esse aliquod Dei beneficium seu gratiam, Psalm. 93. *Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Psalm. 118. sic Deum orat David, *da mihi intellectum ut sciam testimonia tua.* 1. Corinth. 1. *Gratias ergo*, inquit Apostolus, *Deo meo semper pro vobis & in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Jesu, quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia.* Quibus simillima continentur etiam apud Sanctos Patres & Concilia.

Neque vero ullius momenti sunt argumenta quæ huic sententiæ opponuntur.

Ac primo quidem, ut præfata intelligantur divi Pauli testimonia, supponendum est mentem nostram non esse, scientiam omnem legis divinæ qualemcumque & qualitercumque habeatur, esse gratiam Christi, sed solummodo quatenus homini salutaris est: quod quidem contingit, ut docet Estius, quando incipit esse conjuncta cum bona voluntate faciendi legem, in iis nimirum qui scire legem & mandata cupiunt, ut ea deinceps impleant gratiæ Christi beneficio adjuti, qualis certe non est scientia quæ inflat, & occidit.

Ad secundum dico Pelagium non idcirco habitum fuisse tanquam hæreticum, quod scientiam legis reputaret Christi gratiam, sed quod aliam gratiam non agnoscebat præter legem & doctrinam, quæ sententia manifeste hæretica est, quia, ut dicemus postea, ad bene operandum præter Evangelii prædicationem requiritur insuper illuminatio intellectus & pia motio voluntatis.

Tertium argumentum nihil omnino difficultatis continet; cum enim dicitur hominem per solas naturæ vires acquirere posse cognitionem legis, id verum est de scientia quadam sterili & curiosa, non autem de scientia quatenus pro-

promovet ad pietatem & ad salutem conducit.

Gratia iterum dividitur in gratum facientem & gratis datam.

GRatia interna, alia est gratum faciens, alia vero gratis data. Gratum faciens est ea quæ ad propriam accipientis sanctificationem primario confertur a Deo, quales sunt omnes gratiæ tum habituales tum actuales, quæ ad hominis salutem ordinantur. Gratis data est, quæ ad utilitatem & salutem aliorum primario confertur a Deo, cujusmodi sunt dona prophetiæ, linguarum, &c. Gratia gratis data sic dicitur, non quod gratia gratum faciens non sit quoque gratis data, nam omnis gratia eo præcise quod gratia est, censetur gratis data, alias gratia non esset; sed fortasse quia Christus ipse, quando ejusmodi gratias seu dona contulit Apostolis, eas appellavit gratis datas, Matth. 10. cap. *Gratis accepistis, gratis date.*

Novem earum species enumerat Apostolus primæ ad Corinth. 12. cap. his verbis. *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu: alii operatio virtutum: alii Prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum.* Ubi cum S. Thoma observare juvat fidem inter gratias gratis datas annumerari, non prout virtus est hominem in seipso justificans; non quatenus est Dei donum quo rebus a Deo revelatis adhærescimus; eatenus enim est gratia gratum faciens, sed prout importat supereminentem quandam fidei certitudinem ex qua homo fit idoneus ad alios instruendos.

Notare item est gratias gratis datas non semper conjungi cum gratia gratumfaciente; nonnunquam enim ad salutem aliorum procurandam, seu per prædicationem Verbi divini, seu per prophetiam perversi homines deputati sunt; Num. 23. cap. Balaam dicitur prophetasse qui tamen erat homo nequam. Lib. 1. Regum, Saul erat inter Prophetas. Denique Joan. 13. Caiphas prophetasse legitur.

Est etiam observandum potestatem administrandi Sacramenta non esse gratiam gratis datam, quia non est a Deo immediate collata Ecclesiæ ministris. Vel secundum alios Theologos administratio nostrorum Sacramentorum quædam est gratia gratis data quæ revocatur ad operationem virtutum.

Notandum insuper gratiam gratum facientem esse nobiliorem & excellentiorem qualibet gratia gratis data; tum quia postquam Apostolus gratias gratis datas enumeravit capite mox citato Epistolæ 1. ad Corinth. docet aliud esse donum longe excellentius, quæ charitas est, tum quia Lucæ 10. ipse Christus Dominus dicebat Apostolis, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes &c. veruntamen in hoc nolite gaudere, quod spiritus vobis subjiciuntur, gaudete autem quod nomina vestra scripta sint in cælis.* Quæ verba aperte significant hoc secundum altero longe melius, eique præferendum.

Si vero quæratur num gratiæ gratis datæ sint actuales vel habituales. Respondeo quasdam esse actuales, quæ scilicet cessante operatione & ipsæ cessant, nec permanenter insunt, ut patratio miraculorum, discretio spirituum. Alias vero esse habituales propter rationem oppositam, quia permanenter sunt in hominibus adinstar habituum, ut scientia, sapientia, donum linguarum.

Gra-

Gratia dividitur in habitualem & actualem.

GRatia habitualis ea dicitur quæ per modum qualitatis cujusdam permanentis confertur homini, qualis designatur in multis Scripturæ locis. Joan. 14. *Si quis diligit me*, inquit Christus, *sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & apud eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Ad Titum 3. cap. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti quem effudit in nos abunde*. Etsi enim in ejusmodi Scripturæ testimoniis nomen habitus non legatur, in iis tamen gratia aperte designatur tanquam habitus, hoc est tanquam fixa quædam & permanens qualitas homini inexistens.

Unde mirum est eo devenisse Novatores nostros, ut dicerent inutilem omnino esse gratiæ habitualis infusionem in justificatione, quam fieri censent per solam justitiam imputativam, siquidem sine talis gratiæ habitualis infusione explicari non potest justificatio Infantis baptizati, qua ex causa Patres Tridentini definiunt sess. 6. cap. 7. Justificationem non esse solum remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem & renovationem interioris hominis per infusionem gratiæ & donorum; de his plura dicemus in tractatu de justificatione & merito ad calcem hujus voluminis.

Gratia actualis est ea quæ datur a Deo per modum actus seu motionis cujusdam transeuntis ordinatæ ad actionem; ea est gratia quæ ad agendum dicitur necessaria etiam in iis qui supponuntur per gratiam sanctificantem recte dispositi, quemadmodum lux requiritur ad videndum etiam in oculo perfecte sano, ut ait S. Augustinus lib. de natura & gratia cap. 48. illa ipsa est gratia de qua toties loquitur S. Augustinus adversus Pelagianos, per quam novimus facienda, & cognita facimus, quæ in nobis agit ineluctabiliter illuminando intellectum & movendo voluntatem.

Observat Estius disputatum a quibusdam, num sit de fide gratiam habitualem seu sanctificantem, qua justificamur & Deo grati sumus, verum esse habitum in nobis inhærentem; aitque partem negantem tenere quosdam Theologos; eo quod illud nec expresse habeatur in Scripturis sacris, nec manifestum sit ex traditione, nec ullo demum Concilii decreto sancitum. Unde etiam, ut ajunt, Concilium Tridentinum cum definivit hominem justificari per aliquam justitiam cordibus nostris infusam, prudenter & consulto abstinuit a nomine habitus, quomodo sentiunt & ratiocinantur Dominicus Soto, qui Concilio Tridentino interfuit, l. 2. de natura & gratia cap. 17. & Medina in 2. q. 110. art. 2.

Arbitratur iste definire tantum voluisse Patres Tridentinos contra hæreticos, Deum in justificatione peccatoris non solum illi remittere peccata non imputando ea ad pœnam, uti docebant hæretici; sed etiam interius eos secundum animam renovare ut sancti & justi fiant, qua in re necesse non est admittere qualitatem aliquam permanentem, quia talis renovatio fieri potest per motionem actualem gratiæ.

Respondet tamen Estius hanc Medinæ opinionem propugnari non posse tum propter autoritatem Concilii Viennensis, tum propter definitionem Patrum Tridentinorum.

Concilium quidem Viennense decrevit eam opinionem quæ docet tam parvulis quam adultis conferri in baptismo & quoad habitum infundi gratiam informantem & virtutes, eligendam esse tan-

tanquam probabiliorem & dictis sanctorum Patrum & modernorum Theologiæ Doctorum magis consonam, id habetur in Clementina tit. de summa Trinitate & Fide catholica.

Sic vero loquuntur Patres Tridentini, cum materiam justificationis prosequuntur & explicant in sessione sexta, ut nemo sanæ mentis eorum verba explicare possit cum opinione solius gratiæ actualis, cujus beneficio fieret justificatio, ea enim aperte denotant infusionem rei fixæ & permanentis.

Porro non sine causa, inquit idem Estius, tam Viennenses Patres quam Tridentini, in his suis decretis abstinuerant a nomine habitus, quia licet agnoscatur gratiam sanctificantem esse qualitatem permanentem per modum habitus, tamen dubitatur an vere & proprie sit habitus, an vero qualitas permanens alterius cujusdam conditionis ab illis qualitatibus quas solemus appellare habitus; cum præsertim non satis appareat parvulos per virtutes infusas, postquam adoleverint, inclinari ad actus pietatis, uti postulare videtur natura habituum proprie dictorum.

Quæres quodnam sit subjectum gratiæ habitualis, utrum essentia animæ vel voluntas?

Respondeo gratiam habitualem esse in voluntate tanquam in subjecto; 1. quia habitus operativi sunt in facultatibus, non in ipsa animæ substantia, debent enim illas determinare ad agendum: sed gratia habitualis habitus est operativus, ut vulgo censent Theologi, ab ea enim tanquam principio procedunt bonæ actiones: igitur. 2. quia formæ oppositæ sunt in eodem subjecto, sese enim expellunt a subjecto: sed peccatum gratiæ sanctificanti oppositum, residet in voluntate tanquam in subjecto: igitur.

Gratia actualis dividitur in prævenientem & subsequentem.

HÆc divisio verbis conceptis legitur apud S. Aug. in Enchiridio c. 32. *Nam utrumque*, inquit, *legitur in sanctis eloquiis, & misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me, nolentem prævenit ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit*. Et revera hæc habentur apud Psalmistam, Psalm. 58. *Misericordia ejus præveniet me*. Ps. 22. *Misericordia ejus subsequetur me*.

Gratia præveniens ea est quæ prævenit omnem voluntatis nostræ actum. Gratia vero subsequens quæ hunc primum voluntatis nostræ actum subsequitur. Et ita subsequens non est sic intelligenda quasi sequatur priores voluntatis humanæ motus, ut enim fusissime ostendemus infra, ipsum boni operis initium est a Deo excitante per gratiam, non est a libero voluntatis arbitrio nulla gratia adjuto; ait enim Apostolus, *quid habes quod non accepisti?* Quapropter sic explicatur utraque gratia, ut præveniens initium cujuscunque boni operis producat, subsequens vero idem gratiæ divinæ opus augeat & perficiat, quomodo iterum de gratia præveniente & subsequente scribit S. August. lib. de natura & gratia cap. 32. his verbis: *prævenit ut sanemur, & subsequitur ut sanati vegetemur, prævenit ut vocemur, & subsequitur ut glorificemur. Prævenit ut pie vivamus, & subsequitur ut semper cum illo vivamus*.

Altera divisio gratiæ in operantem & cooperantem.

UTramque hanc gratiam copiose & eleganter describit S. August. lib. de grat. & lib. arbit. c. 17. his verbis: *Et quis istam etsi parvam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando*

rando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus (Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.) Ut ergo velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur; tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus dictum est (Deus enim qui operatur in vobis & velle.) De cooperante autem, tum jam volumus & volendo facimus. (Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum.)

Gratia igitur operans ea est quæ sola bonam voluntatem in hominibus operatur, qua Deus sine nobis operatur, ita ut nondum concipiatur voluntas nostra cooperari; is ille est primus & indeliberatus motus voluntatis quem Deus sine nobis operatur in nobis. Quod non est tamen sic intelligendum, quasi homo simul in primum illum bonæ voluntatis motum non influat, sed quod nulla operetur prævia voluntate qua petat, desideret, pulset.

Gratia cooperans est ea per quam Deus cum volumus, & libero nostro arbitrio cooperamur, perficit quod volumus, sive illa gratia sit parva sive sit valida; quæcunque enim conjunctum habet nostrum consensum cooperans dicitur, videlicet propter cooperationem liberi arbitrii.

Hæc divisio est perfecte adæquata, quia omnis gratia seu motio actualis per quam Deus hominem excitat ad bonum opus vel fit in nobis sine nobis concurrentibus, cooperantibus, ut primi motus indeliberati; vel fit in nobis & cum nobis cooperantibus; si prius, ejusmodi gratia est operans; si posterius, gratia illa est cooperans.

Alia divisio gratiæ in excitantem & adjuvantem.

AUT parum aut nihil omnino differt ista divisio a præcedentibus, gratia enim excitans eadem esse videtur cum gratia præveniente & cum operante; ut tamen cum aliis Theologis loquamur.

Gratia excitans ea est qua homo velut a somno quodam excitatur, ipsique bona cogitatio, piumque desiderium a Deo immittitur. Adjuvans vero gratia est ea qua homo jam excitatus adjuvatur, ut perficiat quod jam agere inceperat.

Utraque hæc gratia commemoratur a S. August. l. 2. de peccatorum meritis c. 18. his verbis: *quod vero ad Deum nos convertimur, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus, & hæc est voluntas bona.*

Dividitur iterum gratia in gratiam Dei & gratiam Christi.

GRatia Dei est ea quæ homini collata est a Deo independenter a meritis Christi, qualis fuit gratia collata primo homini in statu naturæ innocentis, qualis etiam gratia data Angelis ad bene agendum. Gratia Christi est ea quæ fundatur in meritis Christi, quales sunt omnes gratiæ hominibus datæ post Adami lapsum; ejusmodi gratia dicitur passim a S. Augustino gratia liberatrix, gratia medicinalis, gratia salvatoris, gratia qua sanatur natura. De utraque gratia plenius dicetur infra suo loco.

Divisio gratiæ in sufficientem & efficacem.

OMnium gratiæ divisionum celeberrima est ea qua dividitur in sufficientem & efficacem propter varias quæ inter Theologos agitantur controver-

versias de vera utriusque gratiæ notione ac præsertim sufficientis; non abs re erit istam opinionum diversitatem referre, ut clarius innotescat.

Docet Molina eandem esse secundum naturam & entitatem, gratiam quæ sufficiens dicitur & efficax, quatenus nempe Deus singulis hominibus confert gratias de se sufficientes ad bene agendum, sed quæ dicuntur efficaces, si homo per suum liberum arbitrium ipsis consentiat, remanent vero pure sufficientes & inefficaces, si homo ipsis non consentiat vel resistat. In hoc systemate nulla datur gratia per se & ex natura sua efficax, sed eadem gratia modo est sufficiens, modo est efficax; unde proprie loquendo gratia sufficiens natura sua non distinguitur ab efficaci. Sed nihilominus tamen gratiam sufficientem sic jure merito appellatam contendunt Molinæ defensores, quia talis est, inquiunt, ut ipsa per se solam sufficiat sine ullo alio ex parte Dei auxilio, ut suum sortiatur effectum.

Quidam alii Theologi ab opinione præcedenti non multum discrepantes, nomine gratiæ sufficientis, prout ab efficaci ex natura sua distinguitur, eam intelligunt, quæ licet effectum suum aliquando consequatur absque novo ex parte Dei superaddito auxilio, tamen illum certo & infallibiliter non assequitur; sicut efficax gratia quæ semper & infallibiliter suum obtinet effectum. In hoc systemate gratia sufficiens ab efficaci distinguitur, & ejus necessitatem non pro omnibus actionibus bonis, sed pro multis supponit Gratia sufficiens, hoc sensu exposita effectum suum habere potest, & aliquando habet, sed non certo & infallibiliter.

Thomistæ contendunt gratiam sufficientem & gratiam efficacem secundum entitatem & naturam ab invicem differre, ita ut gratia sufficiens nunquam evadat efficax, sed sit & maneat semper sufficiens, gratia vero efficax talis sit ex natura sua, hoc est semper suum obtineat effectum. In illo systemate gratia sufficiens dat solummodo agendi potentiam, ipsum actum non producit; dat quidem, ut ajunt, posse, non dat agere. Ut autem homo bonum aliquod operetur, requiritur insuper gratia efficax, quæ quidem insuperabiliter & infallibiliter voluntatem determinat ad agendum per physicam prædeterminationem. Gratia sufficiens hoc sensu intellecta, non est, ut arguunt alii Theologi, sufficiens re sed nomine tantum; gratia enim male dicitur sufficiens in ordine ad aliquem effectum producendum, præter quam alia requiritur absolute gratia ut ille effectus producatur: sed præter gratiam sufficientem requiritur gratia efficax ad quodcunque bonum opus, fatentibus ipsis Thomistis: igitur nomine tenus dicitur sufficiens.

Est alia Theologorum opinio circa hanc divisionem gratiæ in sufficientem & efficacem, qui in omnibus cum præcedenti Thomistarum sententia conveniunt, excepto quod rejiciunt prædeterminationem physicam, sed ajunt gratiam quæ per sese efficax est, per motionem quandam moralem, seu, ut ait S. August. a quo hac in parte vel latum unguem non discedere se gloriantur, per victricem quandam delectationem, cætera eodem modo loquuntur ac Thomistæ de gratia sufficiente; cum ejus naturam explicant.

Dehinc Jansenius Iprensis Episcopus sic de utraque illa gratia loquitur in famoso suo opere de gratia Salvatoris, ut omnem gratiam putet efficacem per se & prout a Deo datur, in hoc scilicet naturæ lapsæ statu, nullamque penitus agnoscat gratiam sufficientem; ait enim nec infrequenter omnem gratiam suum habere effectum, nullam dari cui resistatur, nihil esse gratia sufficienti monstrosius, quæ videlicet nullum unquam habitura est effectum, ejusmodi gratiam esse novam & veteribus Theologis incognitam &c.

Respondent quidem Jansenii defensores non aliam gratiam rejicere hunc Præsulem, quam sufficientem Molinisticam, seu eam quæ ita sufficiens dicitur, ut revera præter ipsam non requiratur ad bene agendum gratia efficax; quæ sententia, inquiunt, non est toleranda, quod in certis veræ Theologiæ principiis agnosci debet gratia per se efficax ad quodlibet bonum opus necessaria. Addunt Jansenium ultro admittere gratiam sufficientem ad sensum Scholæ Thomisticæ, hoc est gratiam quæ dat potentiam agendi, & non actum, & præter quam datur gratia efficax, quia totus est ut illam gratiam efficacem stabiliat.

Verum alii Theologi ipsique præsertim Thomistæ contendunt Jansenium nequaquam in suis principiis admittere gratiam sufficientem Thomisticam. 1. Quia ubique rejicit gratiam omnem quæ dat potentiam agendi, & nunquam dat actum: atqui tamen hæc illa est gratia sufficiens Thomistica, qua data homo potest agere, sed nunquam agit nisi accedat gratia efficax. 2. Quia Jansenius, putans hac in parte sequi doctrinam sancti Augustini, nullum admittit adjutorium sine quo non, pro isto statu naturæ lapsæ; sed Thomistæ profitentur se admittere adjutorium sine quo non, quod idem est cum gratia sufficienti: igitur circa gratiam sufficientem eadem non est Jansenii & Thomistarum doctrina.

Omitto hic annotare quod docet Calvinus nullam dari gratiam sufficientem, hoc est motum Dei cui voluntas obtemperare possit, vel obsequi si velit, quod nimirum Deus voluntatem humanam ad agendum per gratiam suam efficacem necessario applicat; quapropter scribit Bellarminus lib. 1. de gratia cap. 11. divisionem gratiæ in sufficientem & efficacem repudiari ab hæreticis nostri temporis.

Porro nos istum perdifficilem & salebrosum de gratia Dei tractatum traditurі, ab accurata nominum gratiæ recensione auspicari voluimus, ut sublata omni vocum ambiguitate perspicua ubique foret nostra disputatio.

Erunt præsentis tractatus quatuor partes. Prima gratiæ universim, ut donum est supernaturale ordinatum ad bene agendum, necessitatem & existentiam demonstrabit. In secunda ejus essentiam explicabimus, ubi de gratia efficaci & sufficiente. Tertia subjectum ejus aperiet, quibus nempe detur gratia. In quarta demum causas gratiæ proferemus, nimirum voluntatem Dei salvandi omnes homines, & mortem Christi pro omnibus: quæ quidem ut facilius explicari queant, libet hic appendiculam præmittere de variis naturæ humanæ statibus.

De variis natura humanæ statibus.

Nomen status significat conditionem seu modum quo se habet natura humana in ordine ad suum ultimum finem consequendum. Alii primum distinguuntur status qui fuerunt, alii vero qui non fuerunt & de quorum possibilitate controvertitur inter Theologos. Duo assignantur status qui extiterunt, nempe status naturæ innocentis, & status naturæ lapsæ per merita Christi reparatæ. Tres autem qui nunquam extiterunt, nempe status naturæ lapsæ non reparatæ; status naturæ integræ, status naturæ puræ. Ex illis quinque statibus duo sunt, nempe status naturæ innocentis, & status naturæ puræ, de quibus nos pro more scholarum prolixiorem instituemus disputationem, de tribus aliis statibus pauca dicturi: igitur.

Status naturæ lapsæ reparatæ, is est in quo quidem constituti nunc sumus peccato originali maculati, sed ita ut possimus ab illo per merita Christi liberari & vitam æternam consequi. Hoc

in

in ſtatu etiam poſt remiſſionem peccati originalis remanent ejuſdem peccati effectus, ignorantia in intellectu, concupiſcentia in voluntate, rebellio in appetitu inferiori contra ſuperiorem, & innumeræ corporis miſeriæ; ipſaque mortalitas, ut infeliciter quilibet noſtrum experitur.

Sunt qui hoc in ſtatu naturæ lapſæ reparatæ iterum diſtinguant ſtatum confirmatorum in bono, in quo immunis redditur aliquis ab omni peccato etiam veniali, qualis fuit ſtatus B. Virginis; & ſtatum confirmatorum in gratia, qualis fuit ſtatus Apoſtolorum qui poſt deſcenſum Spiritus ſancti immunes fuerunt ab omni peccato mortali. Verum hi ſtatus magis proprie ſunt privilegia quorumdam hominum, quam ſtatus.

Status naturæ lapſæ non reparatæ, in quo nempe remanſiſſet homo poſt originale peccatum, niſi fuiſſet per Chriſti merita liberatus; non exiſtit quidem, ut per ſe patet, ſed eſt maxime poſſibilis; fieri enim potuit, ut Deus non redimeret genus humanum, ut oſtendimus in Tractatu de Incarnatione.

Status naturæ integræ, qui nunquam extitit; ſed merito concipitur poſſibilis, ut conſtat ex iis quæ ad ſtatus naturæ puræ poſſibilitatem aſtruendam mox ſumus adducturi, is eſt ſtatus in quo homo ordinaretur tantum ad finem naturalem per media naturalia conſequendum; medius quidam eſſet ſtatus inter ſtatum naturæ innocentis & inter ſtatum naturæ puræ; differret a ſtatu naturæ innocentis, in quantum in iſto fuit homo gratia ſupernaturali inſtructus ad beatitudinem promerendam ſupernaturalem; in illo vero ordinaretur homo ſolum ad beatitudinem naturalem per media naturalia; differret autem a ſtatu naturæ puræ eo quod in hoc ſtatu homo nulla haberet auxilia naturæ humanæ indebita ad reſiſtendum motibus appetitus ſentientis; in ſtatu vero naturæ integræ, in quo pars hominis ſuperior eſſet ſubjecta Deo ut autori naturæ; homo haberet auxilium quoddam ordinis naturalis, humanæ quidem naturæ indebitum, ſed iſti ſtatui debitum, quo poſſet impedire ne appetitus ſenſitivus contra rationem inſurgeret.

De ſtatu naturæ lapſæ.

SIc appellatur ſtatus in quo primum conſtitutus fuit Adamus, qui aptius diceretur ſtatus juſtitiæ originalis, quia uterque ſtatus naturæ integræ & naturæ puræ, ſtatus foret naturæ innocentis. Eſt autem ſtatus in quo primi parentes noſtri ab origine per gratiam acceperunt rectitudinem ſine ullo defectu tum corporis tum animæ, hoc eſt ſine ignorantia & proclivitate ad malum, nullis ſubjecti corporis calamitatibus.

Circa hunc ſtatum naturæ innocentis duo veniunt in controverſiam. Primo, utrum primi parentes conſtituti fuerint in gratia & juſtitia originali. Secundo, utrum Adamus in illo ſtatu rectitudinis poſitus indiguerit aliquo auxilio actuali ad bene agendum & perſeverandum, & quodnam fuerit illud auxilium.

Utrum primi parentes gratiam ſanctificantem ſeu juſtitiam originalem habuerint in ſtatu innocentiæ.

ADamum ante legis tranſgreſſionem dona quædam habuiſſe ſupernaturalia, puta gratiam ſanctificantem ſeu juſtitiam originalem, ſic vero conſtitutum fuiſſe in quadam rectitudine per gratiam illi conceſſa; ut ſibi connaturalia non habuerit concupiſcentiam, ignorantiam, mortem, & cætera magno numero mala quibus natura humana atteritur in hac vita, fundatiſſimum eſt Eccleſiæ dogma adverſus Pelagianos, quorum unus capitalis error fuit, *infantes nuper natos in eo ſtatu naſci, in quo Adam ante prævaricationem fuit,*

ut constat ex S. Augustino lib. de gestis Pelagii cap. 11. & lib. 2. operis imperfecti contra Jul. cap. 236. Idem quoque sentiunt hodie Sociniani, dicentes creatum quidem fuisse Adamum in statu innocentiæ, sine ulla carnis rebellione, sed non habuisse justitiam ; in eos omnes fit.

Conclusio.

Adamus fuit primitus in statu gratiæ & justitiæ originalis constitutus.

Probatur 1. ex Scripturis, sic enim ait Apostolus ad Ephes. cap. 4. *Renovamini spiritu mentis vestræ & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*. Hæc justitia & sanctitas quam homo amiserat, est præsentis status justificatio quæ non fit nisi per gratiam. Item Ecclesiastis cap. 7. legitur a Deo factum fuisse hominem rectum. *Fecit Deus hominem rectum*. Quam rectitudinem interpretatur S. Augustin. gratiam supernaturalem, bonam voluntatem, quæ est infusa Dei dilectio, amor Dei supernaturalis, charitas ipsa. *Fecit Deus*, inquit lib. 14. de civit. Dei cap. 11. *sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ; non enim rectus esset bonam non habens voluntatem : bona igitur voluntas opus est Dei, cum ea quippe ab illo factus est homo*. Bonam autem voluntatem non esse rectitudinem naturalis ordinis, sed veram charitatem aperte colligitur ex ejusdem lib. cap. 7. *Nam cujus propositum est*, inquit, *amare Deum & non secundum hominem, sed secundum Deum amare proximum, sicut etiam seipsum ; procul dubio propter hunc amorem dicitur voluntatis bonæ ; quæ usitatius in Scripturis sacris charitas appellatur*. Quod idem docet lib. de gratia Christi cap. 21.

Is vero insuper loquens de renovatione hominis, abunde significat justitiam originalem fuisse gratiam, libro nempe de Spiritu & littera c. 27. his verbis : *Hoc enim agit spiritus gratiæ, ut imaginem Dei in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis, vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia.... qua gratia in interiore homine renovato justitia scribitur, quam culpa deleverat :* ubi mentionem facit Augustinus de gratia quam culpa deleverat, atque per illam gratiam imaginem Dei primitus factum fuisse Adamum. Idem docent alii passim Sancti Patres qui Adamo ante lapsum justitiam & gratiam sanctificantem tribuunt, S. Irenæus lib. 3. contra hæres. c. 20. & 37. S. Cyprianus Epist. 73. San. Basil. homil. in Psal. 48. S. Ambros. lib. 6. Exameron. c. 7. & l. 7. in Lucam c. 48. S. Greg. Nazian. in orat. de Pascha. S. Chrysost. homil. 16. in Genes. S. Leo Serm. 1. de jejunio decimi mensis. S. Greg. mag. lib. 5. Epist. 4. & lib. 6. Epist. 31.

Quibus optime consentit quod definitum est an. 529. in Concil. Araus. 2. can. 19. his verbis : *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam creatore suo non adjuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quam perdidit ?*

Et longe clarius in Concilio Tridentin. sess. 5. decreto de peccato originali. *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse... anathema sit*. Et paulo post ; *si quis Adæ prævaricationem sibi soli & non ejus propagini asserit nocuisse & acceptam a Deo sanctitatem & justitiam quam perdidit, sibi soli & non nobis etiam olim perdidisse ; anathema sit*. Unde sequitur Adamum primitus fuisse in sanctitate creatum, status enim hoc verbo *constitutus* recte exprimitur.

Ob-

Observat hoc loco Estius nihil esse temeritatis in eorum sententia, qui dicunt primum hominem non fuisse creatum in gratia & justitia originali, modo aliunde doceant illum ante legis transgressionem seu lapsum in tali gratia fuisse constitutum, tum quia, inquit ille Theologus, hæc sententia nulli adversatur expresso scripturæ testimonio, nec ulla uspiam Ecclesiæ definitione confirmata fuit; tum quia a multis Doctoribus & magni quidem nominis propugnatur, puta a Magistro Sententiarum, Hugone Victorino, Alexandro Halensi, S. Bonaventura, Scoto & aliis; tum denique quia ab aliis Theologis qui contrariam profitentur doctrinam, non habetur ut absolute erronea.

Objicies: Si Paulus docere videtur 1. ad Corinth. cap. 15. Adamum quando creatus est, non habuisse Spiritum sanctum, nullam habuisse virtutem & gratiam supernaturalem, sed solummodo animam viventem vita quadam terrena, sic enim loquitur: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Igitur Adamus non fuit in gratia & justitia originali constitutus.

Respondeo ex his Apostoli verbis colligendum non esse, primum hominem, quando creatus est, aut saltem ante lapsum, non habuisse gratiam seu justitiam supernaturalem, hoc unum vult Apostolus, eo loci differens de corporum resurrectione, discrimen afferre quod intercedit nos inter mortales & Christum post resurrectionem: corpus nostrum uti & corpus Adami & cæterorum animantium cibo ac potu ad sui conservationem indiget; corpus autem Christi, qui secundus est Adam, per resurrectionem factum est spiritale, immortale, & cibo ac potu non eget, quo sensu Christus dicitur *de cœlo cœlestis*, Adam vero *de terra terrenus*; sed ibi ne uno quidem verbo insinuatur Adamum priusquam peccaret, gratia & justitia originali non fuisse instructum.

Neque est quod in confirmationem præfatæ difficultatis objiciatur autoritas sancti Augustini, qui lib. 13. de civit. Dei cap. 23. ex hoc Apostoli testimonio, *factus primus homo in animam viventem &c.* concludit Adamum non habuisse Spiritum sanctum his verbis, *primus homo*, inquit, *de terra terrenus, in animam viventem factus est, non in spiritum vivificantem*. Quasi inde sequatur eum non habuisse gratiam.

Respondetur enim facile sanctum Augustinum de gratia Adami nullam ibi mentionem facere, nec illum considerare ante peccatum, quæ duo forent necessaria, ut ex ejus verbis aliquid colligi posset adversus istam sententiam. Vult igitur solum ostendere hominem accepisse corpus animale, non spiritale, id est, non iis adhuc dotibus instructum, quas per resurrectionem consequetur.

Objicies: idem sanctus Augustinus l. de corept. & gratia c. 10. scribit Deum *sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset gratiæ suæ beneficium*. Ergo primus homo solum habuit initio suum liberum arbitrium sine gratia.

Distinguo consequentiam, sine gratia actuali uberiori & fortiori, concedo: sine gratia habituali vel etiam sine quacunque actuali, nego. Primo igitur eo loci sanctus Augustinus non loquitur de gratia habituali & sanctificante, de qua nunc movetur quæstio; sed inquirit de gratia actuali differens, quodnam gratiæ seu adjutorii actualis genus habuerit primus homo ad bene agendum; & statuit sic Deum cuncta ordinasse, ut primo voluerit hominem suo permittere libero arbitrio, ac deinde suæ

suæ gratiæ vim ac necessitatem ostenderit. Ubi S. Augustinus supponit Adamum in illo primo statu innocentiæ habuisse non modo gratiam sanctificantem, sed & gratiam actualem quam appellat adjutorium sine quo: *quid enim*, inquit, cap. 11. *Adam non habuit gratiam, immo vero habuit magnam sed disparem?* Adeoque ex illo loco neutiquam colligi potest hominem in statu innocentiæ non habuisse gratiam & justitiam originalem.

Objicies, patet ex Geneseos cap. 2. Adamum fuisse creatum extra paradisum, & postea positum in paradiso: igitur creatus est in puris naturalibus, nec statim donis gratiæ & justitiæ supernaturalibus instructus est.

Atque id aperte docet S. Augustinus lib. 2. de Genesi contra Manichæos c. 8. *nondum*, inquit, *spiritualem hominem debemus intelligere qui factus est in animam viventem, sed adhuc animalem: hinc tamen spiritualis effectus est, cum in paradiso, hoc est in beata vita constitutus &c.* Igitur Adamus ab initio non fuit gratia donatus.

Respondet Estius per hoc quod homo creatus dicitur extra paradisum, & postea in eo positus, nihil aliud significari, quam gratiam in qua creatus est, fuisse naturæ ipsius indebitam, ideoque sine illa creari eum potuisse, sicut creatus est extra paradisum.

Quod spectat testimonium S. Augustini, vult tantum sanctus Doctor ex his Scripturæ verbis, *qui factus est in animam viventem*, inferri posse infusam in corpus ejus animam rationalem, non gratiam sanctificantem, quod nihil omnino probat, ut per se patet.

Objicies: si Adamus habuit gratiam sanctificantem sine concupiscentia aliisque infirmitatibus, quæ dicuntur esse effectus primi peccati, certe vix intelligitur quomodo peccare potuerit, cum nullam ad malum propensionem sed potius maximam ad bonum habuerit beneficio illius gratiæ sanctificantis.

Respondeo nullo negotio intelligi posse Adamum gratia sanctificante donatum potuisse peccare, quia videlicet conditus fuit liber & indifferens ad bonum vel malum; *tunc*, inquit S. Augustinus loco mox citato, *ostendere voluit Deus quid posset liberum arbitrium*. Præterquamquod creatura omnis, nisi confirmata sit in bono, habet ex natura sua quod deficere possit.

Porro præter illam gratiam sanctificantem quam ab origine accepit primus parens, is insuper fuit omnium animi & corporis bonorum possessione cumulatus.

Hinc in intellectu scientia perfectissima rerum omnium naturalium, & prout status & conditio postulabat, rerum etiam supernaturalium infusa; adeo ut si non peccasset Adamus, habuissent homines nascendo non omnem penitus cognitionem, sed etiam quæ ipsis competebat habita ratione ætatis, puta notitiam Dei & principiorum juris naturalis ad bonum discernendum a malo; quemadmodum quod attinet ad corpus nascendo statim non habuissent virtutem sufficientem ad movendum membra ad quoslibet actus, sed ad eos qui pueritiæ conditioni conveniebant, ut docet S. Aug. l. 1. de peccatorum meritis, cap. 37.

Hinc voluntatem habuit sanam & perfecte liberam, sine ulla prava libidine creatam, tum & nullo innato propriæ excellentiæ & laudis amore vel appetitu infuscatam. In quo nonnulli recentiores graviter hallucinati sunt, cum primum hominem affirmarunt in illo felici statu præter tentationes quæ extrinsecus inferrentur, innato laudis & propriæ excellentiæ amore fuisse impeditum, ejusce modi enim superbiæ tentatio ex illo innato excellentiæ appetitu promicans, pars est ejus libidinis quæ profecto est unius peccati originalis fœtus; unde non fuit in illo statu na-

naturæ innocentis ulla tentatio præter externam. *Ergone*, inquit August. l. 1. operis imperf. num. 71. *& in paradiso ante malesuadi venena serpentis, ante corruptam sermone sacrilego voluntatem, inliciti cibi libido jam fuit? ..... præcessit mala voluntas, qua serpenti subdolo crederetur, & secuta est mala concupiscentia, qua cibo inhiaretur inlicito. Non itaque ibi qualiscunque cupiditas qualicunque reluctata est voluntati, sed ei potius depravata depravata servivit, ac per hoc quamvis jam utraque mala esset, tamen voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit, non præcessit voluntatem, nec restitit voluntati.* Hæc fuit profecto constans divi Augustini adversus Julianum doctrina, nullos omnino fuisse motus, vel minimas ad malum instigantes ante primum Adami peccatum, nec ullas præter externas tentationes.

Hinc etiam ad nutum pars inferior subdita erat superiori; ut idem docet ubique sanctus Doctor lib. 4. cap. Jul. c. 14. *sed nulla ratione crediderim*, inquit, *in illo tantæ felicitatis loco, aut carnem concupivisse adversus spiritum, & spiritum adversus carnem; atque in ista conflictatione sine interna pace vixisse, aut spiritum desideriis non repugnasse carnalibus, sed quicquid undecunque libido suggesserat, turpi servitio peregisse.* Unde, quod modo caro rebellet adversus spiritum, a peccato est; ut definivit Conc. Trident. Sess. 5. his verbis: *hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari; quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Hinc ab illa felicitatis patria miseriæ omnes, quibus affligimur in præsenti vita, exulassent: quod infinitis in locis significat S. August. *quantæ autem*, inquit Lib. 5. contra Jul. c. 5. *& quam tranquillæ potestatis essemus etiam de his motibus, quibus alimenta sumuntur & digeruntur in illa felicitate paradisi, quis possit ut certum est indagare? quis ut dignum est explicare? ubi absit ut credamus aliquid fuisse unde sensum nostrum, sive intrinsecus, sive extrinsecus aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor stringeret, aut horror offenderet.* Id non leviter insinuatur hoc celebri testimonio Ecclesiastis c. 7. *Solummodo hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum: & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*, hoc est, ut vulgo exponunt interpretes, infinitis miseriis & calamitatibus, quibus proinde obnoxii non fuissent homines sine peccato.

Hinc denique hujusce status appendix erat corporis immortalitas: scriptura enim primam mortis originem ait esse non naturam sed culpam, non autorem naturæ sed culpæ parentem, Genes. cap. 2. *in quacunque die comederis ex eo, morte morieris*. Sapientiæ 1. *Deus mortem non fecit*. 2. cap. *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*, ad Roman. 5. cap. *per peccatum mors*.

Atque hanc fidem Catholicam acerrime propugnat S. Augustinus in Pelagianos qui mortem corporis existimabant hominibus, non peccati merito sed necessitate naturæ venturam, ut docet lib. 1. de peccatorum meritis c. 2. quos ita refellit: *quamvis enim secundum corpus terra esset, & corpus in quo creatus est animale gestaret, tamen si non peccasset in corpus fuerat spiritale mutandus & in illam incorruptionem, quæ fidelibus & sanctis promittitur sine mortis periculo transiturus*. Et cap. 4 ejusdem libri adducto divi Pauli testimonio ex Epist. ad Rom. cap. 8. in quo legitur corpus mortuum post peccatum, sic disserit,

serit, *puto quod non expositore sed tantum lectore opus habet tam clara & aperta sententia*, *corpus inquit mortuum est non propter fragilitatem terrenam*, *quia de terræ pulvere factum est*, *sed propter peccatum; quid amplius quærimus?*

Hoc idipsum definierunt multa Concilia. Sic enim post Diospolitanum & Carthaginense loquitur Arausicanum II. canone 2. *Si quis mortem tantum corporis quæ pœna peccati est*, *non autem & peccatum quod mors est animæ per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur &c.* tum & Concil. Trident. Sess. 5. can. 1. his verbis, *Si quis non confitetur primum hominem incurrisse per offensam prævaricationis mortem quam antea illi Deus comminatus fuerat*, *anathema sit*. Unde mirum est Franciscum Garassum cæteroqui Catholicum in Summa Theolog. lib. 3. p. 700. scripsisse mortem corporis etiam sine peccati merito venturam Adamo.

Qua vero ratione Adamus gratia Dei factus immortalis & nunquam moriturus si non peccasset, fuisset tamen mortalis, eleganter quidem explicat S. August. lib. 1. de peccat. meritis c. 5. loquens de corpore Adami, *antequam immutaretur*, inquit, *in illam incorruptionem quæ in Sanctorum resurrectione promittitur*, *poterat esse mortale; quamvis non moriturum... sed ipsum mortale non est factum mortuum nisi propter peccatum*. Scilicet duplex distinguitur mortalitas, una qua quis mori potest, altera qua mori debet; illa primus homo mortalis fuit ante peccatum; nam mori potuit, quemadmodum peccare potuit; hac vero post peccatum tam ipse mortalis fuit quam posteri ejus, scilicet ex illius peccato necessitas moriendi consecuta est ipsi ut & nobis qui non solum potestate sed & necessitate morimur.

Verum hæc Adami immortalitas ei concessa fuerat a Deo per gratiam, ut docet August. lib. 6. de Genesi ad literam c. 25. *Illud quippe*, inquit, *ante peccatum & mortale secundum aliam & immortale secundum aliam causam dici poterat*, *idest mortale quia poterat mori*, *immortale quia poterat non mori*. *Aliud est enim non posse mori*, *sicut quasdam naturas immortales creavit Deus*, *aliud est autem posse non mori*, *secundum quem modum primus creatus est homo immortalis*, *quod ei præstabatur de ligno vitæ*, *non de constitutione naturæ.... mortalis ergo erat conditione corporis animalis*, *immortalis autem beneficio corporis*. Quod idem tradit sanctus Doctor lib. de corrept. & grat. cap. 12. & lib. 22. de civit. Dei capite ultimo.

Quæres 1. quid sit justitia originalis.

Respondeo 1. Justitia originalis, si spectatur nominis Etymologia, nihil aliud est quam rectitudo homini primitus data in ejus ortu & origine; id satis superque intelligitur.

Respondeo 2. variam esse justitiæ originalis acceptionem apud Theologos. Sunt enim qui justitiam originalem distinguunt a gratia sanctificante, fatentes Adamum fuisse creatum cum justitia originali, juxta illud scripturæ, *fecit Deus hominem rectum*, id est justum; secus vero de gratia quam non habuit nisi postquam positus est in paradiso terrestri. In hac sententia gratia sanctificans non fuit formaliter ipsa justitia originalis, sed ejus præcipua & præstantissima portio. Volunt illi justitiam originalem positam esse in rectitudine quadam tum corporis tum animæ, ratione cujus primus homo poterat ea quæ sunt ordinis naturalis facile adimplere: ita Hugo Victorinus, Alexander Halensis, Scotus, & quidam alii.

Sed communior Theologorum sententia est justitiam originalem a gratia sanctificante non esse distinctam; unde mox ostendimus Adamum quem constat in ortu suo fuisse rectum, in gratia sanctificante fuisse creatum. Unde consequens est justitiam originalem dici non de-

debere positam in eo quod pars animæ superior Deo perfecte subjiciatur, tum vero in eo quod partes hominis inferiores superioribus subjaceant; hæc enim & alia similia diximus justitiæ originalis privilegia, non ipsam justitiam originalem.

Quæres 2. utrum justitia originalis fuerit primo homini naturalis.

Respondeo 1. aliquid dici posse naturale dupliciter; 1. Naturale dicitur quod homini inest ab ortu & nativitate, quanquam cum ejus natura & proprietatibus non sit essentialiter conjunctum, quo sensu dicimur ab Apostolo *natura filii iræ*.

2. Naturale dicitur quod naturæ ei conjunctum est ipsique necessario debitum vel tanquam pars essentiæ vel tanquam ejus proprietas, quo sensu sciendi libido est naturalis homini. His positis quæstio non est utrum justitia originalis fuerit primo homini naturalis priori sensu mox exposito. Sed ambigitur utrum hæc fuerit naturalis, hoc est non supra ejus naturam posita, donum minime supernaturale sed debitum.

Respondeo justitiam originalem, non solum ea parte qua gratiam comprehendit, vel ipsa est gratia sanctificans, (eatenus enim eam fuisse supernaturalem certissimum est;) sed quatenus consistebat in perfecta subjectione animæ ad Deum, & partis inferioris in homine cum parte superiori, esse supernaturalem.

Quia, cum homo compositus sit ex carne & spiritu, quæ naturaliter pugnantes inter se inclinationes habeut, quia caro fertur in bonum sensibile, spiritus in bonum spiritale, certe naturalis censeri debet pugna carnis cum spiritu: adeoque beneficium, quo impediebatur in homine innocente ejusmodi pugna & rebellio, reputari debet indebitum & supernaturale. Quapropter si perfecta illa corporis subjectio ad animam, & appetitus sensitivi ad rationem naturalis fuisset homini, utique in eo remansisset post peccatum; quælibet enim naturalia remanserunt. Quapropter hanc propositionem inter Baianas vigesimam septimam condemnarunt summi Pontifices S. Pius V. & Gregorius XIII. *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

Quænam gratia in statu naturæ innocentis necessaria fuerit Adamo ad bene agendum & perseverandum.

Supponendum est primo, quod in hujusce Tractatus decursu demonstrabimus, homini tametsi constituto in statu gratiæ habitualis, necessariam esse insuper gratiam aliquam actualem ad bene agendum, *sicut enim*, inquit S. Augustinus lib. de natura & gratia c. 26. *oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere, sic & homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.*

Deinde revocanda est in memoriam allata divisio gratiæ actualis in sufficientem & efficacem. Sufficiens, qualem mox dicturi sumus datam Adamo in statu naturæ innocentis, ea est gratia quæ sola sufficit ad bene agendum, ita ut præter illam alia non requiratur gratia fortior & uberior, quo sensu dari nunc gratiam sufficientem in hoc nimirum statu naturæ lapsæ contendit Molina, ut supra monuimus explicando divisionem gratiæ in sufficientem & efficacem. Gratia efficax est ea quæ per se infallibiliter, & insuperabiliter movet voluntatem, suumque semper habet effectum: prior gratia dicitur a S. Augustino *adjutorium sine quo*, quia sine eo homo non potest agere, & cum quo agere potest, si velit; posterior autem gratia dicitur *adjutorium quo*, quia dat ita homini agere, ut cum eo semper & infallibiliter agat.

His positis quæritur quodnam genus gratiæ actualis necessaria fuerit Adamo in statu naturæ innocentis ad bene agendum & perseverandum, an satis ei fuerit habere gratiam versatilem & sensu mox adducto sufficientem? an vero necesse ei fuerit habere gratiam per se efficacem, qualem asseremus necessariam ad quodlibet bonum opus in præsenti naturæ corruptæ statu.

Duplex est super ea re Theologorum opinio.

Prima est Thomistarum qui contendunt in illo statu naturæ innocentis, uti & in isto, necessariam fuisse gratiam efficacem. Scilicet eo titulo & nomine gratiam ejusmodi putant necessariam ad bene agendum & perseverandum, quod creatura essentialiter in agendo dependet a causa prima, de se indifferens est & indeterminata, & consequenter a Deo determinari debet, in quocunque statu tum naturæ innocentis, tum naturæ lapsæ. Putant illi Theologi talem gratiam efficacem agere physice, voluntatem physice applicare & prædeterminare.

Altera sententia est aliorum omnium Theologorum, & in quo etiam consentiunt Molina & Jansenius Iprensis, qui sedulo & accurate post sanctum Augustinum distinguentes statum naturæ innocentis a statu naturæ lapsæ, dicuntur primum hominem in statu naturæ innocentis constitutum non indiguisse ad bene agendum & perseverandum gratia per se efficaci, seu adjutorio quo; sed satis ei fuisse habere gratiam sufficientem, hoc est gratiam quæ nonnisi a cooperatione voluntatis humanæ suam acciperet efficaciam. Hoc gratiæ genus appellant cum S. Augustino adjutorium sine quo, vel auxilium possibilitatis quia eum eo potuit Adamus perseverare, non auxilium actionis quia non perseveravit: hæc eadem fuit gratia, quæ concessa fuit Angelis, antequam alii caderent, alii vero confirmarentur in bono, ea bene utentes boni Angeli re ipsa perseverarunt, male autem utentes mali Angeli ceciderunt & non perseverarunt; huic sententiæ nos etiam subscribimus.

CONCLUSIO.

In statu naturæ innocentis non indigebat primus homo gratia per se efficaci, seu adjutorio quo.

Probatur autoritate S. Augustini, cujus fundatissima fuit hæc doctrina in systemate gratiæ, primum hominem per vires liberi sui arbitrii nondum per peccatum labefactati potuisse bene agere; adeoque & fidem, & dilectionem Dei, & ipsam perseverantiam ab eo sic potuisse per arbitrii libertatem fieri; ut illa non haberet per gratiam efficacem; cum econtra lapsus homo nonnisi speciali gratiæ Christi dono adjutus quidquam boni faciat. Illud potissimum tradit sanctus Doctor lib. de corrept. & grat. Sic enim cap. 10. *Quapropter saluberrime confitemur, quod rectissime credimus Deum ..... sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset gratiæ suæ beneficium, justitiæque judicium. Denique Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugæ facti sunt ..... cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt...... sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis futuri sui casus ignarum; tamen ideo beatum, quia & non mori & miserum non fieri in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset.*

Cap. 11. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? immo vero habuit magnam sed disparem ..... istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam*

vel.

vellet esse malus, sed sane habuit, in qua si permanere vellet nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia quam reliquit in ejus libero arbitrio .... tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum, dederat adjutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet, ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet; quia non deerat adjutorium per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet.

Cap. 12. *ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit; nam sine alimentis non possumus vivere: nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vero beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit; quia & si data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus, & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta vero non consequenter faciunt ut homo vivat, sed tamen sine illis non potest vivere. Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret & ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non potest. Nunc vere Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.*

Denique & in confirmationem hujus systematis apertissimum est quod scribit sanctus Doctor libro de Dono persever. cap. 7. ubi loquens de gratia qua perseveratur, sic disserit. *Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii quales nunc sunt: fuerat in homine, antequam caderet.* In quibus locis habetur.

1. Eandem fuisse gratiam Angelis & primo homini datam, Angelos vero per liberum arbitrium stetisse.

2. Disparem fuisse gratiam quæ tunc Adamo erat necessaria, & quæ nunc sanctis post peccatum datur.

3. Aliud esse adjutorium sine quo, & aliud adjutorium quo; prius fuisse datum primo homini innocenti, posterius dari hominibus in statu naturæ lapsæ.

4. demum, docet passim Augustinus bene agere, & perseverare, fuisse in potestate hominis, in libero hominis arbitrio antequam caderet: unde nemo, ut opinor, nisi cæcutire velit, negare potest hanc constantem fuisse S. Augustini doctrinam, Adamum in statu naturæ innocentis non indiguisse gratia efficaci ad bene agendum & perseverandum.

His sancti Augustini testimoniis quanquam ad hoc nostrum systema stabiliendum validissimis, nonnihil tamen, sed meo quidem judicio maxime frivolum respondent Thomistæ. Ajunt videlicet mentem sancti Augustini non esse utriusque status discrimen collocare, in eo quod in statu naturæ innocentis necessarium solummodo fuit adjutorium sine quo, & in statu naturæ lapsæ necessarium est adjutorium quo; sed potius in eo quod supposita necessitate adjutorii quo seu gratiæ efficacis pro utroque indiscriminatim statu, requiritur in præsenti statu naturæ lapsæ adjutorium fortius & vegetius, quod sufficit ut stabiliatur discrimen utriusque status.

Respondeo gratis! & contra apertissima sancti Doctoris testimonia confictam fuisse ejusmodi evasionem. Clarum est enim ex locis adductis illum distinguere adjutoria utriusque status, non modo quod unum sit altero fortius, sed quod unum appellat adjutorium sine quo, alterum vero appellat adjutorium quo, cap. 12. supra citato: *ipsa adjutoria distinguenda sunt, aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit*. Certe nullibi asserit in eo distincta esse illa adjutoria quod unum sit altero vegetius tantum, quasi pro statu naturæ innocentis destinatum quoque fuerit adjutorium quo; sed contra ubique pronuntiat laudatis capitibus libri de corrept. & gratia, in eo disparem fuisse Adami conditionem in utroque statu, quod in statu naturæ innocentis habuit solummodo adjutorium sine quo, post peccatum vero adjutorium quo.

At, inquiunt, stare utique posset utriusque status discrimen, quantumvis necessarium assereretur adjutorium quo pro statu naturæ innocentis; quia nempe hoc adjutorium quo, diceretur necessarium in statu naturæ innocentis propter dependentiam causæ secundæ a causa prima, & necessarium in statu naturæ lapsæ propter corruptionem naturæ.

Sed nos reponimus quæstionem hic non esse utrum stare possit necne aliquod discrimen utriusque status, dicendo necessarium fuisse in utroque adjutorium quo: sed movetur controversia de mente S. Augustini, in quo revera censuerit positum esse discrimen & utriusque status & utriusque adjutorii; est autem luce meridiana clarius mentem S. Augustini esse in hoc distinguere utrumque statum, quod in statu naturæ innocentis necessarium fuerit duntaxat adjutorium sine quo, & in statu naturæ lapsæ necessarium sit adjutorium quo. Quapropter hujus adjutorii quo necessitatem ubique astruit sanctus Doctor ex infirmitate & corruptione naturæ, nusquam vero ex illa, quam allegant Thomistæ, subordinatione & dependentia creaturæ a Deo, de qua ne unum quidem verbum reperias in locis adductis.

Respondent insuper Thomistæ sanctum Augustinum non loqui locis allegatis de quacunque gratia status innocentiæ seu de ea omni quæ necessaria fuit ad perseverandum, sed de illa quæ Adamo & Angelis de facto concessa fuerat, quæ quidem non fuit gratia efficax, non enim perseverarunt, sed solum gratia sufficiens qua poterant perseverare. Quod certe non impedit quominus in illo statu naturæ innocentis necessarium non fuerit auxilium quo, seu gratia efficax ad perseverandum: quæ gratia data fuit Angelis qui perseverarunt, data vero non fuit primo homini qui non perseveravit; & hæc est, inquiunt, vera S. Augustini doctrina in præfato libro de corrept. & gratia.

Verum & hanc evasionem aperte frivolam & ad nutum excogitatam constat aperte ex his momentis.

1. Quia, cum sanctus Augustinus considerat Adamum in statu naturæ innocentis, ait expresse illum non solum non habuisse adjutorium quo, sed & illo tunc non indiguisse adjutorio quo: *Ille non opus habebat eo adjutorio quod implorant isti, cum dicunt, Video aliam legem in membris meis repugnantem &c.* Igitur non solum S. Augustinus loquitur de ea gratia quæ data fuit Adamo, sed de ea quæ ipsi necessaria fuit ad perseverandum; ait enim Adamum in statu naturæ innocentis constitutum, opus non habuisse adjutorio quod nunc imploramus propter concupiscentiam, quod adjutorium est gratia efficax.

2. Quia S. Augustinus hoc adjutorium putat necessarium fuisse primo homini ad bene agendum & perseverandum, quod

quod revera datum est Angelis bonis qui perseverarunt & quo ipsi perseverarunt; eodem quippe modo de Angelis & de homine in statu naturæ innocentis posito loquitur sanctus Doctor; atqui certum est in doctrina sancti Augustini Angelos bonos non stetisse, non perseverasse per gratiam efficacem, per adjutorium quo; centies enim repetit Angelos bonos stetisse per liberum suum arbitrium, quod non dicit quidem per exclusionem cujuscunque gratiæ, sed ut maxime perspicuum est, per exclusionem gratiæ efficacis seu adjutorii quo, cap. 10. ait Deum *sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium*. Et postea ibidem, *cæteri autem*, boni nempe Angeli, *per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt*, cap. 11. *sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi*. Igitur existimabat S. Augustinus hominem quoque in statu naturæ innocentis non indiguisse adjutorio quo, sed potuisse per adjutorium sine quo revera perseverare si voluisset.

3. Demum ait illud adjutorium sufficiens fuisse Adamo vere, & proprie, ita ut aliud præterea necessarium non esset, quo quidem si privatus fuisset Adamus, jam sua culpa non cecidisset: atqui si præter adjutorium Adamo reipsa concessum ad perseverandum, aliud fuisset necessarium ut actu perseveraret, quo tamen absque ulla præcedente culpa privatus fuisset, jam sua culpa non cecidisset: ergo putabat non aliud adjutorium fuisse Adamo necessarium, quam adjutorium sine quo.

Et certe cum sententia hujus sancti Doctoris de gratia quæ Adamo in statu naturæ innocentis fuit necessaria, & de utriusque status discrimine, cohærere & conciliari non posse prædeterminationem physicam quam admittunt Thomistæ, sic paucis invicte tamen demonstrari potest.

1. Quia talis est promotio physica Thomistarum, ut suum semper & infallibiliter effectum consequatur, nunquam voluntas illam rejiciat: sed in doctrina S. Augustini adjutorium quo indigebat & quod habuit Adamus in statu naturæ innocentis ad perseverandum, tale erat ut posset habere suum effectum, quem tamen non habuit, quandoquidem Adamus non perseveravit. Igitur de præmotione physica intelligi non potest S. August. contextus.

2. Talis est prædeterminatio Thomistica, ut ea semel posita, semper ponatur actio: sed in mente S. Augustini Adamus in statu innocentiæ opus non habuit illo adjutorio quo ipsa poneretur actio: sed tantum sine quo non potest fieri, non quo ipsa perseverantia donetur, sed sine quo primus homo perseverare non poterat, cap. 12. lib. de corrept. & grat. *datum est adjutorium non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset*. Igitur in mente S. Augustini plurimum inter se differunt illud adjutorium quo indiguit primus homo, & præmotio physica quam ei necessariam putant Thomistæ.

3. Quia totus est sanctus Doctor in locis supra laudatis, ut summam ad bene agendum facilitatem in homine commendet, ad agendum inquam absque fortiori & uberiori auxilio ante peccatum quando nondum labefactatum fuerat liberum ejus arbitrium, contra vero maximam ait nos experiri difficultatem in agendo post peccatum, & ideo majus requiri gratiæ auxilium: hæc fundatissima est ejus doctrina; igitur non putabat in priori illo statu hominem opus habere gratia efficaci, ac proinde præmotione physica.

Doctrinam istam adamussim scriptis suis expresserunt sancti Doctoris discipuli.

puli. Sic S. Prosper resp. ad cap. 8. Gall. ubi cum dixisset nunc post lapsum hominis necessarium esse donum *gratiæ Dei per actus singulos adjuvantis*, ait datam fuisse homini ab initio facultatem bene vivendi per liberum arbitrium, *quia*, inquit, *dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, sed omnes in illo amisimus, in quo peccavimus*. Et lib. contra Collat. cap. 18. *rectum*, inquit, *atque omni vitio carentem creatum esse hominem primum, in quo omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est: eumque tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem Dominum non desereret, posset in bonis quæ acceperat, perseverare quia vellet ... sed ipso libero arbitrio quo quandiu voluit, bonus mansit, a proposita sibi lege defecit*.

Idipsum scribit Petrus Diaconus lib. de Incarnat. & grat. c. 6. his verbis: *Credimus bonum & sine ulla carnis impugnatione a Deo creatore omnium factum Adam magnaque præditum libertate; ita ut bonum facere in propria facultate haberet, & malum si vellet posse admittere*.

Tum vero & S. Fulgentius lib. de Incarnat. & grat. cap. 12. sic habet. *Creatus ergo primus homo de terra terrenus, accepit quidem gratiam, qua posset non peccare, si vellet; nondum tamen tantam acceperat gratiam, qua nec peccare vellet omnino, nec posset*; quæ ipsissima est S. August. doctrina.

Hinc est quod Conc. Arausicanum II. definit. can. 13. *arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum & amissum*; can. 21. *naturam per Adamum perditam*; & can. 25. non debere secundum Scripturas & SS. Patrum definitiones credere, *quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, &c.* Hæc enim supponunt longe disparem fuisse conditionem primi hominis ante lapsum, ab ea in qua post peccatum miserrime jacet; quod videlicet homo tunc poterat per sese suumque liberum arbitrium bene agere cum gratia versatili quam ad nutum flectebat; nunc vero recte non agat nisi victrici quadam & omnipotenti gratia ad agendum applicetur.

Si quis vero percontetur quibus fundamentis innitatur hocce S. Augustini systema de utriusque gratiæ & adjutorii discrimine. Respondeo plurima ab eodem S. Doctore ducta ex sacris litteris, passim proposita fuisse momenta, quæ quidem ad duo potissimum capita referuntur. Primum est, quia homo factus est a Deo rectus, justus, sanus, nullis obnoxius concupiscentiæ motibus; adeoque maxime liber & ad omne bonum expeditus. Unde promptum est inferre in illo felicitatis & rectitudinis statu necessariam non fuisse gratiam quæ fortiter moveret voluntatem. Alterum est, quia juxta easdem Scripturas, venit Christus ut medicus sanare quod ægrotabat, ut Redemptor salvare quod perierat; quo fit ut homo per peccatum supponatur ægrotus & infirmus; adeoque longe majori & fortiori indigeat auxilio ad recte vivendum, quod ante lapsum sanus utique non agebat; quæ enim alimenta & medicamenta ægroto homini necessaria sunt, sano & robusto sunt prorsus inutilia.

Solvuntur objectiones.

Objicies: Eadem est ratio primi hominis in statu justitiæ originalis constituti ac bonorum Angelorum, ut constat ex loco mox citato S. August. e libro de corrept. & grat. atqui docet idem S. Augustinus bonos Angelos qui steterunt, amplius fuisse adjutos, quam qui mala voluntate sua ceciderunt, lib. nempe 12. de civit. Dei cap. 9. his verbis. *Isti autem, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt, mala propria voluntate quam bona natura non fecit, nisi cum a bono sponte defecit*, ut

ut mali causa non sit bonum, sed defectus a bono, aut minorem acceperunt amoris divini gratiam quam illi qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt. Ergo existimavit Augustinus gratia efficaci donatos fuisse bonos Angelos ad perseverandum, adeoque & idem opinatus est de primo homine.

Solent respondere eatenus in mente Augustini bonos Angelos fuisse amplius adjutos, quam malos; quatenus receperunt cognitionem de securitate suæ beatitudinis, quando vita æterna donati sunt in præmium suæ permansionis in bono; non autem in quantum perseverantiæ donum acceperunt potius quam mali Angeli qui ceciderunt. Quam responsionem ex iis confirmant quæ docet idem sanctus Doctor libro præcedenti, ad quem remittit lectorem, nimirum c. 13. verba faciens de Angelis. *Restat ut aut impares fuerint, aut si pares fuerunt post istorum ruinam, illis certa scientia sua sempiternæ felicitatis accesserit*.

Observant illi Theologi, ut penitus intelligatur S. Augustini mens, rem esse altius repetendam: scilicet lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 17. & sequentibus, disputaverat utrum Angeli mali casum suum præsciverint, & utrum boni cognoverint se perseveraturos; hanc quæstionem cum ancipitem ibi reliquisset, eam iterum agitandam proposuit lib. 11. de civit. Dei cap. 13. concluditque in ea hypothesi quod Angeli boni certi nunc sunt de sua beatitudine, alterutrum dicendum esse aut impares conditos fuisse Angelos, aut si pares fuerunt, post ruinam malorum Angelorum bonis certam scientiam suæ beatitudinis accessisse. Denique eandem sibi proponit quæstionem lib. de corrept. & grat. c. 10. ubi ait Angelos bonos certiores factos fuisse de futura sua beatitudine in præmium perseverantiæ in bono, tuncque plene beatos esse, cum antea non magis haberent plenitudinem beatitudinis quam Angeli mali.

Ex illa quæstionum serie colligunt illi Theologi sanctum Augustinum in libro quidem de Genesi ad litteram citato quæstionem præsentem proposuisse, sed eam non solvisse: in Libris autem 11. & 12. de civitate Dei eandem solvisse, sed dubitanter tantum, non affirmative. Denique libro de correptione & gratia assertive pronunciasse Angelis malis proprio libertatis arbitrio cedentibus, alios per idem liberum arbitrium stetisse; non aliam esse S. Aug. mentem probant.

Primo, quia per adjutorium quo bonos Angelos amplius adjutos fuisse docet, illud intelligit de quo solo disputat: sed in libris de civit. Dei disputat non de adjutorio perseverantiæ, sed de eo quo boni Angeli certi facti se nunquam casuros, illud autem est ipsa beatitudo: igitur.

Secundo, S. Augusṫ. loco objecto loquitur de illo adjutorio quod concessum est, postquam omnes Angeli boni æqualiter creati sunt, & ut loquitur lib. 11. cap. 13. *post malorum ruinam*: sed tale adjutorium non est ad perseverandum, alias falsa esset S. Augustini suppositio Angelos omnes æqualiter bonos fuisse creatos.

Verum hæc responsio, quanquam, ut video, a multis usurpetur Theologis, mihi probari non potest.

Primo, quia S. Augustin. scribit hoc loco in objectione proposito amplius adjutos fuisse bonos Angelos, ut ad beatitudinis plenitudinem pervenirent; adeoque per illud adjutorium non intellexit illam scientiam qua certi facti sunt se nunquam casuros; ejuscemodi enim scientia posterior fuit permansione in bono, adjutorium autem de quo loquitur ibi, fuit medium quo quidem in bono

bono permanserunt boni Angeli. Certe de illo adjutorio gratiæ agit S. August. quo Angeli boni in via existentes tanquam medio amplius adjuti pervenerunt ad beatitudinem: sed istud dici non potest de ipsa beatitudine, alias sensus esset Angelis bonis datam esse beatitudinem, qua tanquam medio pervenirent ad beatitudinem; igitur per illud adjutorium non intelligit beatitudinem.

Secundo, quia si per illud adjutorium quo dicit bonos Angelos fuisse *amplius adjutos*, intellexisset Augustinus scientiam & revelationem, qua certiores facti sunt se nunquam casuros, non dixisset in comparativo eos fuisse amplius adjutos, sed absolute & simpliciter illos fuisse confirmatos in bono per illam scientiam, qua omnino caruerunt mali Angeli.

Tertio, quia in eodem contextu loquens Augustinus de malis Angelis quos vult econtra minus fuisse adjutos, minus illud adjutorium appellat minorem gratiam, *aut minorem*, inquit, *acceperunt amoris divini gratiam quam illi qui in eadem gratia perstiterunt*. Ergo in altera parte ubi bonos dicit *amplius adjutos*, non loquitur de scientia qua certi erant se nunquam casuros, sed de aliqua gratia.

Porro quod in confirmationem suæ responsionis adducunt locum citatum ex cap. 13. lib. 11. de civitate Dei, nihil motor; id unum enim probat Augustinus, perfectam beatitudinem consecutos non fuisse bonos Angelos, nisi cum illis certa scientia suæ sempiternæ felicitatis accessit; unde profecto non efficitur eum, per illud adjutorium quo dicuntur *amplius adjuti*, intelligere scientiam beatitudinis.

Quapropter resp. dist. min. docet bonos Angelos amplius fuisse adjutos per gratiam fortiorem, sed tamen ex natura sua versatilem & libero arbitrio subjectam; C. amplius adjutos per gratiam de se efficacem, per ipsum perseverantiæ donum, N. Nil obstat igitur, quominus S. Augustinus, qui gratiam Angelorum & primi hominis distinguebat a gratia status naturæ lapsæ, ut ostendimus, iisdem tamen Angelis diversas in gradu dispares tribuerit gratias; ita ut mali, ut ait, minorem acceperint amoris divini gratiam, boni vero majorem; quæ porro gratia tametsi dispar in bonis, ut & in malis, erat tamen per se & ex natura sua gratia versatilis ad nutum eorum arbitrii; boni enim, ut docet lib. de corrept. & grat. citato, perseverarunt pro viribus liberi arbitrii, quia voluerunt perseverare. His adde S. Augustinum in hocce loco cap. 9. lib. 12. de civit. Dei asseveranter non dicere bonos Angelos fuisse *amplius adjutos*. Hoc enim solum conatur evincere Angelos, præter rectitudinem naturæ, bonam habuisse voluntatem quæ sit Dei gratia, seu fuerint æquales in gratia, seu mali minorem habuerint, seu boni majorem & amplius fuerint adjuti; unde sequitur S. Augustinum obiter & per transennam dixisse bonos Angelos fuisse amplius adjutos in quadam hypothesi quam ipse non approbat.

Suam porro mentem super isto negotio adeo clare expressit sanctus Doctor lib. de corrept. & grat. a nobis adducto, integris capitibus 10. 11. & 12. ut vix intelligam quo tandem pacto istud unum vocabulum ex ore Augustini veluti elapsum, in libro 12. de civitate Dei, tanquam firmissimum suæ sententiæ propugnaculum huc nobis obtrudant Thomistæ.

Instabis: Docet S. Augustinus eodem libro 12. de civitate Dei, bonis Angelis datam fuisse gratiam quæ velle ipsum efficeret, *qui eos*, inquit, *cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis condens naturam & largiens gratiam*. Sed illa gratia est efficax quæ dat velle ipsum, estque bona voluntas, amor castus, charitas ipsa: igitur.

Dist.

Dist. ant. largiens gratiam sufficientem seu adjutorium sine quo, C. gratiam efficacem seu adjutorium quo, N. Hoc unum itaque colligi potest ex isto loco & aliis ejusmodi quæ pene innumera citari possent, Angelis in ipso eorum creationis momento datam fuisse gratiam, sine qua bene agere & perseverare non poterant, quod utique confitemur, sed qualis fuerit illa gratia, clarius nullibi explicat quam libro de correptione & gratia capitibus citatis, ubi dubio procul statuit bonos Angelos per suum liberum arbitrium stetisse, aliis mala sua voluntate cadentibus. Alii enim termini quibus utitur S. Augustinus, ut cum dicit Angelos accepisse a Deo bonam voluntatem, amorem castum, gratiam ad perseverandum &c. significant solum eis datam fuisse gratiam versatilem, libero eorum arbitrio subjectam, adjutorium sine quo perseverare non poterant, non autem gratiam efficacem & adjutorium quo.

Sic vero solvi debet alia objectio quæ petitur ex Conc. in Psal. 2. ubi docet S. Augustinus Angelos, quos ibi cœlos appellat, fuisse a Deo firmatos, & firmatos in virtute; sensus est enim illos fuisse firmatos in virtute per adjutorium quo, seu per ipsam perseverantiam.

Objicies id quod habet S. Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 2. ubi loquens de Angelis; *profecto cognoscitur*, inquit, *uniformi cunctos opprimi potuisse ruina consortio, nisi quos vellet a casu pravitatis virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari depravarive non posset*. Et cap. 3. *ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria, quia non alia stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare; una est in utroque gratia operata; in hoc ut surgeret, in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur*. Ex quibus sic argumentor: Ille nullum apposuit discrimen inter gratiam utriusque status, qui dicit eandem fuisse Angelorum gratiam quæ Angelos a ruina custodivit, & quæ lapsum hominem reparavit: atqui S. Fulgentius docet, &c. ergo.

Dist. min. docet S. Fulgentius eandem fuisse gratiam generice, C. specifice, N. Scilicet id unum voluit Fulgentius necessariam fuisse Angelis gratiam aliquam supernaturalem ut stare possent; quemadmodum est necessaria quædam gratia homini lapso ad resurgendum; sed neutiquam docet eandem specie fuisse datam utrisque gratiam, quasi data fuerit Angelis gratia per se efficax, sicuti hominibus necessaria est in statu naturæ lapsæ; nam utriusque status discrimen apertissime distinxit tum loco a nobis superius citato, tum lib. 3. de verit. prædest. cap. 15. his verbis. *Liberum vero humanæ mentis arbitrium in primo homine rectum creatum est, non tamen sine adjutorio gratiæ, talis utique gratiæ, qua posset si vellet in eadem rectitudine permanere, & a qua posset, si vellet, aversa voluntate discedere. Nunc autem in unoquoque homine gratia præveniens operatur, ut libertas arbitrii corrigatur*. Hæc certe ipsissima est doctrina quam tradit S. Augustinus libro de correptione & gratia toties citato.

At, inquies, Fulgentius tribuit Angelis gratiam quæ suum habuit effectum: ergo eis tribuit gratiam efficacem.

Dist. ant. quæ suum habuit effectum vi eorum liberi arbitrii, C. vi gratiæ ipsius quam a Deo acceperunt, N.

Objicies: istud systema hoc nititur fundamento, videlicet gratiam per se efficacem ex sola naturæ corruptæ conditione esse necessariam: sed istud principium est manifeste falsum: si quidem Christus qui sanam habuit naturam, indiguit tamen gratia per se efficaci etiam juxta mentem S. Augustini, qui lib. de prædest. Sanct. cap. 17. docet Christum esse prædestinationis nostræ præ-

præclarissimum exemplar, unde merito infertur ipsum uti & nos opus habuisse adjutorio quo seu gratia efficaci.

Nego min. ad cujus probat. nego antecedens, nimirum Christum opus habuisse gratia per se efficaci; in Christo enim nulla fuit concupiscentia per gratiam ejusmodi vincenda. Eo autem sensu fuit prædestinationis nostræ exemplar, in mente S. Augustini loco citato, quod sicut per bona opera prævia non meruit unionem hypostaticam, ita nec fidem quæ prima est gratia, per prævias bonas dispositiones mereri possumus, quod unum ibi dedita opera vult ostendere S. Doctor adversus Massilienses.

De statu naturæ puræ, an sit possibilis.

STATUS naturæ puræ, de cujus possibilitate impræsentiarum movetur quæstio, is est in quo homo constitutus nihil baberet naturæ superadditum, quod ad naturam præcise spectatam non attineret; adeoque nullam gratiam, nullumque peccatum; sed haberet omnes perfectiones & imperfectiones quæ naturam ipsam consequuntur, ac proinde intellectum, voluntatem, appetitum sensitivum, nonnullam carnis adversus spiritum rebellionem; tum famem, sitim, cæterasque corporis miserias experiretur, ac denique mortalis esset.

Atque juxta hanc status naturæ puræ definitionem, proposita quæstio intelligi debet; ideo enim plerumque super ista re intemperantius effusi sunt utriusque partis scriptores, quia ipsum controversiæ punctum non attigerant, nec in præcisa status naturæ puræ notione sistebant.

Hinc sequitur, eos qui contendunt statum naturæ puræ non esse possibilem, frustra omnino & incassum innumera congerere momenta, quibus probare conantur hanc, quam experimur libidinem & proclivitatem ad malum necessario præsupponere peccatum cujus sit pœna & ultio; neque enim in illo statu naturæ puræ par & similis fuisset concupiscentia, non eædem animi ægritudines quales post peccatum experimur; sed ii solum excitati fuissent motus partis sensitivæ, qui præcise ad naturam hominis pertinent.

Hinc vero ex altera parte colligitur, eos qui statum naturæ puræ docent possibilem, nihil omnino efficere, cum multis & Scripturæ & Patrum testimoniis ostendunt indebitam & minime naturalem fuisse eam naturæ integritatem in qua conditi sunt primi parentes; siquidem alii non pertendunt naturæ hominum debitam ejuscemodi justitiam seu integritatem, sed aliam longe inferiorem. Quamobrem nostra hæc controversia intelligi debet de statu naturæ puræ juxta præfatam definitionem acceptæ, prout nempe natura constitueretur præcise, & ut ajunt, in puris naturalibus, nihil perfectionis habens, quæ ad naturam hominis non pertineret. Et quæritur an ejuscemodi status sit possibilis.

Porro qui statum naturæ puræ possibilem non esse docent, diligenter observant aliquid esse possibile duobus modis, 1. habita ratione solius omnipotentiæ divinæ, 2. habita ratione cæterorum Dei attributorum; quædam enim, si ad omnipotentiam Dei respiciatur, sunt possibilia, quæ possibilia non sunt quia pugnant adversus alia Dei attributa; sic non repugnat ex parte omnipotentiæ divinæ produci a Deo habitum erroris vel intemperantiæ, nihilominus id implicat ex parte summæ Dei veracitatis & bonitatis. Jam vero, inquiunt, status naturæ puræ est quidem possibilis ex parte divinæ omnipotentiæ, quia non est connexio necessaria inter humanam naturam & dona naturalis ordinis indebita; sed possibilis non est habita ratione cæterorum Dei attributorum, ejus nempe justitiæ, providentiæ, bonitatis.

Om-

Omnium fusissime in hujusce status possibilitatem scripsit Jansenius Iprensis Episcopus in secunda parte famosi sui de Gratia operis, ubi nempe totus est, ut hunc statum ostendat providentiæ, justitiæ & bonitati Dei contrarium; tum vero ex una parte Manichæis & Pelagianis aperte faventem; atque ex altera S. Augustini principiis & doctrinæ manifeste adversantem:

Ante Jansenium idem docuerat Michael Bajus Doctor & Cancellarius Lovaniensis, vir cæteroquin spectatæ probitatis atque doctrinæ; qui nonnullas in libro de prima hominis justitia emisit propositiones, e quibus manifeste sequitur impossibilem esse statum naturæ puræ, ut videre est infra; cum referemus Bullas Pii V. & Gregorii XIII. hos secuti sunt e nostris doctissimus Sambovius e Societate Sorbonica Doctor & Professor Theologus & alii Theologi; cui sententiæ nos cum aliis Theologis vehementer adversamur.

CONCLUSIO.

Status naturæ puræ est possibilis.

Primo, quia possibile merito dicitur id omne quod non repugnat, neque ex parte omnipotentiæ divinæ, neque ex parte cæterorum Dei attributorum: atqui status naturæ puræ non repugnat ex parte omnipotentiæ divinæ, ut fatentur adversarii; neque ex parte cæterorum Dei attributorum; ejus nempe providentiæ, sapientiæ, justitiæ & bonitatis, ut patebit ex solutione objectionum: ergo ille status merito dicitur possibilis:

Secundo, ille status est possibilis, in quo quidem homo constitutus id omne sibi proprium vindicaret quod ad naturam humanam pertinet; in quo quicquid deesset & desideraretur, gratuitum est & indebitum; & in quo denique nihil vitii, nihil turpe & inhonestum daretur homini: atqui homo in statu naturæ puræ constitutus, haberet id omne quod ad naturam humanam pertinet, natura humana in eo non esset manca & imperfecta; siquidem homo constaret ex corpore & anima, utraque pars suis instructa esset facultatibus & quidem non vitiatis per peccatum; deinde quidquid in eo desideraretur, gratuitum est & indebitum, indebita est certa quædam & determinata ordinatio ad certum & determinatum finem, puta ad visionem intuitivam Dei, indebita est immunitas ab omni ignorantia veri & difficultate recti; indebita tandem omnium corporis dolorum mortisque depulsio; ac denique in illo statu homo nihil haberet vitii, nihil depravatum, ut fusius ostendetur infra: ergo status naturæ puræ est possibilis:

Tertio, probatur auctoritate S. Augustini, quem præcipuum suæ causæ præsidium falso jactitant adversarii, quippe qui diserte affirmat ignorantiam & concupiscentiam quæ in hoc statu effectus sunt peccati; potuisse cum laude creatoris esse primordia naturæ, lib. 1. retract. cap. 9. loquens de humanis miseriis hæc scribit: *quam miseriam*, inquit; *Pelagiani nolunt ex justa damnatione descendere; negantes originale peccatum. Quamvis ignorantia & difficultas essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus sed laudandus esset Deus, sicut in eodem libro tertio* de libero arbitrio, *disputavimus*.

Sic vero hoc in lib. de libero arbitrio cap. 22. disseruerat. *Sic etiam nunc, si ignorantia veri & difficultas recti naturalis est homini, unde incipiat in sapientiæ quietisque beatitudinem surgere, nullus hanc ex initio naturali recte arguit. Sed si proficere noluerit, aut a profectu retrorsum relabi voluerit, juri meritoque pœnas luet: creator vere ejus ubique laudatur, &c.* Quo quidem testimonio nihil ad rem nostram luculentius desiderari potest; ait enim Augustinus culpandum non fore Deum, sed

immo laudandum; tametsi ignorantia veri & difficultas recti seu concupiscentia essent a Deo creatore tanquam naturæ humanæ primordia, quo certe concesso manifeste sequitur possibilem esse statum puræ naturæ; in mente enim adversariorum hujusce status impossibilitas ex eo potissimum repetitur, quod foret in homine concupiscentia, seu aliqua ad malum inclinatio non præsupponens peccatum ullum, in cujus pœnam homini fuisset inflicta.

Huic argumento, quod ut gravem difficultatem adversus suum systema sibi objicit Jansenius, nec immerito, respondet 2. part. pag. 394. hypothesim Augustini, qua ponit ignorantiam & concupiscentiam esse primordia hominis naturalia, longissime distare a statu naturæ puræ, qui essentialiter postulat, ut in eo nihil omnino gratiæ sit, nulla charitas, nulla ad supernaturalem statum elevatio: cum hypothesis Augustini in eo statu quo ignorantia & difficultas essent primordia naturalia, universa ista supponat.

Verum hæc responsio, ut puto, merum est effugium, Augustinus enim hominem considerat in duplici hypothesi, scilicet in hypothesi naturæ humanæ existentis, corruptæ nimirum & depravatæ; & in hypothesi naturæ non corruptæ per peccatum, in quo tamen statu foret ignorantia & difficultas recti, quem secundum statum respiciebat tantum ut possibilem; ait enim ignorantiam & concupiscentiam pœnas esse peccati originalis, quod est contra Pelagianos, & quæ hypothesis est de natura humana existente; addit vero etiam non fore culpandum Deum, si ignorantia & concupiscentia essent primordia naturalia, quod est contra Manichæos qui in Deum non in liberum arbitrium peccata referebant, quæ ex concupiscentia oriuntur; quæ hypothesis est de natura humana possibili, & in qua proinde hypothesi considerat hominem in puris naturalibus, antecedenter ad peccatum, & nullis supernaturalibus donis instructum.

Atque divum Augustinum in citato lib. 3. de libero arbitrio abstrahere in sua hypothesi ab ullo præcedenti peccato, contra Manichæos Deum tueri inculpabilem, licet ignorantia & difficultas recti in hypothesi quadam ficta, forent primordia naturæ, manifestum est ex lib. de dono persev. cap. 12. ubi mentem suam ipse explicat his verbis: *Sicut autem nunc, ut ostenderem gratiam Dei non secundum merita nostra dari, secundum utrumque sensum hoc defendere malui. Et secundum nostrum scilicet, qui obstrictos originali peccato parvulos dicimus, & secundum Pelagianorum sensum, qui originale negant esse peccatum. Ita & in tertio libro de libero arbitrio secundum utrumque sensum resisti Manichais, sive supplicia, sive primordia naturæ sint ignorantia & difficultas, sine qu bus nullus hominum nascitur.* Ex quibus palam est in doctrina S. August. potuisse ignorantiam & concupiscentiam esse primordia naturæ citra ullam in Deo culpam, adeoque possibilem esse statum naturæ puræ.

Neque dicas ex illo ipso testimonio libri de dono perseverantiæ manifestum esse S. Augustinum disputasse in citato libro *de libero arbitrio* adversus Manichæos ex hypothesi impossibili, quod fit ut ex illo libro *de libero arbitrio* nullum erui possit argumentum ad probandum status naturæ puræ impossibilitatem.

Vana quippe & frivola omnino esset illa evasio, quia S. Augustinus ait quidem libro de dono perseverantiæ, se in libro tertio de libero arbitrio disputasse adversus Manichæos in hypothesi ficta & falsa ratione facti, non autem in hypothesi impossibili: quod ut melius intelligatur, sciendum est sanctum Doctorem eodem modo & iisdem momentis disputare non potuisse adversus Ma-

Manichæos, quæ usurpabat adversus Pelagianos, quia videlicet diversa erant illorum hæreticorum principia.

Manichæi qui non admittebant peccatum originale, & tamen videbant hominem nascendo miseriis innumeris obnoxium, consequenter docebant Deum esse mali autorem; cum vero integrum vetus testamentum rejicerent, eaque novi Testamenti loca quibus uti solebant Catholici ad probandam peccati originalis existentiam, coactus est S. Augustinus in istos hæreticos argumentari ex ista hypothesi, in qua contendebat Deum non fore mali authorem, nec culpandum etsi ignorantia & difficultas recti essent primordia naturæ.

Pelagiani negabant quoque peccatum originale, sed contendebant miserias hujus vitæ, esse primordia naturalia, & aliunde non rejiciebant Scripturas ut Manichæi; quapropter cum in illos disputat S. Augustinus, Catholicum dogma propugnat ex Scripturis quæ docent Adamum fuisse in gratia & felici statu conditum, unde sequitur infantes nasci in peccato originali; Deus enim foret injustus, si homines nullius peccati reos tot miseriis subjiceret. En argumentatio qua utitur S. Augustinus adversus Pelagianos, longe diversa ab illis argumentis quæ usurpat adversus Manichæos: sed male infertur S. Augustinum insurgere in Manichæos ex hypothesi impossibili, ut mox dictum est.

Quo vero fundamento nonnulli affirment hanc doctrinam retractasse divum August. in Epistola 167. quæ est ad S. Hieronymum, ego quidem non video; id unum enim legitur hac in Epistola S. Augustinum lubenter confiteri se magnis coarctari angustiis, cum agitur de pœnis parvulorum, nec sufficere ad istius difficultatis enodationem quæ scripserat libris de libero arbitrio; sed profecto ibi præfatam doctrinam quæ spectat status naturæ puræ possibilitatem neutiquam retractat.

Probatur 2. autoritate summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. qui nonnullas Baii propositiones, quæ ad præsens institutum spectant, proscripserunt, ejusmodi sunt 21. 23. 24. & 26. in quibus legitur naturalem homini & debitam fuisse illam integritatem, in qua primum creatus & constitutus fuit, sic habet vigesima prima, *humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est*, quod idem in aliis mox citatis reperitur. Ex iis porro sequitur manifeste Deum non potuisse creare hominem non sublimatum & in puris naturalibus, uti nec mortalem, quemadmodum habetur in alia propositione quæ est 78. his verbis: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio*. Est & altera quæ est 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*: quam propositionem condemnare non possunt summi Pontifices, quin simul definiant Deum potuisse ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur, excepto scilicet peccato, ut per se patet; sed ignorantiæ, concupiscentiæ, ærumnis vitæ & morti ipsi obnoxium; adeoque censent statum naturæ puræ esse possibilem.

Solvuntur objectiones.

Objicies: Status ille non est possibilis qui manifeste repugnat providentiæ divinæ: atqui status naturæ puræ manifeste repugnat providentiæ divinæ: postulat enim ratio providentiæ divinæ ut creatura quælibet ad suum naturalem & debitum finem per apta media dirigatur: atqui homo ad suum naturalem & debitum finem non ordinaretur, si constitueretur in statu naturæ puræ; siquidem sola Dei possessio per ipsius visionem & amorem, est finis ultimus naturalis & debitus crea-

tu-

turæ rationali, qualis est homo; ad quem finem non ordinaretur in statu naturæ puræ: ergo status naturæ puræ non est possibilis.

Nego min. ad cujus probat. nego similiter min. & dico fore ut in illo statu naturæ puræ hominem ordinaret Deus ad finem huic statui ipsique homini debitum, qualis foret ille finis: quibus vero mediis obtineretur, nostrum non est inquirere; quandoquidem id pro libero Dei nutu & arbitrio staret, qui cum potuerit animam nostram ut & jumentorum mortalem condere, potuit similiter eam vel ad nullum vel ad quemlibet ordinare finem; bonum scilicet atque honestum.

Ad probationem vero hujus propositionis nego maj. nempe solam Dei possessionem per visionem ejus intuitivam & amorem, esse finem hominis naturalem & debitum; quidquid enim habet rationem gratiæ & beneficii, dici non potest naturale & debitum; atqui ordinatio ad visionem intuitivam & amorem Dei per media huic fini obtinendo proportionata, beneficium foret homini collatum, nullo titulo ipsi debitum, quippe hæc non spectant naturam humanam præcise, hisque detractis manca non esset & imperfecta; ergo possessio Dei per visionem intuitivam & amorem non est finis hominum ultimus, naturalis & debitus.

Vel aliter respondeo & dist. Sola Dei possessio est finis ultimus hominis; Dei quatenus est autor naturæ, C. Dei quatenus est autor gloriæ, N. scilicet in hypothesi etiam quod Deus creare non potuerit hominem sine ordine ad aliquem finem ultimum, is autem finis ultimus sit Dei possessio; dico id intelligi solum debere de possessione Dei ut autoris naturæ, quia nempe concipimus creaturæ rationali, statim atque rationis usum adepta est, inesse naturale desiderium videndi suum autorem; non autem de possessione Dei ut autoris gloriæ, quomodo nobis in præsenti statu comparanda proponitur, qui finis merito dicitur supernaturalis, cum sit omnium bonorum aggregatio perfecta, nec sine indebitis ad illam subsidiis pervenire possimus. Porro nihil repugnat quominus in statu naturæ puræ visio Dei ut autoris naturæ constituatur finis ultimus hominis, quia & ejuscemodi finis est naturalis, & ad illum obtinendum non requirerentur auxilia indebita; sufficeret ratio quæ Deum ut autorem naturæ coleret, indeque dignus foret homo aliqua saltem beatitudine naturali; quippe qui & ratione & libero arbitrio sapienter usus fuisset. Nimirum in illo statu ratio principiis naturalibus æquitatis & justitiæ imbuta, pro imperio suo sic regere posset affectus suos, ut bonum & honestum sectaretur, turpia vero fugeret devitaretque; cum præsertim nullo depravata esset peccato, nullique rebelles concupiscentiæ motus vehementer percellerent animum; unde homo in eo statu constitutus posset aliquam adipisci beatitudinem ad quam esset ordinatus.

Instat Jansenius, & ex innumeris propemodum S. Augustini locis probare conatur ejuscemodi finem naturalem esse fictitium, & creaturam rationalem non posse esse beatam sine clara & intuitiva Dei visione quæ non potest obtineri sine gratia; quæ, quoniam eandem continent difficultatem, eademque & facili solvuntur responsione, strictim & quo adferre potest institutum nostrum, hoc referemus.

Ac 1. quidem objicit nonnulla testimonia S. Augustini, in quibus ait creaturæ principium & finem esse Deum, sine cujus amore illa condi non potuit, sic lib. 1. Confess. cap. 1. *Fecisti nos ad te, & irrequietum est cor nostrum donec requiescat in te.*

2. Inquit, docet passim Augustinus nullum Dei amorem haberi posse solis naturæ viribus, sed per veram gratiam in-

inspirari debere, nullum dari amorem Dei præter illum castum quo Deus propter se diligitur, & quem sola gratia largitur, *Si hoc adjutorium*, inquit lib. de corrept. & grat. c. 11. *vel Angelo vel homini cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent, adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent*. Quæ eadem docet lib. de Spiritu & littera cap. 10. 29. & 30. lib. 2. ad Bonifacium c. 9. & lib. 2. de peccat. mer. cap. 18.

3. Ea objicit Augustini loca, in quibus persæpe asserit omnem amorem vel esse charitatem vel cupiditatem lib. 2. ad Bonif. cap. 9. *quid est*, inquit, *boni cupiditas, nisi charitas?* at charitas diffunditur per Spiritum Sanctum. Ex quibus aperte colligitur visionem intuitivam Dei esse naturalem & debitum hominis finem; adeoque non potuisse a Deo condi in statu naturæ puræ.

Respondeo his omnibus & similibus locis quæ in infinitum adduci possent, mentem S. Augustini esse, hominem non alium habere finem quam visionem Dei, irrequietum esse cor nostrum donec ad Deum pervenerit, nullum esse amorem Dei verum & castum sine gratia, &c. si nempe homo consideretur in præsenti hypothesi, in qua conditus fuit per gratiam destinatus ad beatitudinem supernaturalem per media pariter supernaturalia consequendam; si in præsenti statu, facta nimirum revelatione gratiæ & gloriæ; non autem si consideretur in qualibet hypothesi possibili; qualis est status naturæ puræ. Porro S. Augustinum de homine verba facere spectato in præsenti hypothesi, consequenter ad decretum Dei, quo voluit in creatione hominis illum destinare ad finem supernaturalem, adeo compertum est & evidens, ut nulla fusiori probatione indigeat, mirumque sit Jansenii tot super ista re Augustini loca congerentis otium. Enimvero loquitur Augustinus iis in locis adversus Pelagianos, quibus conatur ostendere amorem Dei castum & verum, donum esse Spiritus sancti, hominem de se nihil boni posse vel etiam cogitare, & alia id genus, quæ passim demonstrat sanctus Doctor ex Scripturis; quis vero eum de hominibus in præsenti statu constitutis sermonem habere, non videt? quibus adde, quod cum data occasione sibi finxit hypothesim status naturæ puræ, uti cum disputabat adversus Manichæos lib. 3. de lib. arbit. jam citato, hanc putat esse possibilem.

Instat præterea Jansenius, ejuscemodi amorem naturalem, qui solis naturæ viribus eliceretur, capitaliter Augustinus & Ecclesia in Pelagio detestati sunt: ergo & nos detestari debemus.

Dist. ant. ejusmodi amorem naturalem qui in præsenti statu utilis foret vel sufficiens ad vitam æternam obtinendam, ut contendebant Pelagiani, C. amorem naturalem in aliquo statu ficto & possibili, qui quidem amor nonnisi ad quandam beatitudinem naturalem comparandam sufficere posset, N. hæc majori non egent explicatione.

Instat iterum: sanctus Augustinus non uno in loco sententiam Philosophorum gentilium magnopere laudat approbatque, qui amorem quo naturæ lumine Deum autorem omnium diligendum esse cernebant, non putabant in homine nasci posse sine magno beneficio & gratia ejusdem Dei; ita lib. 10. de civit. Dei cap. 1. & 2. lib. 8. cap. 5. 9. & 10. atqui gentiles de homine in puris naturalibus considerato sermonem habere, qui nempe de elevatione naturæ humanæ ad finem supernaturalem nihil cognoverunt, exploratissimum est: ergo hanc sententiam approbavit Augustinus, quæ docet hominem in puris naturalibus constitutum non posse ex viribus naturalibus, sed tantummodo ex Dei gratia & inspiratione diligere Deum.

Dist.

Dist. maj. sine magno Dei beneficio intra ordinem naturæ contento, C. sine beneficio supernaturali, N. Verisimile est igitur locutos non fuisse gentiles de gratia Dei supernaturali, quem penitus ignorabant. Verum esto quod nonnullam gratiæ divinæ ad Deum diligendum necessariæ notionem hauserint Platonici, de quibus potissimum loquitur S. Augustinus, iique existimaverint amorem Dei ex infusione & inspiratione proficisci; profecto quid virium habeat istud momentum adversus status naturæ puræ possibilitatem plane non video; isti enim gentiles, ut & ipse Augustinus, non loquuntur in hypothesi qualibet possibili; quo pacto res fiant, non quo fieri possint vel leviter expendunt.

Instabis iterum: sanctus Augustinus passim redarguit Pelagianos, quod dicerent infantes excludi a regno cœlorum, quando ex hac vita sine baptismo discedebant; etiamsi nullo fuissent peccato coinquinati, & in statu naturæ puræ fuissent collocati, ita lib. 1. contra Jul. c. 3. & 7. lib. 6. c. 4. lib. 1. ad Bonif. c. 22. l. 1. de peccat. mer. c. 30. sed immerito illos reprehendisset, si existimasset hominem posse condi sine peccato, & tamen ordinari ad regnum cœlorum, ad visionem intuitivam Dei: ergo sanctus Augustinus existimavit visionem Dei intuitivam, esse naturalem & debitam homini in quacunque hypothesi considerato.

Dist. ant. redarguit Pelagianos, loquens in præsenti hypothesi, C. in quacunque hypothesi, N. scilicet loquitur Augustinus supposita veritate catholica, suppositis Scripturis quæ docent homines non fuisse in statu naturæ puræ constitutos, sed ad beatitudinem per merita Christi obtinendam ordinatos, quod ultro fatebantur Pelagiani; eos vero passim & centies arguit Augustinus quod infantibus denegarent regnum cœlorum, non quod existimaret hoc ipsis naturaliter debitum esse; sed ut manifestam in eorum doctrina notaret contradictionem, quippequi a regno cœlorum rejiciebant infantes, quos nullo dicebant peccato originali inquinatos; immo quos isti hæretici fatebantur habere vitam æternam, eosdem tamen a regno cœlorum excludebant, quam apertam contradictionem Pelagianis sexcenties exprobrat.

Instabis: illud solum est finis ultimus, naturalis, & debitus hominis quo possesso quietatur ejus naturale desiderium, ut enim ait S. Thomas lib. 3. contra gentes, cap. 25. non est aliquis assecutus finem ultimum, quousque naturale desiderium quiescat: atqui non quietatur naturale desiderium hominis, nisi possesso Deo per claram ejus visionem, ut docet idem sanctus Doctor 1. p. q. 12. art. 1. scribens inesse homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum; quod idem fusissime probat lib. 3. jam citato contra gentes c. 5. & cui facile consentiunt alii nonnulli Scholastici, ut Scotus, Durandus, Estius, &c. Ergo sola visio intuitiva Dei est finis ultimus naturalis & debitus hominis.

Dist. min. nisi possesso Deo per claram ejus visionem, aut ut autoris naturæ, aut ut autoris gloriæ, C. ut autoris gloriæ necessario, N. Id unum itaque ex illo argumento colligi pot-st, in omni statu inesse homini desiderium videndi Deum, quod non inficiamur affirmare; neque enim negamus hominem in statu naturæ puræ constitutum, ubi rationis usum fuerit semel adeptus, ex visis Dei effectibus, quodam affici desiderio videndi Deum ut autorem scilicet naturæ; negamus vero inesse homini naturale desiderium videndi Deum clare & intuitive, prout est gloriæ suæ largitor beneficus; id enim sine fide & revelatione homini non est compertum.

Instabis: in illo statu homo non posset esse beatus neque in hac neque in altera vita: 1. in hac vita, quippequi igno-

ignorantiæ, concupiscentiæ, morbis & morti ipsi obnoxius esset. 2. nec in altera vita esset beatus, quia iterum hominis anima erroribus, perturbationibus, & peccato foret obnoxia, quæ profecto cum beatitudine stare non possunt: sed repugnat divinæ bonitati produci hominem, qui nulla beatitudine donari possit: ergo status ille non est possibilis.

Nego maj. nihil enim vetat, quominus homo in illo statu reddatur beatus nonnulla Dei cognitione cui tanquam summo bono conquiescat, utpote qui aliud majus esse ignoret, præsertim si supponatur ei concessam ab omni miseria immunitatem, quod quidem Dei beneficium naturale & bonis ejus operibus naturalis ordinis debitum merito æstimabitur, idque vel in hac vel in altera vita.

Objicies statum naturæ puræ repugnare divinæ justitiæ. Nam implicat Deum justum constituere hominem in eo statu, in quo sit miser sine peccato; *neque enim*, ut docet S. Aug. lib. 1. operis imperf. cap. 39. *sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur, potest*. Atqui in statu naturæ puræ miser esset homo, fame & siti cruciaretur, morbos mortemque subiret, nullo tamen admisso peccato: ergo ejusmodi status pugnat cum divina justitia.

Id porro vel maxime ex eo confirmari potest, quod constans sit S. Aug. doctrina adversus Pelagianos, miserias omnes quibus obnoxii sumus necessario præsupponere peccatum, in cujus pœnam infligantur; sic lib. 4. contra Jul. cap. ultimo: *Quid igitur restat*, inquit, *nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? sed quia nec injustus nec impotens est Deus, restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quod grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset*. Idem vel expressius docuerat lib. 3. cap. 6. *Malum vero*, inquit, *si nullum ex origine traherent, nunquam cum vitiis vel corporalibus nascerentur. Deus enim qui est animarum, ipse est etiam corporum conditor, qui utique humanæ in ipsa conditione naturæ vitia non infligit immerita*.

Adeo vero arctam connexionem habere cum peccato vitæ humanæ miserias putavit Augustinus, ut in hujusce rei confirmationem non dubitet scribere Philosophos gentiles, qui de peccato originali nihil quidquam audiverant, ex miseriis hominum intulisse peccatum aliquod præcedens, cujus causa affliguntur homines; id habemus in lib. 5. cap. ultimo his verbis. *Hujus evidentia miseriæ gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis sive scientes, sive credentes, compulit dicere, ab aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa nos esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus eo supplicio quo Hetrusci prædones captos affligere consueverant, tanquam vivos cum mortuis esse conjunctos*.

Adeo arctam, ut scripserit lib. 2. operis imperf. cap. ultimo, Manichæos, quoniam non admittebant peccatum originale, ne Deum facerent injustum qui miserias istas infligit innocenti, maluisse dicere primam dari aliquam mali naturam, *quas miserias*, inquit, *vos cum sine peccato accidere dicitis parvulis, injustum Deum vere vos facitis, Manichæos autem horribiliter adjuvatis: illi enim ne faciant injustum Deum, istas miserias a nativitate mortalium immutabili naturæ mali, & ab alio principio venienti substantiæ tribuunt tenebrarum*.

Adeo denique arctam, ut l. 1. operis imperf. cap. 25. diserte asserat vel sola ratione ex miseriis petita probari posse peccati originalis existentiam, *quod si probare*, inquit, *idem cogeretur Apostolus, ipsam generis miseriam testem daret;* que

quæ incipit a vagitibus parvulorum & usque ad decrepitorum gemitus pervenit. Nullo enim modo sub cura omnipotentis & justi eadem tam magna miseria naturæ irrogaretur humanæ, nisi in duobus hominibus tota de paradisi felicitate in hanc infelicitatem peccati merito pelleretur. Ex quibus sic confici potest argumentum: ille existimat cum justitia divina pugnare statum, in quo sint miseriæ nullumque præcesserit peccatum, qui passim docet sub Deo justo neminem posse esse miserum nisi meruerit, hisque nostris miseriis velut invicto argumento utitur adversus Pelagianos ad probandam peccati originalis existentiam: atqui Sanctus Augustinus docet passim, &c. ergo.

Dist. maj. si loquatur absolute & in quacumque hypothesi, C. si ex præsupposita aliqua hypothesi, N. porro Sanctus August. ubi hoc argumentum usurpat adversus Pelagianos, quo nempe ex iis quibus obruimur miseriis & calamitatibus, demonstrat existentiam peccati originalis, non loquitur absolute, & in quacumque hypothesi, quasi velit nunquam fieri posse, ut homo constituatur in statu miseriarum sine aliquo præcedenti peccato: sed argumentatur supposito eo quem Scripturæ indicant statu, & ex facta hypothesi, quod homo fuerit creatus in gratia & justitia originali, omnium bonorum accessione cumulatus, ab omni miseria tum animæ tum corporis liber & immunis, ac demum immortalis, ex quo sequitur invictum contra Pelagianos argumentum; miseriæ enim peccatum quod præcesserit necessario subindicant, si supponatur perfecta felicitate donatum fuisse hominem qua exciderit per aliquod peccatum necesse est: en paucis argumentum quod toties contra Pelagianos prosequitur S. Augustinus.

Atque hac facta hypothesi, non autem absolute contra Pelagianos argumentari S. Doctorem constat.

1. Quia miserias quibus genus humanum conflictatur, pœnas esse alicujus peccati probat potissimum ex Scripturis & Traditionis autoritate, non humanis rationibus, uti constat ex l. 1. retract. cap. 9. jam citato, & ex lib. de dono persever. cap. 11. ubi aliter cum Manichæis, aliter cum Pelagianis hac in materia disputandum ait, quod illi Scripturas non admittant, secus vero Pelagiani; idque aperte colligitur ex iisdem omnibus locis quæ objiciuntur, aliisque similibus. Lib. 3. contra Jul. cap. 4. arguit ex cap. 22. Ecclesiast. ejusdem lib. cap. 6. profert cap. 10. & 40. Ecclesiast. alia frequentissime depromit in eam rem Apostoli testimonia, ejusmodi est istud e cap. 5. Epist. ad Rom. *per unum hominem peccatum intravit in mundum, &c.* & istud cap. 6. *stipendia peccati mors*; aliaque id genus.

2. Quia in illis argumentis, quæ ad astruendum peccatum originale congerit Augustinus, hominem considerat in eo statu, in quo eum respiciebant Pelagiani; quantumvis autem isti hæretici nullam admitterent gratiam, nihilominus statum naturæ puræ proprie non admittebant; siquidem hominem ad regnum cœlorum ordinatum esse volebant; hinc cum infantes defectu baptismatis ad regnum cœlorum pervenire non posse faterentur, inde validum suppetebat Augustino argumentum, quo probaret in eorum hypothesi infantes a regno cœlorum non excludi citra injustitiam, si omnis peccati sint expertes; unde sequitur Augustinum argumentatum solummodo fuisse adversus Pelagianos, vel in hypothesi Catholicæ fidei quæ docet hominem primitus fuisse ab omnibus miseriis immunem, vel saltem in hypothesi quam admittebant ipsi Pelagiani, qui fatebantur hominem ad regnum cœlorum ordinatum fuisse.

Instabis: ille existimat absolute necessariam esse connexionem inter hujus vitæ miserias, & peccatum quod præcesserit, qui

qui scribit id etiam intulisse Philosophos gentiles, ratos humanæ vitæ ærumnas ex præcedenti peccato fluxisse : atqui S. August. arguit Julianum negantem miserias esse pœnas præcedentis alicujus peccati, ex eo quod idipsum etiam agnoverunt Philosophi gentiles, ut constat ex lib. 5. c. Jul. cap. mox citato, tum ex lib. 4. cap. 14. ubi Ciceronis profert verba in Hortensio: ergo.

Nego maj. siquidem Augustinus testimonia Philosophorum gentilium huc non arcessivit contra Julianum, velut invictum & demonstrativum momentum ad astruendam peccati originalis existentiam; neque enim S. Doctorem acutissimum fugiebat nullo negotio responsum fuisse a Juliano Philosophos gentiles in illam opinionem falsa hypothesi inductos, qui nempe animam fingebant ante corpus conditam, unde proprio marte hocce argumentum non usurpavit, sed quia Julianus ut suam jactaret scientiam, hos Philosophos in suæ sententiæ patrocinium trahebat, ut testatur idem Aug. lib. 4. c. Jul. cap. 15. *Convocasti etiam*, inquit, *in auxilium turbam Philosophorum, quasi suscepta tua si non possunt pecorum solertiæ naturales, saltem doctorum hominum opitulentur errores. Sed quis non videat doctrinæ te quæsiisse jactantiam in commemorandis nominibus doctorum hominum sectisque diversis, quando perspicit quicunque ista tua legit, ad quæstionem quæ inter nos vertitur, hæc nullatenus pertinere?* hæc propterea a Juliano commemorata Philosophorum placita in ipsum Julianum retorquet, ut eos ostendat propius ad veritatem accessisse, cum vitæ humanæ ærumnas in anteactam animarum vitam revocarunt; *videntur*, inquit ibidem, *non frustra Christianæ fidei propinquasse, qui vitam istam fallaciæ miseriæque plenissimam non opinati sunt nisi divino judicio contigisse, tribuentes utique justitiam conditori a quo factus est & administratur hic mundus. Quanto ergo te melius veritatique vicinius de hominum generatione senserunt*. Quid vero ista ad quæstionem quam modo versamus?

Instabis: non uno in loco docet Aug. Manichæos vinci non posse, quin & vincantur quoque Pelagiani, vinci vero utrosque peccati originalis confessione: ita l. 6. operis imperf. contra Jul. c. 9. *Quid ergo restabit*, inquit, *nisi ut nobiscum intelligas si vis evadere vel superare Manichæum, in occultis originum finibus latenter implicari etiam semina nascentium, & ex mala voluntate venientia merita generantium ... hoc si teneas, Manichæos vinces; quia vero non tenes, utrosque vestrum vincit hæc fides*. Et cap. 14. *Quomodo Manichæo respondes unde sint hæc mala, cum quibus nascuntur homines, & quæ in paradiso non nascerentur, si nemo peccasset*. Tum postea: *Ex quo fit*, inquit, *ut si mortis metum in paradiso posueris ante peccatum, vincaris a Manichæis, qui putant & putari volunt, quod in primo quoque homine misera condita est natura humana*. Atqui si possibilis esset status naturæ puræ, vinci possent Manichæi, tametsi non vincerentur Pelagiani; quia in illa hypotesi etiam abstrahendo a dogmate peccati originalis, ostenderetur Manichæi miserias a Deo bono ut naturæ primordia proficisci posse; nec recurrendum esse ad aliquod primum mali principium, qui fuit hac in parte eorum error: ergo S. Augustinus qui hoc momento persæpe utitur contra Julian. non existimabat possibilem esse statum naturæ puræ.

Dist. maj. docet August. Manichæos vinci non posse quin vincantur Pelagiani, præsuppositis quibusdam propositionibus jam probatis, C. absolute & in quacunque hypothesi, N. Sciendum est igitur qua in occasione & in qua hypothesi hoc argumentum usurpat Augustinus contra Julianum; quod ut melius intelligatur, 1. supponendum est id fuisse hæreseos Pelagianæ caput,

 igno-

ignorantiam, concupiscentiam & miserias, mala esse homini naturalia quibus obnoxium fecit Deus hominem. 2. ad istud debellandum Pelagianorum Systema, dudum & millies probasse August. concupiscentiam esse malam. 3. eos utrinque fateri nihil mali posse a Deo proficisci. Quibus præsuppositis mirum non est si S. August. dicat Pelagianos incidere in Manichæismum; cum enim concupiscentiam dicerent a Deo proficisci, non a peccato originali, inde sequebatur aut eos admittere aliquod principium mali distinctum a principio boni, aut eos dicere Deum esse principium mali, in quo positus erat Manichæismus. Hoc ad verba Augustini & ad seriem ejus disputationis cum Juliano attendenti manifeste liquet; id unum certum est S. August. argumentari in principiis Juliani, ex multis vel ipsi probatis vel ab eo concessis, non autem absolute & in quacumque hypothesi.

Instabis: si S. Augustinus ubi probat Juliano peccatum originale ex miseriis hujus vitæ, argumentatur ex hypothesi quod homo sit creatus in gratia, profecto in illa disputatione petit principium, & supponit quod est in quæstione; nam contendebant Pelagiani hominem nasci sine gratia, uti & sine peccato; pessime igitur argumentatur Augustinus, quod nemo dixerit; ergo S. August. argumentatur absolute contra Pelagianos, non autem ex illa hypothesi quod homo creatus fuit in gratia & justitia originali.

Dist. ant. Petit principium alibi probatum, C. alibi non probatum, N. id itaque in more positum est ut scriptores in concertationibus aliquid supponant, ibique tunc in serie disputationis nihil obrepit vitii; cum illud quod supponitur, vel est concessum ab adversario, vel fuit ipsi antea probatum; neque enim omnia ubique probari possunt; porro hominem primitus fuisse creatum & constitutum in statu gratiæ & felicitatis, dudum probaverat Augustinus contra Pelagianos, scilicet in libris de peccat. meritis, præsertim lib. 1. c. 2. tum vero lib. 4. contra Julianum c. 5. & lib. 5. cap. 4. & lib. 3. operis imperfecti num. 48.

Atque quod diximus de miseriis hujus vitæ, idem & sentiendum est de ignorantia, quam docet passim S. Aug. esse pœnam peccati; & nominatim l. 1. de peccatorum meritis cap. 36. scilicet argumentatur ex hypothesi status, in quo ante peccatum constitutus fuerat primus homo, non autem absolute & in qualibet hypothesi.

Objicies statum naturæ puræ repugnare bonitati divinæ. Siquidem repugnat divinæ bonitati producere hominem cum re aliqua mala, cum peccati causa, cum lege peccati cui obedire non licet, cum vitio culpabili, cum iniquitate, cum desiderio peccati: atqui hæc omnia competunt concupiscentiæ, ut cum Apostolo passim docet S. August. nam lib. 3. c. Jul. cap. 13. probat concupiscentiam esse malam, non solum in excessu, ut confitebatur Julianus, sed in genere suo & specie; cap. 20. ait eam esse vulnus naturæ inflictum, morbum inimicum, malum quid & causam peccati; lib. 4. cap. 8. probat ex professo eam non esse bonam, quia incitat ad mala desideria; cap. 9. ait eam esse vitium naturale; lib. 5. cap. 4. eam vocat iniquitatem.

Sic vero loquitur S. Aug. consentanee ad doctrinam S. Pauli, qui Epist. ad Romanos c. 7. concupiscentiam appellat peccatum: *si quod nolo*, inquit, *malum hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. Et postea, *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati*. Igitur Deus non potest condere hominem cum concupiscentia: proinde repugnat status naturæ puræ.

Dist. min. hæc omnia competunt concu-

cu-

cupiscentiæ, qualis est in præsenti statu, C. qualis foret in statu naturæ puræ, N. manifestum est S. August. his locis loqui de concupiscentia qualem experimur in præsenti statu, post peccatum, quæ nempe pœna peccati est, vulnus naturæ inflictum per primi hominis noxam, ac veluti morbus quidam & infirmitas ex Adami lapsu superstes, quam concupiscentiam hoc sensu acceptam, malam esse nemo Catholicus inficiari potest; siquidem mala identidem parit desideria, voluntatem ad malum & pravos actus inclinat, motusque tandem excitat qui vel in justis Deo displicent, nosque pudore suffundunt; sed non ita sentiendum est de concupiscentia qualis foret in statu naturæ puræ, quæ posita nimirum esset in facultate appetitiva præcise, non læsa, non vitiosa, sed mera potentia naturæ animali conjuncta, quæ necessario resultat ex corpore & anima unitis; quod quidem observatione dignissimum est, immerito enim supponunt adversarii eandem fore concupiscentiam in statu naturæ puræ ac in statu naturæ lapsæ.

Hic porro non examinamus quo sensu concupiscentia, qualem apud nos experimur, reputatur mala & dicitur peccatum ab Apostolo, rem nimirum alibi fusius tractaturi, satis sit ad præsens nostrum institutum observare concupiscentiam quæ foret in statu naturæ puræ, malam non esse & malignantis naturæ, uti & concupiscentiam qualem experimur in præsenti statu naturæ lapsæ; quæ tamen concupiscentia, ut ajunt Theologi, non est peccatum, nisi accedente voluntatis consensu, talis autem nominatur, vel quia est a peccato, peccati pœna, vel quia ipsa ad peccatum inclinat.

Instabis: in statu naturæ puræ foret lucta carnis cum spiritu, pars inferior identidem motus excitaret superiori parti seu rationi contrarios: adeoque cum lege divina pugnantes: sed ejusmodi concupiscentia mala est eadem ratione qua passim docuit August. contra Julianum concupiscentiam esse malam in præsenti statu; namque non alia ex causa voluit Augustinus concupiscentiam esse malam in præsenti statu, nisi quia incitat ad peccatum, est fomes peccati, parit mala in corde desideria: non quod ipsa per sese vitio vertatur, sitque peccatum; ergo qua ratione concupiscentia mala est in præsenti statu, eadem plane mala foret in statu naturæ puræ.

Dist. maj. per accidens & contingenter, C. per se & necessario, N. revera forsan per accidens & contingenter foret in statu naturæ puræ lucta carnis cum spiritu, quia forte excitarentur nonnunquam motus vel etiam pudendi; quibus homo pro suo libero arbitrio consentire posset; sed non foret per se & necessario ejusmodi lucta carnis cum spiritu, uti postmodum contigit in statu naturæ lapsæ. Quapropter inter utrumque statum id esset discriminis, quod in statu naturæ puræ posset esse lucta carnis cum spiritu; in statu vero naturæ lapsæ necessario sit ejusmodi lucta. In illo concupiscentia mitior foret vel etiam indifferens, hominem indifferenter ad licita & illicita provocans, in isto concupiscentia vehemens est & infruita libido rationem impotenter antevertens. In statu demum naturæ puræ concupiscentia foret defectus quidam naturalis, quales apud nos sunt morbi corporis; sed in statu naturæ lapsæ concupiscentia defectus est moralis, morbus est animi qui velut habitus vitiosus de se inclinat ad peccatum.

Ex quibus sequitur nos cum Juliano non consentire, cum dicimus concupiscentiam posse esse a Deo in statu naturæ puræ. Julianus enim loquebatur de concupiscentia qualem experimur hoc in præsenti statu naturæ corruptæ quam tamen negabat ex genere suo malam & vitiosam, in quo errabat turpiter impugnaturque ab Augustino.

De

De existentia & necessitate Gratiæ.

IN ordine ad varios & diversos actus morales considerari solet necessitas gratiæ. 1. Quæritur an gratia sit necessaria ad veritates cognoscendas. 2. Utrum necessaria sit ad credendum, ita ut etiam initium fidei sit gratia proprie dicta. 3. Quæritur utrum sine fide & gratia Dei homo possit facere bonum opus morale ordinis naturalis. 4. Utrum homo possit superare tentationes sine gratia. 5. Quæritur utrum gratia necessaria sit ad diligendum Deum super omnia. 6. Utrum necessaria sit ad servanda præcepta. 7. Utrum ad hoc requiratur ut homo abstineat ab omni peccato. Denique utrum necessaria sit ad perseverandum in bono, ubi & examinatur an perseverantia sit speciale donum. Quibus priusquam faciam satis, operæ pretium mihi facturus video, si nonnulla præmisero de Pelagianis & Semipelagianis Christi gratiæ juratis hostibus.

De Pelagianis.

PElagiani ortum & nomen suum traxere a Pelagio; is fuit natione Brito, professione Monachus, secta vero Christianus. Philosophicis ac Theologicis rebus eum apprime excultum satis indicant nonnulla fragmenta quæ supersunt in scriptis S. Augustini: ingenio fuit acutissimo & facundia non vulgari, inquit idem S. August. lib. de nat. & grat. c. 35. cujus tamen, injuria puto, stilum elinguem & putidum ridet Hieronym. præf. in libros dialog. Quod spectat ad ejus mores, l. 3. de peccat. meritis cap. 1. vocat illum Augustinus virum sanctum & non parvo profectu Christianum, cap. 3. bonum ac prædicandum virum, virum egregie Christianum.

In hæresim lapsus est Pelagius jam factus senex, ut colligitur ex Epistola Isidori Pelusiotæ quæ est 314. lib. id innotescere cœpit circa an. 405. quo anno scripsit Epistolam ad Paulinum in qua suæ doctrinæ non mediocrem injecit suspicionem. Quo vero facilius perversam fidem suam spargeret peragratis Ægypti monasteriis Romam venit, ubi cum quidam Episcopus ea commemorasset Augustini verba ex libris Confess. petita, *da quod jubes & jube quod vis, Pelagius ea ferre non potuit, & contradicens aliquanto vehementius, pene cum eo qui ea commemoraverat, litigavit*; ut refert August. lib. de peccato orig. cap. 8. & 21.

In propalando errore suo duos sibi potissimum discipulos & commilitones accivit Celestium & Julianum. Celestius a quo & Pelagiani teste S. August. hæresi 88. appellabantur Celestiani, fuit & Monachus acerrimi ingenii ex eodem August. lib. 2. ad Bonif. cap. 3. Julian. in Apulia natus ex illustri genere, Memoris Episcopi Capuani filius, a puero fuit S. August. charissimus, cujus ingenium acre, singularem in sacris litteris eruditionem, miramque in dicendo facundiam abunde testantur fragmenta quæ in operibus August. respersa sunt; nondum ætate provectior ordinatus fuerat Episcopus Eclanensis in Italia; is fortiter pro Pelagio ejusque erroribus dimicavit, speciem non mediocris pietatis gerens, eleemosynas erogans manu liberali, cunctos & nobiles & religiosos viros partibus suis illigans, ut testatur Gennadius.

Ut redeamus ad Pelagium, Roma capta per Barbaros an. 410. Pelagius una cum Celestio in Africam diffugit, mox vero relicta Carthagine secessit in Palestinam. Interea Carthagine commorans Celestius, ibique pertinacius errores suos disseminans damnatus est & ab Ecclesiastica communione pulsus in Concilio Carthaginensi sub Aurelio ejusdem urbis Episcopo, is propterea secessit in Siciliam, ubi & hæretica sua dogmata dis-

disseminavit. Anno 413. e Sicilia in Orientem reversus scripsit Epistolam ad Demetriadem, in qua suos errores prodidit apertius: quo quidem anno S. Augustinus librum edidit de natura & gratia, ut librum Pelagii de natura hominis impugnaret. Circa idem tempus scripsit S. Prosper insignem Epistolam ad Demetriadem, tresque libros Dialogorum adversus Pelagianos composuit Hieronymus.

Anno 415. habita est Synodus Diospolitana, cui præfuit Eulogius: adfuere quatuordecim Episcopi, quorum refert nomina S. Augustinus lib. 1. contra Jul. cap. 5. Heros & Lazarus ambo Gallicani in Palestinam profecti fuerant, ut Pelagii condemnationem promoverent; sed cum in itinere eorum alter gravi morbo detentus fuisset, suæ accusationis libellum ad Eulogium Cæsariensem miserunt. Stitit se Concilio Pelagius, tum æquivocationibus accusationes Episcoporum eludens, ficteque dogmata sibi objecta condemnans homo versipellis, in omnibus Catholicus dimittitur. Cæterum huic Concilio non aderat Paulus Orosius Presbyter Hispanus, qui ad Augustinum ab Hispaniæ finibus venerat, ut ipse testatur Augustinus lib. de gestis, cap. 16. An vero istius Orosii sit liber qui inscribitur *Apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate*, jam multis expendere instituti nostri ratio non postulat.

Anno 416. duo habita sunt Concilia contra Pelagium, alterum Carthaginense, alterum Milevitanum; in utroque Pelagii & Celestii placita proscripta sunt. In Carthaginensi cui præfuit Aurelius & interfuerunt 98. Episcopi, cum Orosius obtulisset litteras Herotis & Lazari, tum & gesta Palestinæ Synodi, nefariæ Pelagianorum doctrinæ anathema pronuntiarunt Episcopi, ut constat ex Epistola Synodica quam miserunt ad Innocentium I. summum Pontificem & quæ nunc extat inter Augustinianas 175. idem præstiterunt Patres Milevitani, extat eorum Epistola Synodica apud August. 176. His Africanorum Præsulum constitutionibus Innocentius Papa ultro subscripsit, ut apparet ex ejus rescriptis ad eosdem Episcopos.

Interea nullum non moverunt lapidem Pelagius & Celestius, ut fidem suam ab omni hæreseos suspicione liberarent: Celestius Constantinopoli ejectus ab Attico Romam se contulit, ibique ad Zosimum Innocentii successorem querimonias detulit de accusatoribus suis Herote & Lazaro, ipsique libellum fidei obtulit, professus apud summum Pontificem paratum se omnia emendare & amplecti sincere quæ ipsi visa fuerint. Celestium vere Catholicum credens Zosimus ad Aurelium cæterosque Africanos Episcopos rescripsit duriorem Epistolam, in qua eos acriter perstringit, quod re non satis maturate ponderata Celestium condemnaverant: ista constant ex ejusdem Zosimi litteris, & ex lib. de peccato originali capitibus 6. 7. & 8. Ex altera parte Pelagius Epistolam misit ad Innocentium, quæ reddita est Zosimo, quoniam fato functus erat Innocentius, fidei suæ libellum adjunxit, qui apud veteres modo sub nomine Symboli expositionis ad Damasum factæ a S. Hieronymo, modo vero inter sermones S. Augustini de tempore recensetur 191. est tamen vere libellus a Pelagio compositus, ut ex eo facile colligitur, quod quæcunque ex eo citantur a S. Aug. lib. de gratia Christi cap. 32. & lib. de peccato orig. cap. 21. ea omnia habentur iisdem verbis in hoc opere, unde velut suppositum Augustino in Appendice collocarunt ad pag. 388. doctissimi Benedictini, quod dubium reliquerant Lovanienses. Hoc in libello multa sunt artificiose contexta quæ virus Pelagianum tegunt, tametsi sensum præseferant Catholicum.

Acceptis Zozimi litteris Synodum coe-

coegerunt Africani Præsules numerosissimam, ex qua rescripserunt summo Pontifici, eum enixe rogantes ut nihil de Sententia in Pelagium & Celestium lata immutaret, ne fidei Catholicæ damnum inde maximum emergeret, quippe qui credulas nimis aures præbuerat Celestio. His vero attentius ponderatis post longiorem cunctationem Zosimus iterum interrogare voluit Celestium; verum iste ut summi Pontificis examini sese subduceret, Roma fugit, ut testatur S. Aug. lib. 2. ad Bonif. cap. 3. quapropter Zosimus ad omnes universi orbis Episcopos Epistolam dedit, *quæ tractoria dicitur qua Celestius Pelagiusque damnati sunt, quæ & Constantinopolim & per totum orbem missa, subscriptionibus Sanctorum Patrum est robborata*, inquit Marius Mercator in Commonitorio: atque ita summo totius Christiani orbis consensu proscripta male audiit Pelagiana hæresis; adeo ut Pelagianorum querimoniam Synodum generalem postulantium merito repulerit Cælestinus summus Pontifex, teste S. Prospero lib. contra Collatorem c. 14. ideoque omnino ad rem Christianam inutilè reputaverit S. August. ut videre est lib. 4. ad Bonif. cap. ultimo: nihilominus cum anno Christi 431. congregata fuisset Ephesina Synodus generalis contra Nestorium, Pelagiani cum Nestorianis confœderati, una cum ipsis eodemque ictu prostrati sunt, ut constat ex Epist. Synodica quæ legitur act. quinta tum ex S. Prospero lib. contra Collatorem cap. 41.

His porro velut jactis ex historia fundamentis, ut nunc illud dilucidius tractemus quod spectat ad Pelagianorum errores contra necessitatem divinæ gratiæ (neque enim de capitali eorum dogmate de peccato originali quicquam hic dicere præsentis est instituti) operæ pretium mihi facturus puto, si varios istius erroris gradus sigillatim aperuero.

Primus Pelagii hæreseos status fuit, in quo nullam omnino gratiam admisit, docens homini ad consequendam salutem sufficere naturam solam & ingenitas liberi arbitrii vires, ut non uno in loco declarat S. Augusť. lib. de natura & gratia quem in Pelagii librum *de hominis natura* elucubravit. Ex cap. 2. apparet Pelagium dixisse hominis justitiam esse per naturam; sic enim eum refellit sanctus Doctor, *si per naturam justitia, ergo Christus gratis mortuus est*. Et cap. 40. *si possibilitas naturalis*, inquit, *per liberum arbitrium & ad cognoscendum quomodo vivere debeas, & ad bene vivendum sufficit sibi: ergo Christus gratis mortuus est*. Quod idem repetit cap. 53. & 55. ejusdem libri, tum serm. 26. olim 11. de Verbis Apostoli. Id præterea constat ex Epist. Synodica Concilii Carthag. ad Innocentium I. & ex Epist. ejusdem Innoc. ad Concilium Carthaginense.

Secundus hæreseos Pelagianæ status fuit, in quo gratiam Dei nomine tenus admiserunt intellecto per gratiam libero arbitrio. Cum enim ob eliminatam omnem gratiam odium in se omnium concitassent, tandem professi sunt hominem nihil posse sine gratia Dei, sed illam gratiam nihil aliud esse profitebantur quam liberum hominis arbitrium quod Deus in creatione gratuito concessit: id aperte constat ex cap. 7. sermonis 26. mox citati, ubi loquens de Pelagianis, *disputantes ergo*, inquit, *contra gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis & Catholicis offensionem. Cœperunt horreri, cœperunt ut certa pernicies devitari, cœpit de illis dici, quod contra gratiam disputarent, & invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam Dei disputo. Unde probas? eo ipso inquit, non contra gratiam Dei disputo, quod liberum arbitrium Dei defendo. Videte acumen sed vitreum, quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate*. Scilicet, ut ajebat Pelagius, quia homi-

mi-

minem Deus creavit & homini dedit liberum arbitrium, quicquid potest homo cum libero arbitrio gratiæ Dei datur; quod utique refellit Augustinus quia *natura omnibus est communis non gratia*, & quia debet admitti gratia non qua homines sumus, sed qua Christiani sumus.

Tertius ejusdem hæreseos status is fuit, in quo præter dona creationis veram Christi gratiam se admittere jactabant Pelagiani, sed quæ gratia in lege doctrina & Christi exemplis posita erat; id aperte docet S. Augustinus toto fere libro de gratia Christi, *quandoquidem*, inquit cap. 3. *ipse Pelagius cum Episcopalibus gestis sine ulla recusatione damnaverit eos qui dicunt gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina ..... Nam gratiam Dei & adjutorium quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina*. Et cap. 7. hæc Pelagii verba refert Auguſt. *adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat*. Ad quæ verba sic habet cap. 8. *hinc itaque apparet hanc eum gratiam confiteri, qua demonstrat & revelat Deus quid agere debeamus, non qua donat atque adjuvat, ut agamus; cum ad hoc valeat potius legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio*. Legendum est caput quartum istius libri, in quo totum Pelagii dogma diligenter expressit Augustinus.

Fuit & altera gratia quam in eo statu dari confitebantur Pelagiani, nempe gratia remissionis peccatorum; ut constat ex S. Augustino in lib. de gratia Christi cap. 38. *videte*, inquit de Pelagio, *quemadmodum & hic aliis quidem verbis, sed tamen in remissione peccatorum & in exemplo Christi adjutorium gratiæ constituerit*; quid vero esset illa gratia remissionis peccatorum aperit cap. 2. dixerat Pelagius: *gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere non solum per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros esse necessariam*. Sic vero sanctus Augustinus, *quisquis autem quid in eis apertius dicat, advertit, debet habere etiam ista verba suspecta; quia & si gratiam Dei, qua Christus venit in mundum peccatores salvos facere, in sola remissione peccatorum constituat; potest huic sensui verba ista coaptare dicens; ideo eam per singulas horas, per singula momenta & per actus singulos necessariam ut semper in memoria retinentes & reminiscentes dimissa nobis esse peccata non peccemus, ulterius adjuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, quid sibi remissione peccatorum præstitum fuerit per actus singulos recordantis*.

Quartum denique statum hæreseos Pelagianorum eum assignat Jansenius, in quo sub finem ubique convicti & condemnati confiteri tandem videbantur gratiam voluntatis necessariam, non quidem ad initium sed ad perfectionem operis, & quæ daretur propter merita, quod probat ex ipso Auguſt. lib. de gratia & lib. arb. cap. 14. id referente de Pelagianis: *Sed*, inquit, *cum fuerint convicti, non defensores, sed inflatores & præcipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur: cum ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quocunque modo conentur ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari*. Id rursus ostendere conatur ex aliis S. Augustini testimoniis, ex lib. 4. contra Jul. cap. 3.

Verum ea me adducere non possunt, ut credam Pelagianos unquam admisisse gratiam voluntatis, gratiam actionis. Siquidem Augustinus in libro de hæresibus c. 78. quem sub vitæ finem post varias tandem Pelagianorum tergiversationes composuit, aperte docet eos nullam voluntatis & actionis gratiam statuisse. *Pelagius*, inquit, *a fratribus increpatus quod nihil tribueret gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit; ut non eam libero arbitrio præponeret, sed in fideli calliditate supponeret dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius implere possent per gratiam; dicendo utique, ut facilius possint, voluit credi etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa, illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura; ad hoc tantum ipso adjuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, & quæ sperare debeamus; non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, ut quæ didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur, charitatem autem dari negant qua pie vivitur.* Ex quibus colligere est omnem plane gratiam actionis & voluntatis respuisse Pelagianos.

Quæstio hic proponitur apud Theologos, utrum de gratia habituali, an vero de actuali potissimum mota fuerit controversia inter sanctum Augustinum & Pelagianos. Cui quæstioni priusquam faciamus satis, observabimus duas esse super isto negotio sententias.

Prima est Ludovici Thomassini Oratorii Presbyteri, qui in iis Commentariis quos primum Gallico sermone ediderat inscriptos, *Memoires sur la grace*, postmodum vero latinitati donavit, conatur pro virili ostendere de gratia habituali, fere ubique S. Augustinum in omnibus suis contra Pelagianos concertationibus differere; raro autem de gratia actuali: cui sententiæ nonnihil subsidii accessit, quod eam calculo suo comprobavit vir clarissimus J. B. du Hamel in suo Tractatu de gratia Salvatoris. Mirum profecto quantum urerque insudet in asserenda sua opinione, actum pene diceres de tota re Christiana, quantumvis ista quæstio nullius plane sit ponderis.

Innumera propemodum congerunt testimonia, in quibus affirmat sanctus Doctor Dei gratiam esse bonam voluntatem qua justitiam diligimus; charitatem qua diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum; affectionalem qualitatem animæ insidentem; animæ vitam qua nos Deus a mortuis excitat; victricem delectationem, qua nunc non cedit homo malæ concupiscentiæ; plena vero erit, quando videbimus Deum sicuti est. Addunt alia in quibus gratia Dei dicitur sanare, reparare, restaurare, renovare naturam, peccata delere, hominem justificare, sanctificare; qua fit ut homo nullum possit habere peccatum, ut non simus sub lege sed sub gratia; qua Christus baptizatos parvulos suo inserit corpori, quæ est in ipsis parvulis & qua salvi fiunt. Loquitur, inquiunt, Augustinus de ea gratia quæ bonos discernit a malis; quæ aufert cor lapideum, & dat cor carneum; quæ tribuit ut mandata Dei facere valeamus; quæ filios Dei agit & regit, quæ in mente lux est & doctrina, in voluntate flamma & pondus, spiritus denique adoptionis filiorum, ipsaque charitas per Spiritum sanctum infusa &c. quæ profecto omnia gratiam habitualem & permanentem indicare videntur.

Altera sententia est aliorum communiter Theologorum, qui S. Augustinum contendunt potissimum disceptasse cum Pelagianis de gratia actuali: eam enim, in-

inquiunt; gratiam contra Pelagianos propugnat sanctus Doctor, qua Deus cor hominis excitat & præparat ad bene agendum; quæ justificatis ad recte vivendum necessaria est, sicut ad videndum lux in oculo corporis; quæ datur etiam reluctantibus; quæ ita prævenit voluntatem; ut ad initium fidei sit necessaria; qua fit ut homo sit bonæ voluntatis; ut indeclinabiliter velut efficacissima vocatione convertatur; quæ adjutorium est quo justi perseverant; quæ defuit sancto Petro, & data S. Paulo; quæ quidem & similia prope infinita gratiam actualem denotant; quibus positis;

Respondeo aut parum aut nihil interesse quam gratiam propugnaverit Augustinus contra Pelagianos, an habitualem vel actualem; & falsum esse omnia quæ in hocce Tractatu discutienda veniunt, ex hujus quæstionis enodatione velut religata pendere; ut ajunt prioris sententiæ defensores; id unum certum est totum incubuisse Augustinum in demonstranda cujusdam auxilii mere gratuiti & supra naturam positi necessitate. Quibus adde, dictu omnino difficile, an ejusdemmodi auxilium sit actuale vel habituale, quæ enim Augustini loca primæ sententiæ defensores adducunt, non minus explicari possunt de gratia actuali; actualis est bona voluntas qua justitiam diligimus, quæ animam sanat, renovat, restaurat; charitas est inchoata saltem quæ sanctificat, justificat, dat Spiritum Dei, cor docile & filiorum Dei adoptionem, &c.

Demus vero in suis passim scriptis nonnulla proferre Augustinum, quæ nonnisi gratiæ habituali accommodari possint; inde profecto debet solummodo inferri gratiam habitualem propugnasse sanctum Doctorem contra Pelagianos, quod utique nemo diffitetur. Quemadmodum quæ loca proferunt alterius sententiæ assertores, satis etiam commode explicari queunt de gratia habituali; gratia enim habitualis, si nempe supponatur actuosa & vivida, ut ajunt, cor hominis excitat, præparat, movet, adjuvat, confortat, & alia id genus: ex quibus perspicuum fit de gratia habituali uti & de actuali promiscue disputatum ab Augustino; utramque negabat Pelagius, utramque probat Augustinus. De qua vero potissimum agatur, nos quidem ingenue fatemur, vix certo definiri potest, mea tamen est sententia S. Augustinum propter rationes superius adductas de gratia actuali sæpius longe disputasse quam de habituali.

De Semipelagianis.

Sic eorum appellata est secta, qui proprius accedebant ad Pelagianos, quod utique, licet gratiam existimarent necessariam ad bonum quodpiam opus perficiendum, eam tamen negabant ad idem bonum opus incipiendum, seu, ut ajunt, ad initium fidei necessariam. Hujus perversi dogmatis reum notare possumus Vitalem quemdam Carthaginensem, qui, ut constat ex Epist. 217. S. Augustini, existimavit *Dei donum non esse quod recte credamus in Deum & Evangelio consentiamus, sed hoc nobis esse a nobis*. In eundem errorem & impegisse S. Augustinum antequam Episcopus ordinaretur, testatur ipse lib. de Prædest. SS. cap. 3.

Sed Semipelagiani potissimum censentur Galli quidam Episcopi & Presbyteri, qui cum fere omnes Massiliæ degerent, dicti sunt Massilienses: ii vero doctrina sancti Augustini circa gratiæ Christi necessitatem & efficaciam offensi plurima scripserunt, quæ tametsi ab hæresi Pelagiana longissime distent, ab errore tamen omni ex parte vindicari non possunt; id colligimus ex Epistolis Prosperi & Hilarii ad S Augustinum datis, quæ integræ legi debent ad re-

ĉte capiendam Semipelagianorum doctrinam.

Acceptis duabus istis Epistolis, ut præfatos errores revinceret S. Augustinus, duos protinus edidit libros, quorum prior inscribitur de Prædestinatione Sanctorum, posterior vero de Dono perseverantiæ. Sed post obitum sancti Doctoris qui contigit anno 430. in ejus scripta velut erroribus plena insurrexerunt Massilienses, quos inter potissimum eminebant Cassianus, Faustus Reiensis, Vincentius, Gennadius Massiliensis, atque, ut volunt nonnulli, Severus Sulpitius & Honoratus Massiliensis Episcopus.

Joannes Cassianus Diaconus primum a S. Chrysostomo factus, cum post varias peregrinationes Constantinopolim appulisset, tandem rediit in Gallias, & Massiliæ Presbyter commoratus est, ibi libros Collationum edidit, unde dictus est Collator, atque in Collatione præsertim decima tertia errores Semipelagianorum manifeste propinavit, ut fusius dicetur infra, cum refellit S. Prosper libro contra Collatorem. Ut vixerat, ita obiit Cassianus in maxima sanctimoniæ fama.

Faustus ex Lirinensis Monasterii Abbate Reiensis Episcopus, alter fuit Semipelagianorum facile princeps. Cum Leontius Arelatensis aliique nonnulli Præsules Gallicani Fausto provinciam demandassent scribendi in quosdam recens natos Prædestinatianos, de quibus postea dissertationem habebimus, hic duos de gratia & libero arbitrio libros edidit, in quibus multa effutiit quæ sancti Augustini doctrinam oppugnant & Semipelagianismum aperte prædicant.

Sequitur Vincentius quidam e secta Semipelagianorum, qui Indiculum composuit complectentem sexdecim propositiones, quas e sancti Augustini doctrina manifeste consectarias quam temere tam inscite mentiebatur, qualis est ista v. g. quæ prima in Indiculo recensetur, *quod Dominus noster Jesus Christus non pro hominum omnium salute & redemptione sit passus*. Secunda, *quod Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint*. Tum vero ista quæ tertio loco ponitur, *quod Deus majorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum, &c.* Quas propositiones egregie confutavit S. Prosper in responsione ad capitula objectionum Vincentianarum. Sic Augustino calumniari solebant Massilienses, ejusque doctrinam velut erroneam & duriorem publicare; hinc prodiit alter Indiculus propositiones & calumnias cum Vincentianis maxime affines continens, cui similiter respondit idem Prosper altero libro quem inscripsit, *Responsiones ad Capitula Gallorum*. Quis vero fuerit iste Vincentius, an Lirinensis author Commonitorii, ut communis jam ferre videtur opinio, vel alius a Lirinensi, ut contendit Baronius, præsenti loco inquirere non est otium, hoc remittimus ad tractatores historiæ Ecclesiasticæ.

Gennadius Massiliensis Presbyter satis superque se erroribus Semipelagianorum infectum prodit libro quem de viris illustribus scripsit sub finem quinti sæculi, in quo male de SS. August. & Prospero, cum laude vero de Cassiano & Fausto Semipelagianis loquitur. Ita quidem de S. Augustino, *Unde & multa loquenti accidit, quod dixit per Salomonem Spiritus sanctus: Ex multiloquio non effugies peccatum .... error tamen illius sermone multo contractus, lucta hostium exaggeratus, nedum hæresis quæstionem dedit*. Tum de S. Prospero. *Prosper homo Aquitanicæ regionis, &c. legi & librum adversus opuscula suppresso nomine Cassiani: quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva*. De Fausto hæc scribit: *Edidit opus egregium de gratia Dei qua salvamur, & libero humanæ mentis arbitrio, in quo salvamur.*

Quia & multi injuria tamen, ut puto,

to, inter Semipelagianos accensent Severum Sulpitium. Severum quidem ait Cardinalis Baronius unum ex iis fuisse Gallicanis, quos in Epistola sua perstringit Cælestinus summus Pontifex; sed in eo lapsus est Eminentissimus Cardinalis, obierat enim Severus an. 420. scripsit vero Cælestinus post annum 430. cui accedit quod a nemine unquam Semipelagiani erroris accusatus fuerit Severus Sulpitius.

Hanc porro Semipelagianorum factionem tunc primum cum erupit, hæreticam non damnavit Ecclesia nec ante celebrationem Concilii Arausicani; tametsi enim in decursu disputationum nonnunquam eos ut Pelagianos, vel reliquias Pelagianorum habeant Catholici doctores, ducta facili & clara ex eorum principiis consequentia; quandoquidem contendebant, ut mox ostendemus, nullam ad initium fidei necessariam esse gratiam: tamen cum iis tunc temporis velut cum fratribus honorifice agebant, eorumque dogmata hæreseos nomine non infamabant.

Paulo ante Synodum Arausicanam, Gelasius Papa in Concilio Romano an. 494. Cassiani, Faustique libros condemnaverat. Anno 523. Fausti librum *de Incarnatione & gratia* anathema esse fulminaverunt nonnulli Africani Episcopi in Sardinia exules. Hunc eundem egregie confutavit S. Fulgentius Ruspensis Episcopus libris septem *de gratia & libero arbitrio* editis; quibus postea tres alios adjunxit *de veritate prædestinationis & gratiæ*. In eosdem stilum acuit in Galliis Cæsarius Arelatensis libro quem conscripsit *de gratia & libero arbitrio*. Tum celebrata Synodo Arausicana an. 529. Semipelagianorum dogmata Canonibus viginti quinque proscripsit; idipsum confirmavit paulo post altera Synodus Valentiæ celebrata, quæ quidem ambæ fuerunt auctoritate summorum Pontificum roboratæ; atque ista prostratus omnino jacuit Semipelagianismus.

Verum percelebris hac nostra ætate inter Eruditos nata est quæstio, in quo potissimum erraverint Semipelagiani, utrumve omnem penitus gratiam negaverint ad initium fidei necessariam. Quæ, quoniam ex utraque parte acriter ventilatur, longiori nostra indiget disquisitione.

Utrum Semipelagiani Gratiæ interioris necessitatem ad initium fidei admiserint.

Est in confesso apud omnes, passim dixisse Semipelagianos initium salutis esse in nobis, a nobis, nobis inesse naturaliter, esse a nostra voluntate præcedente gratiam, esse in nostra potestate saltem desiderare gratiam, quemadmodum ægrotus de se & propriis naturæ viribus potest desiderare medicum & sanitatem, & alia id genus. Sed dubitatur, utrum his & similibus loquendi modis excluderent quamlibet gratiam interiorem vel etiam versatilem; an vero solam excluderent gratiam efficacem, solùm auxilium *quo*.

Contendit Jansenius Iprensis lib. 8. de hæresi Pelagiana c. 6. *Massiliensium opinionibus & Augustini doctrina diligentissime ponderata certum esse &, indubitatum quod Massilienses præter prædicationem atque naturam, verum etiam & internam & actualem gratiam, ac ipsam etiam fidem, quam humanæ libertatis & voluntatis ascribunt viribus, necessariam esse fateantur.... in hoc ergo*, inquit, *proprie Massiliensium error situs est, quod aliquod primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet; neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio & potestate. Non enim exclusisse Massilienses ab illa credendi voluntate gratiam quæ interius adjuvaret, &c.* quam porro

kn-

sententiam ut astruat Jansenius, duo velut ejus firmissima præmittit fundamenta.

1. Quidem supponit duo fuisse genera Semipelagianorum; quidam enim, inquit, nihil prorsus ad salutem progredi hominem posse sine vera Dei gratia constanter fatebantur; alii per naturam solam accedente prædicationis ac doctrinæ adjutorio perfectam justitiam assequi posse cum Pelagio delirabant; quæ differentia Massiliensium liquido constat ex Epistola Prosperi ad Augustinum, in qua loquens de Semipelagianis hæc scribit num. 4. *quidam vero horum in tantum a Pelagianis semitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Christi gratiam quæ omnia præveniat merita humana, cogatur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua nihil cum prius merentem... atque ad hanc gratiam qua in Christo renascimur, pervenire per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo, pulsando.*

Id observat Jansenius lib. 7. ubi inter illos Semipelagianos, de quibus vult controversiam hic non moveri, Faustum & Cassianum accenset, quos putat nihil diversum ab errore Pelagiano sensisse circa necessitatem gratiæ, unde nec omnium Semipelagianorum sensum indagare voluit, sed illorum duntaxat, quorum opinionem ac dogmata Prosper & Hilarius Augustino censenda & refutanda prodiderunt. Ex qua observatione colligere est, istius quæstionis statum eos non attigisse Theologos, qui in hac cum Jansenio controversia, Fausti & Cassiani testimonia in illius opinionem adhibent: qua ex causa etiam nihil ex S. Prospero contra Collatorem seu Cassianum, nec ex S. Fulgentio qui scripsit contra Faustum, adducemus.

2. Diligentissime observatum vult Jansenius juxta modum loquendi sancti Augustini & cæterorum Patrum, summorum Pontificum, & Conciliorum, per istas propositiones aliasque similes, *bonum opus est ab homine; fit per liberum arbitrium; per vires liberi arbitrii; per naturalem virtutem; naturaliter*, &c. non excludi quodlibet auxilium gratiæ, quia non excluditur auxilium *sine quo* seu gratia versatilis; sed solummodo auxilium *quo* seu gratia efficax; tametsi enim, inquit, constet in doctrina S. Augustini hominem in statu innocentiæ constitutum, habuisse ejusmodi gratiam versatilem & adjutorium sine quo non poterat bene agere; tamen legimus sæpenumero potuisse hominem agere per suum liberum arbitrium, per suas vires, per suam naturam, & alia id genus. Sic S. Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 10. *saluberrime confitemur*, inquit, *Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset liberum eorum arbitrium*. Et postea de bonis Angelis ait, *quod per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt*, & de homine sano, *quod per ipsum liberum arbitrium potuisset perseverare*. lib. de dono persever. c. 7. *non est hoc perseverare, omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet*. Non absimili modo loquitur S. Prosper lib. contra Collat. c. 18. S. Fulg. lib. de Innoc. & grat. c. 22. & Conc. Arauf. II. can. 25. quibus præmissis hanc suam opinionem acriter defendit Jansenius, qua nimirum pertendit mitiores illos Semipelagianos veram & internam actualem gratiam agnoscere necessariam vel etiam ad initium fidei; in quam sententiam sit

CONCLUSIO.

Semipelagiani omnes cujuslibet gratiæ interioris ad initium fidei necessitatem rejiciebant.

Probatur 1. ex SS. Prospero & Hilario,

rio, e quorum verbis veram & genuinam Semipelagianorum doctrinam excerpere nos consentit Jansenius; uterque vero scribens ad S. Augustinum testatur nullam Massilienses admisisse gratiam interiorem ad initium fidei. Ita quidem Prosper sua in Epistola Num. 3. *hæc enim ipsorum definitio ac professio est .... omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cum voluntariæ devotioni remuneratio sit parata*. Num. 4. *ut cum ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere .... per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando; ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire*. Hos Semipelagianos omnem ad initium fidei negare gratiam fidenter confitetur Jansenius, ubi propterea parum sibi constat, quippequi hanc terminatam vult controversiam ex verbis Prosperi qui duplicem Semipelagianorum classem apte satis non distinxit.

Num. 5. sic prosequitur S. Prosper. *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem & non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas .... Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint .... Ac sic cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia & hominis obedientia, priorem volunt esse obedientiam, quam gratiam; ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex credendum sit stare qui salvat*. Quæ nulla dubio procul indigent explicatione, adeo clara sunt & ad rem nostram exquisita.

Idem vero, vel etiam si fieri potest, luculentius testatur Hilarius in sua pariter ad S. Augustinum Epistola; scribit enim docere Massilienses: 1. homines propriæ voluntatis merito, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequi effectum. 2. voluntatem illam qua unusquisque vult sanari, unum esse ex iis operibus ad quæ homines sibi sufficiunt. 3. fidem esse penes naturam nobis a Creatore concessam. 4. non ita depravatam esse naturam, ut non possit sanitatem suam desiderare. 5. denique, credere nostrum esse, operari vero esse Dei, & alia id genus; ubi observatione dignissimum est id de Semipelagianis omnibus testificari Hilarium, nec ullos excipere; quo fit ut causa sua cadat Jansenius, qui cum super isto negotio ad Hilarii testimonium appellaverit, duas vel ipso Hilario invito fingit Semipelagianorum classes.

Probatur 2. autoritate S. Augustini qui acceptis Prosperi & Hilarii Epistolis, ut suscepto in se munere refellendi Semipelagianos defungeretur, duos scripsit libros, quorum prior est de Prædestinatione Sanctorum, posterior de Dono perseverantiæ; in utroque vero aperte supponit nullam gratiam interiorem ad initium fidei necessariam admisisse Semipelagianos. Lib. de Prædest. SS. cap. 2. hæc scribit: *Prius itaque fidem qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere, si tamen diligentius id facere possumus, quam in voluminibus tot tantisque jam fecimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem habere ipsam fidem; sed incrementum ejus ex Deo, tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantum augeatur in nobis, eo merito, quo cepit a nobis*. C. 3. his

his allatis Apostoli verbis, *quid habes quod non accepisti?* haec subjungit: *quo praecipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis*. Quibus verbis *cum similiter errarem* significat Augustinus idem docere Semipelagianos quod ipse antea scripserat, fidem scilicet non esse a Deo. Legatur & caput vigesimum primum. Tum vero idem docet lib. de Dono persev. cap. 17. *Sed ii*, inquit, *qui solum initium fidei & usque in finem perseverantiam, sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad haec habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates, caetera vero ipsum dare concedunt, cum ab illo impetrantur credentis fide*. Ex quibus perspicuum est aut his in libris aerem verberasse Augustinum non intellecta Semipelagianorum doctrina; aut revera Semipelagianos nullam interiorem gratiam ad initium fidei necessariam admisisse.

Probatur 3. ex Conc. Arausicano II. a quo istud in Semipelagianis damnatum est quod initium fidei soli naturae viribus tribuant, canone 5. damnat Synodus eum qui dixerit, *sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum quo in eum credimus, qui justificat impium, non per gratiae donum, id est per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse*.

Probatur 4. autoritate Innocentii X. & Alexandri VII. summorum Pontificum qui hanc quartam propositionem e quinque Jansenianis condemnarunt. *Semipelagiani admittebant gratiae interioris praevenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei & in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*. Quae propositio quoniam tota, ut jacet, a praefatis Pontificibus declaratur falsa & haeretica, est falsa quoad priorem partem. Neque est quod hujus censurae vim eludere conentur nonnulli dicentes istam propositionem non esse falsam nisi intellectam de Semipelagianis omnibus; siquidem, ut nemo nescit, damnata est in sensu Jansenii, qui datas Semipelagianorum classes distinxerat; adeoque mens summorum Pontificum fuit, omnes Semipelagianos gratiae interioris necessitatem ad initium fidei exclusisse.

Solvuntur objectiones.

Objicies: cum Semipelagiani vellent initium salutis esse ab homine, ex eo quod per peccatum originale non penitus attenuatum est liberum ejus arbitrium; sed primaevae ipsius integritatis reliquiae supersint satis potentes ad initium fidei; non magis excluserunt gratiae adjutorium in homine lapso ad inchoandum, quam in homine sano; quia nempe dici non potest viros eruditos, quales erant Semipelagiani, existimasse liberum arbitrium attenuatum, minoribus ad bona facienda auxiliis indigere, quam egeat ad eadem bona opera facienda liberum arbitrium sanum illaesum; atqui nunquam dixere Massilienses hominem sanum, & in primaeva integritate constitutum, non indigere interioris alicujus gratiae auxilio, sed cum Ecclesia Catholica senserunt eum indiguisse saltem auxilio *sine quo*, quod quidem probatur.

1. Quia SS. Prosper & Hilarius in suis ad Augustinum Epistolis omnia Semipelagianorum dogmata sigillatim deducunt, neque tamen istum enumerant errorem; videlicet quod dicerent hominem in statu innocentiae constitutum non egere ad bene operandum gratiae interioris auxilio.

2. Quia ex Epistola S. Hilarii divisio-

sionem gratiæ primi hominis & hominis lapsi moleste ferebant Massilienses; non quod existimarent gratiam Adamo non fuisse collatam, sed quod putarent, stante Augustini doctrina circa perseverantiam hominibus exhiberi. Num. 6. sic habet: *Deinde moleste ferunt ita dividi gratiam qua vel tunc primo homini data est, vel nunc datur; ille acceperit perseverantiam*, &c. quæ docet Augustinus lib. de corrept. & gr. cap. 11. & 12. *his verbis sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quamdam desperationem hominibus exhiberi*.

3. Quia S. Augustinus neque Epistola ad Vitalem, neque libris de Prædest. SS. & de Dono perseverantiæ, in quibus confutavit errores Semipelagianorum, probat hominem in statu innocentiæ opus habuisse gratiæ interioris auxilio; unde aperte colligitur illud nunquam negasse Semipelagianos: ac proinde non rejiciebant quoque necessitatem gratiæ interioris ad initium fidei in statu naturæ lapsæ.

Nego min. & dico nec in Adamo insonte gratiæ necessitatem admisisse Semipelagianos; id constat

1. Quia manifeste recessissent a suis principiis; si enim in homine lapso credere nostrum sit, si solum boni operis augmentum a Deo sit, initium vero a nobis, &c. a fortiori ea locum habent, ubi agitur de homine sano.

2. Quia id expresse docuisse Semipelagianos testatur Hilarius sua in Epistola Num. 6. *unde in hoc solo*, inquit, *volunt a primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat, hos autem amissis & perditis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes*. Ex quibus patet in mente Semipelagianorum primum hominem potuisse pro integris viribus bonum velle; ita ut eum volentem gratia solummodo juvaret.

3. Quia S. Augustinus lib. de Præd. SS. cap. 5. ob id eos refellit quod hominem existimarent tum in natura perfecta, tum in vitiatæ naturæ reliquiis potuisse se per sola creationis dona discernere: *illud vero*, inquit, *quod putant de hac fide ideo non posse dici; quid enim habes quod non accepisti, quia in eadem natura remansit, licet vitiata, quæ prius sana ac perfecta donata sit. Nihil ad id quod volunt valere intelligitur*.

4. Denique, quia canon decimus nonus Conc. Arausf. 2. contra Semipelagianos editus primum hominem tametsi insontem gratia Dei indiguisse, his verbis definivit: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adjuvante, servaret:* atque hinc ad proposita momenta facile respondetur.

Ac primum quidem momentum est omnino falsum, ut constat ex testimonio Hilarii mox adducto; sed demus nec Prosperum, nec Hilarium inter Semipelagianorum errores annumerasse, quod dicerent hominem in statu innocentiæ constitutum non eguisse gratia interiori, quid inde colligi possit plane non video. Cum enim testentur expresse nec uno in loco Semipelagianos omnem gratiam ad initium fidei necessariam exclusisse hoc in statu naturæ lapsæ, omnino inutile fuit idem observare pro statu naturæ innocentis; argumento enim in Jansenium retorto, quis tam fungos putaverit Massilienses, ut gratiam ad initium fidei pro homine sano necessariam crediderint quam toties inutilem pro homine læso & vitiato decantaverunt?

Secundo, nec plus virium habet alterum Jansenii momentum; tametsi enim Massilienses divisionem gratiæ primi hominis & hominis lapsi, quam instituerat Augustinus lib. de correptione & gratia, moleste ferant; ex eo quod pu-

putabant in hoc Augustini systemate in desperationem homines adduci; non inde profecto sequitur, ut dicere est, confessos fuisse Massilienses primo homini datam ad initium boni operis gratiam interiorem; quia nempe in illa divisione Augustini id solum redarguunt quod plus videtur habere offensionis, scilicet quod in hoc statu naturæ lapsæ detur homini perseverantia indeclinabilis.

Ad tertium quod spectat momentum, dico his in libris probare Augustinum datam fuisse primo homini gratiam interiorem ad bene agendum; ut constat ex cap. 5. libri de prædest. SS. tum vero in iis omnibus locis, in quibus communia utrique statui naturæ innocentis & naturæ lapsæ usurpat argumenta; quibus adde mirum videri debere nemini, si necessitatem gratiæ interioris pro statu naturæ innocentis nominatim ostendere non aggrediatur Augustinus, quando confutat Semipelagianos; quia videlicet de præsenti naturæ lapsæ statu potissima versabatur controversia.

Instabis: testatur S. Prosper Semipelagianos id modo sentire de homine lapso quod fuit in homine integro, ita resp. ad octavum cap. Gallorum: *Neque hæc dona (scilicet posse cogitare, dicere & agere) ita ex Deo esse opinemur, ut quia ipse naturæ nostræ autor est per conditionem, jam hæc contulisse videatur, quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus.* Et cap. 42. de ingratis.

> Nam si nunc etiam illæsis vigor
> ille maneret,
> In quo insons natura fuit, sua
> quemque voluntas
> Conciliare Deo pœnaque absolvere
> posset.

Cujus dicti rationem affert his verbis:

> Quoniam sapientia sana,
> Sana fides, sanum arbitrium, mens
> libera morbo
> Vitam agerent dignam summorum
> participatu.

Unde sic argumentor: Facultas ad initium fidei quam admittebant Semipelagiani teste Prospero, est eadem, quam ab initio Deus homini dedit: atqui facultas bene agendi quam ab initio Deus homini dedit, fuit voluntas instructa saltem interioris gratiæ auxilio *sine quo*: ergo.

Dist. min. fuit voluntas instructa saltem interioris gratiæ auxilio *sine quo* in rei veritate, C. in mente Semipelagianorum, N. non eget responsio majori explicatione.

Objicies: idem plane sentiebant Massilienses circa initium fidei, ac circa perseverantiam finalem, ut constat ex his verbis cap. 17. lib. de Dono perf. *sed ii qui solum initium fidei & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate ut Dei dona esse non putent.* Atqui admittebant gratiam versatilem ad perseverantiam finalem ex eodem S. Augustino qui dum Semipelagianos confutat, gratiam perseverantiæ finalis negantes, sic habet ejusdem lib. cap. 7. *Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet.* Unde sic argumentor: illi admittunt gratiam versatilem ad perseverantiam finalem, quorum sententia vera est in statu naturæ innocentis: atqui ex S. August. sententia Massiliensium vera est in statu naturæ innocentis: ergo ex S. Augustino admittebant necessitatem gratiæ versatilis ad perseverantiam finalem.

Nego min. Totus est enim Augustinus hoc in libro ut probet Semipelagianis, perseverantiam non esse in nostra potestate, sed donum Dei. Ad probat. vero dist. min. Vera est in statu naturæ innocentis, quoad gratiam efficacem & donum perseverantiæ, C. quoad gratiam versatilem, N. scilicet eo loci S. Augustinus loquitur solum de gratia efficaci, de adjutorio *quo*, &

per-

perseverantia finali quam negabant Massilienses, rati hoc in systemate homines in desperationem conjici, de quo quidem dono efficaci verba faciens, ait, *Non est hoc omnino in viribus*, &c. hoc est, in statu naturæ innocentis non erat necessarium perseverantiæ donum, quale nunc requiritur; unde in hoc Massiliensium approbat sententiam, non autem in aliis capitibus, puta in eo quod gratiam nequidem versatilem admittebant ad initium boni operis; de ejuscemodi enim gratia versatili nulla hic habetur quæstio.

Instabis: eam duntaxat gratiam negabant Massilienses necessariam hominibus, qua semel admissa putabant sequi desperationem, amitti liberum arbitrium, subverti exhortationes, correptiones, atque præcepta bene vivendi; his enim solummodo ex causis gratiam ad initium fidei & perseverantiam rejiciebant, ut constat ex Epistolis SS. Prosperi & Hilarii: atqui ejusmodi gratia, est gratia efficax & victrix quam perpetuo prædicabat Augustinus, non autem gratia versatilis quæ commissa est & subdita libero arbitrio: ergo solam gratiam efficacem, quæ voluntatem flectit indeclinabiliter, rejiciebant Massilienses.

Nego maj. ex hoc enim argumento solum colligere est de gratia efficaci, non de alia motam fuisse controversiam Semipelagianos inter & S. Augustinum, quod utique fatemur. In illam scilicet gratiam invehebantur illi & præfatis criminationibus impetebant, forte quia nullam aliam admitti a sancto Augustino arbitrati sunt, verum non inde sequitur eos aliam ab efficaci gratiam non exclusisse saltem pro initio fidei; quin imo sic argumentari juvat. Eam excludebant gratiam ad initium fidei quam fatebantur necessariam ad opus bonum perficiendum: atque ejuscemodi gratia quam ad opus bonum perficiendum dicebant necessariam, non est gratia efficax quæ insuperabiliter movet voluntatem, sed solum gratia versatilis ad nutum voluntatis: ergo Massilienses negabant gratiæ etiam versatilis necessitatem ad initium fidei.

Objicies: ex ipsissimis Semipelagianorum verbis constat eos admisisse gratiam aliquam interiorem ad initium fidei. Id testatur Hilarius in sua Epistola: *ad nullum opus*, inquit, *sive incipiendum, nedum perficiendum quemquam sufficere posse consentiunt*: unde S. Augustinus lib. de Præd. SS. cap. 1. loquens de mitioribus Semipelagianis sic eorum doctrinam describit: *Pervenerunt etiam ut præveniri voluntate hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quemquam sufficere posse consentiant: retenta ergo ista in qua pervenerunt, plurimum eos a Pelagianorum errore discernunt*. Atque id eo confidentius affirmari potest de remissioribus Semipelagianis, quod cæteri quoque, quales sunt Cassianus, Faustus Rejensis & Gennadius, idipsum manifeste docuerint.

Cassianus quidem collatione tertia cap. 4. sic loquitur: *Ex eo quidem est, quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum, nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis exsuscitat*. & Collat. decima tertia: *quibus*, inquit, *manifeste colligitur non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sancta voluntatis inspirat, & virtutem atque oportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi*.

Tum Gennadius Massiliensis lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 19. *manet*, inquit, *ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est rationalis voluntas, sed admonente prius Deo & invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione*. Et cap. 21. *sicut initium salutis nostræ Deo miserante & inspirante ha-*

habere nos credimus, ita arbitrium naturæ nostræ divinæ inspirationis sequax esse libere confitemur.

Quia & proferri potest in hujusce veritatis confirmationem Faustus Rejensis, qui teste Gennadio lib. de viris illustribus docuit, *gratiam Dei semper invitare, præcedere, & adjuvare voluntatem nostram*. Ex quibus sic argumentor: Illi saltem admittebant gratiam versatilem ad initium fidei, qui fatentur Dei gratia præveniri voluntates hominum, neminem vel ad opus incipiendum sibi sufficere posse, & omnem denique inspirationem esse a Deo, Patres enim & Concilia nomine inspirationis intelligunt gratiam interiorem: atqui Semipelagiani saltem minores fatentur Dei gratia præveniri voluntates hominum, omnium cogitationum nostrarum Deum esse principium, &c. Igitur gratiam saltem versatilem admittebant pro initio fidei necessariam.

Dist. min. Semipelagiani fatentur Dei gratia præveniri voluntates hominum in ordine ad initium operis, C. ad initium fidei, N. est in hac controversia sedulo & diligenter observandum Semipelagianos initium boni operis distinxisse ab initio fidei, initium operis appellabant, v. gr. in conversione peccatoris, initium sanitatis quam actu recuperat homo qui per pœnitentiam sanatur; initium vero fidei erat in eorum doctrina præliminare quoddam recuperandæ salutis desiderium, quædam remedii cupiditas, tum vero certa in medicum fiducia, ac denique fides ipsa quæ prima est gratia: idque constat:

1. Quia teste Hilario Epistola ad August. Num. 2. initium fidei, seu obtinendæ salutis desiderium proprie ad salutis opus non pertinere contendebant Semipelagiani. *Cæterum*, inquit, *ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt; neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari. Quod enim dicitur, crede & salvus eris, unum horum exigi asserunt, aliud afferri, ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur .... nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat.* quæ verba nulla prorsus explicatione indigent.

2. Idipsum ex eo manifeste liquet quod sanctus Augustinus Semipelagianos volens confutare, id primo loco debellandum suscipit, quod fidem negarent esse donum Dei lib. de Præd. SS. cap. 2. *prius itaque*, inquit, *fidem qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere*. Quopropter, cum ad opus bonum incipiendum gratiam Dei necessariam esse fatebantur Massilienses, id intelligebant non de initio fidei, sed de initio operis, quod jam præcesserat fides.

Atque id abunde confirmatur ex eo quod scribit S. Prosper Epistola ad Aug. num. 4. ipsos etiam Massilienses qui a Pelagianis non discedebant, ejusmodi gratiam prævenientem admisisse. *Quidam vero horum*, inquit, *a Pelagianis semitis non declinant, ut cum ad confitendum eam Christi gratiam quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur, ad conditionem hanc velint unius cujusque hominis pertinere*, &c. An vero dixerit Jansenius ejusmodi Semipelagianos, de quibus in præsenti controversia nullam haberi vult mentionem, admisisse gratiam prævenientem & ad initium operis & ad initium fidei. Hinc porro facile respondetur allatis Cassiani, Gennadii & Fausti testimoniis.

Et quidem Cassianus, ubi Collat. 3. inspirationes nostras a Deo esse confitetur, fucum facit; & inspirationis nomine solam intelligit doctrinam quæ non-

nonnunquam ad salutis nostræ desiderium excitat; id manifestant exempla quæ ibidem adducit; videlicet exemplum Abrahæ, qui voce Domini accitus exivit de terra sua & de domo patris sui; tum vero exemplum S. Antonii, qui *ingressus Ecclesiam ibique audiens Evangelio Dominum prædicantem, qui non odit patrem & matrem, &c. confestim renuncians cunctis, secutus est Christum*. Quibus adde quæ docet idem Cassianus in locis prope infinitis ac præsertim Collat. 13. cap. 8. ubi sic habet: *qui cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse*. Quæ quidem egregie confutat S. Prosper in libro contra Collatorem. Catholica quidem sunt hæc Cassiani verba e capitulo tertio deprompta, *quibus manifeste colligitur non solum actuum, &c.* sed illorum oblitus a se ipso perpetuo dissensit, ut ibidem observat S. Prosper his verbis: *Cito ergo*, inquit, *hic disputator præmissæ definitionis oblitus est: cito a sententia sua instabilitate & levitate discessit*.

Ad Gennadium quod spectat. Respondeo librum illum *de Ecclesiasticis dogmatibus* a Gennadio, si tamen genuinum sit ejus opus, conscriptum fuisse, cum dudum ab hæresi Semipelagianorum resipuisset; unde hunc librum ab eo missum fuisse ad Gelasium summum Pontificem, ut integræ fidei suæ tesseram, non immerito creditur. Non est tamen ex omni parte absolvendus Gennadius, qui dum Cassianum Faustumque Semipelagianos laudibus extollit lib. de viris illustribus, Prosperum aliunde deprimit.

De Fausto Rejensi nihil necesse est pluea congerere, quandoquidem eum nec ab ipso Pelagio dissentientem putatr Jansenius; unde quod dixerit gratiam Dei semper invitare & præcedere voluntatem nostram, id profecto intelligit de gratia externa doctrinæ; ut fuse probat Joannes Maxentius in responsione ad Epistolam Hormisdæ.

Instab. ideo creduntur Massilienses exclusisse necessitatem cujuscunque gratiæ interioris ad initium fidei, quia initium fidei passim tribuunt voluntati, libero arbitrio, viribus naturalibus, &c. atqui ex ejusmodi locutionibus inferri non debet Semipelagianos excludere omnem gratiam; tametsi enim in doctrina S. Augustini homo in statu naturæ innocentis habuerit gratiam versatilem & libero subjectam arbitrio; tamen dicitur potuisse perseverare per se ipsum, per suas vires, per suum liberum arbitrium quod sane intelligitur sine exclusione gratiæ saltem versatilis, sed per exclusionem solum gratiæ efficacis & adjutorii *quo*: igitur male creduntur Massilienses rejecisse gratiæ cujuscumque interioris necessitatem, eo quod ejusmodi locutiones usurpant.

Dist. maj. quia initium fidei tribuunt voluntati, libero arbitrio qualibet gratia destituto, C. præcise ob illas locutiones, N. hæc porro majori explicatione non egent, abunde enim, ut puto, demonstratum est Semipelagianos nullam penitus admittere gratiam interiorem ad initium fidei.

Utrum gratia sit necessaria ad cognoscendum omne verum.

NOtandum primo hic quæstionem esse de gratia actuali, non de habituali & sanctificante, quia certum est gratiam habitualem non esse necessariam ad cognoscendas veritates naturales, ut docet S. August. lib. 1. retract. cap. 4. ibi enim retractat quod prius dixerat lib. 1. Soliloquiorum cap. 2. Deum voluisse ut nonnisi mundi verum scirent, *responderi potest*, inquit, *multos non mundos multa scire vera*.

No-

Notandum secundo veritates, quæ ab homine cognoscuntur, duplicis esse generis, aliæ sunt naturales, aliæ vero supernaturales. Naturales dicuntur illæ quæ intra ordinem naturæ continentur & citra specialem revelationem cognosci possunt. Veritates supernaturales sunt illæ quæ omnem humani intellectus captum superant, qualia omnia nostra mysteria.

Deinde in veritatibus supernaturalibus aut potius in cognitione veritatum supernaturalium duo distingui possunt. 1. simplex apprehensio & cognitio propositionis, quæ est in intellectu. 2. Actus ille quo voluntas imperat intellectui ut credat veritati revelatæ, isque actus vel parum vel nihil distinguitur ab actu fidei, qui dubio procul supernaturalis est.

Observant insuper Theologi dupliciter sumi posse veritates cognoscendas, collective pro complexione omnium veritatum, & distributive pro quibusdam tantum veritatibus seorsim spectatis; quibus positis,

Certum est primo hominem posse sine speciali gratia cognoscere veritates supernaturales per simplicem apprehensionem, satis est enim si intelligantur termini propositionis, nulla est ibi pia motio voluntatis ad credendum, nullus fidei actus, sic enim v. g. per simplicem mentis apprehensionem Ethnici cognoscunt fidei nostræ mysteria, quæ tamen per judicium subsequens rejiciunt.

Certum est 2. non posse hominem sine gratia & speciali revelatione veritates supernaturales certo cognoscere & credere, uti mox ostensuri sumus, fides enim est singlare Dei donum: *nemo novit filium*, inquit Christus Mat. 11. c. *nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi filius, & cui voluerit filius revelare*. Ratio vero est, quia non potest intellectus, nisi sit speciali auxilio adjutus, ea certo cognoscere quæ sunt supra ejus captum posita: tales sunt autem veritates omnes supernaturales. Restat igitur difficultas de veritatibus naturalibus.

CONCLUSIO.

Intellectus humanus potest sine ullo divinæ gratiæ adjutorio, modo adsit generalis concursus, cognoscere omnes veritates naturales.

Hoc aperte insinuat S. Paulus ad Romanus cap. 1. his verbis, *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Ubi supponit Apostolus per solas naturæ vires & ex cognitione naturali creaturarum Deum ipsum ejusque existentiam & alia bene multa attributa cognosci posse, consentanee ad illa Sapientiæ verba cap. 13. *a magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Igitur a fortiori aliæ veritates naturales sine speciali gratia cognosci possunt.

Et ratio est, quia cum gratia ad hoc videatur necessaria, ut naturæ imbecillitas suppleatur, potest intellectus noster eas veritates attingere, quæ ipsius capacitati & naturæ sunt accommodatæ; atqui veritates naturales capacitati nostri intellectus sunt maxime accommodatæ & proportionatæ, ut docet experientia; nullum est enim disciplinarum & scientiarum genus, tum in genere artis, tum in genere moris, quod solo studio & ingenii applicatione sine gratiæ Dei beneficio non comparaverint Philosophi Gentiles: ergo sine gratia Dei cognosci possunt veritates naturales.

Neque est quod objiciantur nonnulla tum ex Scripturis tum ex Conciliis, quæ indicare videntur omnem vel minimam hominis cognitionem esse a Deo, qualia sunt ista quæ leguntur 2. ad Corint. 3. cap. *non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex*

nobis, *sed sufficientia nostra ex Deo est*. Ejusmodi enim loca intelligi debent de veritatibus supernaturalis ordinis, vel saltem de cognitione veritatum naturalium, prout conjuncta est cum affectu virtutis moralis, & ad salutem aut bonam vitam ordinatur; quo posito cum ejusmodi cognitio ratione motivi evaderet supernaturalis, gratia foret ad eam necessaria.

Cæterum etsi fateremur non posse hominem sine speciali auxilio veritates omnes naturales collective sumptas cognoscere, quia nonnisi per innumera experimenta & per longissimum tempus, propter rerum multitudinem ejusmodi cognitio obtineri potest; nihilominus tamen affirmare liceat veritates omnes naturales sine Dei gratia cognosci posse, quia per accidens tantum tunc esset impotentia in intellectu, & verissimum est illa objecta non excedere latitudinem facultatis intellectivæ, ac proinde gratiam non esse necessariam ad cognoscendas veritates mere naturales.

An fides ad salutem necessaria, sit Gratia Dei.

Cum cognitio veritatum supernaturalium, non qualiscunque sed certa; non mere speculativa & apprehensiva sed cum assensu conjuncta, idem plane sit ac fides; quæritur hic utrum fides ad salutem necessaria haberi possit sine gratiæ auxilio, vel e contra gratia sit proprie dicta. Rem habemus cum Pelagianis fidem negantibus esse gratiam proprie dictam, mox fusius disputaturi cum Semipelagianis qui putabant solum fidei incrementum, non autem ejus initium esse gratiam Dei.

Conclusio.

Fides ad salutem necessaria, est gratia proprie dicta.

Probatur 1. ex Scripturis. Matth. cap. 16. cum S. Petrus fidem suam in Christi divinitatem solemniter fuisset professus his verbis, *Tu es Christus filius Dei vivi*, statim pronuntiavit Christus, *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est*. Joan. 6. Christus ait: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille ... nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum ... omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me*. Cap. 12. *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum & induravit cor eorum &c.* Primæ ad Corint. 4. cap. *Quid habes*, inquit Apostolus, *quod non accepisti? Quid gloriaris quasi non acceperis?* Cap. 7. *misericordiam consecutus sum a Domino ut sim fidelis*. Et secundæ Epist. c. 3. *non quod*, inquit, *sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Tum ad Ephes. cap. 2. *gratia salvati estis per fidem & hoc non ex vobis, Dei enim donum est*. Quæ quidem Scripturæ loca urgeri merito possunt adversus Pelagianos, si enim fides est donum Dei, si non possumus quicquam cogitare a nobis, si per gratiam Dei sumus fideles; profecto fides ad salutem necessaria, Dei est gratia.

Probatur 2. ex SS. Patribus; nonnullos citat S. August. lib. de Dono Persev. cap. 19. scilicet S. Cyprianum qui lib. 3. ad Quirinum cap. 4. ait, *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit*. S. Ambros. qui in expositione præmii super ista Lucæ verba *visum est & mihi*, sic disserit: *& ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus respondere, visum est & mihi. Quod cum dicit, non negat Deo visum, a Deo enim præparatur voluntas hominum, ut enim Deus honorificetur a sancto, Dei gratia est*. Tum demum S. Gregor. Nazianz. qui orat. 44. in Pentecostem hæc scribit, *unius Dei-*

tatis

tatis quæso vos confitemini Trinitatem, si vero aliter vultis, dicitis unius esse naturæ, & Deus vocem dari vobis a sancto Spiritu deprecabitur; dari enim certus sum, qui dedit quod primum est, dabit & quod secundum est. Hoc est, inquit ibi Augustinus, *qui dedit credere, dabit & confiteri. Isti tales tantique Doctores dicentes non esse aliquid de quo tanquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur; nec ipsum cor nostrum & cogitationes nostras in potestate nostra esse, & totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere confitentes, ut permansuri convertamur ad eum ... hæc utique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis non a nobis esse testantur*. Et similiter S. Hieronymus commentario in hæc verba Epistolæ ad Ephesios cap. 2. *gratia enim salvi estis per fidem & hoc non ex vobis*, hæc scribit: *hoc autem ideo ne forsitan nobis cogitatio occulta subreperet, si per opera nostra salvati non sumus. Certe vel per fidem salvati sumus, & alio genere nostrum est, quod salvamur. Addit itaque & dixit fidem quoque ipsam non nostræ voluntatis esse, sed Dei muneris*.

S. Fulgentius lib. de Incarn. & gratia cap. 18. *si vero*, inquit, *secundum illorum opinionem nostrum est velle credere, priusquam nos Dei gratia incipiat adjuvare; injuste gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati ... si ergo fidem Paulo gratia non dedit, nec caritatem ei dedisse credenda est: ergo, quod absit, mentitus est Paulus qui ait, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis ... ob hoc ipse qui ut fidelis esset, fatetur se misericordiam consecutum, salubriter nos instruit, dicens. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Quia revera & ut velimus, misericordiæ prævenientis illuminamur dono, & ut curramus, misericordiæ subsequentis fulcimur auxilio*. Quod idem docent unanimi consensu alii Patres nullo excepto, S. Prosper libro contra Collatorem c. 36. Autor operis de vocat. gentium lib. 1. cap. 8. Petrus Diaconus de Incarn. & gratia c. 6. 7. & 8. S. Leo Epist. ad Nicetam Aquilejensem, S. Gregor. M. libro Moral. 33. cap. 20. S. Bernardus sermone 23. in Cant. ad illa verba, *trahe me post te*, & alii passim.

Probatur 3. ex definitionibus Conciliorum. Ea jam adducta sunt, quæ iterum repetere hic necesse est, in quibus eo nomine proscripta fuit Pelagianorum doctrina, quod negarent fidem esse donum Dei & gratiam proprie dictam. Ita scilicet Concilium Diospolitanum, in quo examinati sunt duodecim articuli quos propugnabat Pelagius, horum septimus erat iste, *gratia Dei atque adjutorium non ad singulos actus datur, sed de libero est arbitrio, vel in lege atque doctrina*. Qui quidem articulus fuit damnatus. Ita etiam anno sequenti, scilicet anno 416. Concilium Milevitanum secundum & alia tunc temporis. Unde etiam Concil. Trident. sess. 6. can. 3. sic decernit, *si quis dixerit sine præveniente Dei gratia atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*.

Quibus accedunt nonnullæ rationes quas passim congerit Augustin. contra Pelagianos & Massilienses. Prima petitur ex orationibus Ecclesiæ, quibus postulantur a Deo fides, incrementum fidei & conversio infidelium; at oratio est certissimum infirmitatis & indigentiæ argumentum, ita S. August. Epist. 217. Secunda ratio petitur ex eo quod fides in Scripturis promittitur, aliis datur ex misericordia, aliis denegatur ex Dei judicio; atqui hoc ipso gratia est proprie dicta, donum proprie dictum: est hoc S. Augustini argumentum, lib. de Prædest. SS. cap. 6. & 8. tum Epist. mox citata 217. ad Vitalem. Tertia

ratio

ratio est, quia vel fides est gratia, vel nulla datur gratia proprie dicta; id enim unde incipiunt omnia bona merita, vel gratia est, vel quod datur propter illius meritum, gratia non est, quo plane modo argumentatur S. Aug. Epist. ad Sixtum & lib. de Prædest. SS. cap. 2. Quarta denique ratio est, quia si fides quæ initium est salutis, non est gratia, nulla ratio convincit totam salutem esse homini tribuendam, ut egregie disserit lib. de Prædestin. SS. cap. 2.

Objicies: cum dicitur, si credideris salvus eris, unum exigitur, scilicet fides, alterum offertur, nempe salus æterna: atqui quod exigitur ab homine debet esse in ejus potestate; si autem in potestate hominis sit, gratia non est: ergo fides non est gratia. Id argumenti fuit etiam Semipelagianorum, ut constat ex Epist. Hilarii ad S. August.

Dist. min. debet esse in ejus potestate cum gratia, C. sine gratia, N. sic respondet S. August. lib. de Prædest. SS. cap. 11. *Sicut ergo*, inquit, *quamvis Dei donum sit facta carnis mortificare, exigitur tamen a nobis proposito præmio vitæ: ita donum Dei est fides, quamvis & ipsa, cum dicitur, Si credideris, salvus eris, proposito præmio salutis exigatur a nobis. Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur quod & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus, sicut per Prophetam Ezechielem apertissime dicit, Ego faciam ut faciatis*. Et lib. de Dono persever. cap. 20. *quid vero*, inquit, *primitus & maxime nobis Deus jubet, nisi ut credamus in eum? Et hoc ergo ipse dat, si bene illi dictum est, Da quod jubes*.

Atque similiter explicantur innumera alia Scripturæ loca, in quibus habetur in potestate hominis esse, quærere, petere, velle, incipere suæ salutis opus. Prov. 16. cap. *hominis est præparare cor*, Isaiæ 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*. Lucæ 1. *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis*. Ad Rom. c. 7. *velle adjacet mihi*. In his enim & similibus locis præmia proponuntur volenti, petenti, quærenti; sed ita ut velit, petat, & quærat per gratiam, quod quidem aperte indicant alia Scripturæ testimonia, in quibus dicitur *non esse volentis neque currentis sed miserentis Dei*. Ad Rom. 8. cap. *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*. Ad Philipp. cap. 2. *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis*. Consuli potest S. August. lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. hanc vero objectionem & alias similes mox fusius examinabimus, cum de initio fidei. Scilicet cum hic capitalis sit error Semipelagianorum, ut supra ostendimus, initium fidei, si non ipsam fidem esse a nobis nulla gratia præveniente excitatis aut adjutis, hanc ideirco quæstionem dogmaticam huic non parum affinem fusius tractandam aggredimur.

Utrum initium fidei sit a nobis sine gratia.

MUltis modis, qui ad unum eundemque redeunt, proponitur ista quæstio; quæritur nempe utrum initium fidei sit a nobis sine gratia operantibus; utrum a fide supernaturali sumatur initium salutis; utrum primus fidei etiam inchoatæ actus fiat ab homine nulla gratia adjuto, utrum denique ex solis viribus liberi arbitrii sine ullo gratiæ supernaturalis auxilio fieri possit aliquod bonum opus, aliqua voluntas, aliqua cogitatio quæ sit principium gratiæ, per quam cogitationem homo vel mereatur gratiam & fidem quæ prima gratia est, vel saltem ad illam obtinendam disponatur.

Ut iterum repetam, fuit iste principalis Massiliensium seu Semipelagianor. error, gratiam non esse necessariam ad ini-

initium boni operis, sed requiri solum gratiam Christi ad bonum opus perficiendum, per solas naturæ & liberi arbitrii vires elici saltem posse desiderium salutis; bonam cogitationem, immo justificationis petitionem esse a nobis sine ullo gratiæ adjutorio.

Ab isto errore non multum recessisse S. Chrysostomum & nonnullos alios Patres Græcos, quidam affirmarunt hac postrema ætate, sed ejusmodi suspicionem merito ab illis Scriptoribus propulsari posse nullo negotio mox ostendemus.

Conclusio.

Initium fidei seu boni operis non est a nobis sine gratiæ auxilio operantibus.

Probatur 1. ex Scripturis, ubi innumera primum reperiuntur testimonia quæ generaliter declarant gratiam divinam ad quodcumque bonum opus supernaturale esse necessariam, qualia sunt ista, Joannis 15. *sine me nihil potestis facere*. 1. ad Corint. 4. cap. *quid habes quod non accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et c. 15. ejusdem Epist. *gratia Dei sum id quod sum*. Ad Rom. cap. 11. *reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt, si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*. Ad Titum cap. 3. *non ex operibus justitiæ quæ fecit nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*. Ephes. 1. cap. *qui operatus est omnia secundum consilium voluntatis suæ*. 1. ad Corinth. 12. *divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus*.

Ex his autem & aliis similibus aperte conficitur initium fidei seu justificationis esse a Deo per gratiam; si enim sine Deo, sine gratia Christi nihil possumus facere, si gratia non datur ex operibus; inde manifeste sequitur primam cujusque boni operis partem esse a nobis per gratiam Dei excitatis, & gratiam illam non cadere sub meritum, *gratia non ex operibus*.

Verum extant etiam quam multa in iisdem Scripturis loca quæ nominatim declarant ipsum fidei & boni operis initium esse a gratia & per gratiam.

1. Enim legitur gratiam Dei, ejusque misericordiam esse prævenientem. Ps. 58. *misericordia ejus præveniet me*. Psal. 78. *cito anticipent nos misericordiæ tuæ*. Sapientiæ 6. *praeoccupat qui se concupiscunt, ut se prior illis ostendat*. Scilicet antequam concupiscant, aliter non præoccuparet. Unde Apost. ad Rom. 11. c. ait, *quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Ex quibus locis inferunt SS. Patres Dei gratiam esse primam nostræ justificationis causam; si enim Dei misericordia supponeret operis cujusdam initium, ex parte nostri ei Deus misereretur, qui vellet vel saltem cogitaret bonum facere, quod Apostulo adversatur dicenti ad Rom. cap. 9. *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*. Consentanee ad illa Exodi verba, *miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo, cui miserebor*.

2. Legitur in Scripturis electionem non fieri a Deo ex nostris meritis, sed immo causam esse nostrorum meritorum. Joan. 15. *non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. ad Rom. cap. 9. *non ex operibus sed ex vocante dictum est ei &c.* 1. Joan. c. 4. *in hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*. 2. ad Timoth. 1. *qui vocavit nos vocatione sua sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora æterna*. Sed electio divina est primus justificationis gradus; non enim Deus elegit nos quia eramus sancti, sed ut essemus sancti, uti post Apostolum ratiocinatur S. Aug. l. de Præd. SS. c. 19.

3. Ini-

3. Initium justificationis fit per mentis illuminationem, per illustrationem intellectus: sed intellectus illustratio est divinæ gratiæ opus: Jerem. 31. *dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. 2. Corinth. 4. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu*. Ephes. 1. *Deus det vobis spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitionem ejus illuminatos oculos cordis vestri*. Sexcenta sunt ejusmodi loca in sacris litteris.

4. Principium cujuscunque boni operis quod ad salutem attineat, est bona cogitatio; sed ne cogitare quidem nos posse a nobis declarat Apostol. 2. Cor. 3. cap. *non quod*, inquit, *sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos facit ministros novi testamenti*. Quem locum de cogitatione sancta in ordine ad salutem intelligendum esse patet ex postremis verbis.

Sunt denique & alia pene innumera loca in iisdem Sacris Scripturis quæ expresse declarant omnia & singula quæ ad initium justificationis concurrunt, Dei gratiæ non meritis nostris ascribenda; ejusmodi sunt, præter ea quæ mox adduximus, bona desideria, vitæ immutatio, pœnitentia, conversio ad Deum, peccati odium & detestatio, timor salutaris judiciorum Dei, oratio denique per quam videntur primum homines ad Deum accedere & salutem impetrare; in immensum cresceret ista dissertatio si hæc omnia Scripturæ testimonia referrem.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui hanc procul dubio sententiam tradere censentur, cum expressissimis verbis scribunt per gratiam nos salvos fieri, gratiam non dari meritis & operibus, gratiam ad omne bonum opus esse necessariam; si enim initium boni operis & justificationis esset ab homine, gratia esset solummodo necessaria ad perficiendum & consummandum justificationis nostræ opus, ut ajebant Semipelagiani, non ad illum incipiendum, adeoque gratia non esset necessaria ad desiderium salutis, ad quærendum medicum, ad orandum, & alia id genus quæ initium fidei hac in quæstione reputantur.

S. Justinus dialogo cum Tryphone explicans illud Psal. 21. *Deus meus et tu, ne discesseris a me*, sic habet: *nam si videmus filium Dei, nec viribus suis nec sapientia ferre acceptam salutem, cum tamen sit innocentissimus, nec putare se posse sine Deo salvum evadere; qui fieri potest, ut quicunque sine hac spe salutem expectant, non seipsos decipiant?*

S. Clemens Alexandr. scribit orat. parænetica ad gentes, homines incredulos a Deo excitari & admoneri, quæ ambo sunt effectus gratiæ prævenientis, *quidnam aliud*, inquit, *restat incredulis quam judicium & condemnatio? non negligit autem Dominus suadens, terrens, adhortans, excitans, admonens. A somno quidem excitat, & ab ipsis tenebris eos qui aberraverunt, facit surgere. Expergiscere, inquit, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus Dominus sol resurrectionis*. Item lib. 5. Stromatum ejusdem gratiæ prævenientis necessitatem agnoscit, cum sic loquitur: *oportet quoque mentem habere sanam, & quæ nulla retardetur pœnitentia a boni veneratione, ad quod quidem maxime divina opus habemus gratia rectaque doctrina, & munda animi affectione, & Patris ad ipsum attractione*.

Quin & proferimus autoritatem Origenis, quanquam in negotio prædestinationis turpissime erraverit, is tamen ea omnia opera contendit inutilia quæ fiunt sine ope divinæ gratiæ, Comment. in Epist. ad Rom. in ista verba, *si autem gratia jam non ex operibus*, sic habet: *Sciendum est quia opera quæ Paulus repudiat non sunt justitiæ quæ mandantur in lege, sed ea in quibus hi qui*

secundum carnem legem custodiunt, gloriantur, id est vel circumcisio carnis vel sacrificiorum ritus, vel observatio sabbathorum & neomeniarum. Hac & hujusmodi sunt opera, ex quibus dicit neminem potuisse salvari, & de quibus in ipso loco dicit, quia non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Si enim per hac quis justificatur, non gratis justificatur ... non facit ergo inanem gratiam ille qui digna ei opera subjungit, & gratia Dei non existit ingratus: qui enim post acceptam gratiam peccat, ingratus fit ei qui præstitit gratiam. Si autem non inanem feceris gratiam, multiplicabitur tibi gratia, & tanquam mercedem boni operis gratiarum multitudinem consequeris. Ibi supponit Origenes dari a Deo gratiam prævenientem cujus beneficio fiunt bona opera utilia.

S. Cyrillus Jerosolymitanus catechef. 16. de gratia Dei sic loquitur, *alius temperantiam corroborat, alium instituit ad eleemosynam, alium docet jejunare, & exerceri ad pietatem & res corporeas contemnere, alium praparat ad martyrium*. Tum aliis plurimis effectibus recensitis concludit cum Apostolo, *hac autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult*. Dixerat catechef. 1. *Dei est plantare & rigare, tuum vero fructum facere. Dei est gratiam dare, tuum acceptare. Ne spernas gratiam quia gratis datur*.

Idem dogma tradit S. Basilius homil. 21. de humilitate his verbis: *Nihil tibi relictum est, o homo, de quo gloriari possis, cujus gloriatio & spes in eo sita est, ut omnia tua mortifices, & futuram in Christo vitam quaras, cujus primitias habentes in his nunc sumus per universam in gratia ac dono Dei viventes. Et Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Deus item est qui sapientiam suam prædefinitam ad nostram gloriam per Spiritum suum revelat. Deus est qui in laboribus dat virtutem. Abundantius omnibus, inquit Paulus, laboravi, non autem ego, sed gratia Dei quæ mecum est*. Ubi S. Basilius ad mentem Apostoli omnia bona opera vel etiam bonam voluntatem, bona desideria divinæ gratiæ ascribit.

Similia prorsus scribunt Gregorius Nazianzenus & Nissenus, ille quidem orat. 32. sic pronunciat; *quod ipsum etiam recte velle divino auxilio indigeat, imo ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa & electio eorum qua recta & cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans. Idcirco ait, non volentis, id est non solum volentis, neque currentis solum, sed miserentis Dei. Ita quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure totum Deo assignavit*. Quibus verbi nihil expressius desiderari potest ad revincendam Semipelagianorum doctrinam.

Idem vero Nissenus lib. de differentia essentiæ & hypostaseos paulo post initium, *quodcunque*, inquit, *ad nos a divina potentia atque virtute bonum præveneri, hac omnia efficientis gratiæ actionem & opus esse dicimus; ut inquit Apostolus, hac omnia operatur unus & idem Spiritus, distribuens singulatim unicuique prout vult. Si inquiramus autem an a solo sancto Spiritu bonorum subministratio accepto initio ita perveniat ad eos qui digni sunt iis bonis. Rursus a Scriptura deducitur ad id ut subministrationis bonorum quæ per Spiritum nobis suppeditantur, principem, autorem & causam unigenitum Deum esse credamus*.

S. Chrysostomum ab aliis Patribus Græcis non dissensisse ostendemus postea in solutione objectionum.

Nunc proferimus quædam testimonia Patrum Latinorum qui in idem plane dogma vel etiam ante S. Augustini tempora unanimiter consenserunt: de Cypriano sic loquitur Augustinus lib. 1. de Prædest. SS. c. 3. ubi hanc nostram cau-

lam

ſam tuetur adverſus Maſſilienſes : *Non ſic pius & humilis Doctor ille ſapiebat Cyprianus qui dixit in nullo gloriandum eſſe, quando noſtrum nihil ſit, quo præcipue teſtimonio convictus ſum, cum ſimiliter errarem putans fidem non eſſe donum Dei*.

Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenian. explicans illud 1. Joan. 1. *ſi dixerimus quia peccatum non habemus*, ſic habet : *eſt enim Chriſtiani hominis quod bonum eſt velle, & in Deo quod bene voluerit, currere ; ſed homini non eſt datum perficere*.

S. Hilarius in Pſal. 118. ad illum verſum, *inclina cor meum Deus, &c.* Gratiæ prævenientis neceſſitatem aperte docet: *omnia*, inquit, *Propheta ad munus Dei retulit, ſive ut ſibi intelligentia præſtetur ſive ut deducatur in ſemita, ſive ut cor ejus in teſtimonia inclinetur*. Et ad iſtum verſiculum, *veniat ſuper me miſericordia tua Domine*, ait, *ſalus noſtra ex miſericordia Dei eſt, & bonitatis ſuæ hoc munus eſt, & inde cœpit oratio, unde & ſalus inchoat deprecantis*. Et verſum hunc explicans, *ne auferas de ore meo verbum veritatis*, addit, *prius Propheta concedi ſibi orat quam ſe id mereri, ut obtineat, oſtendat, omnia vult a bonitate Dei in ſe inchoari*. In mente Hilarii intelligentia ſeu cognitio legis & oratio deprecantis ſunt divinæ gratiæ munera, nemo autem non videt ea eſſe juſtificationis & boni cujuſcunque operis initium.

Item S. Ambroſius eandem doctrinam profitetur non uno in loco, ita v. g. lib. 2. de Abraham cap. 10. *Concluſit Deus omnia in incredulitate ut omnibus miſereatur, ut non volentis neque currentis ſed miſerentis Dei eſſet gratia, ne te ipſum juſtificares, ſed omnia tribueres Deo qui te vocavit. Nemo enim pigreſcat & excuſationem prætendat quo ſerius credat, quia ſcriptum eſt, non volentis neque currentis eſſe, conſideret enim quid additum ſit, ſed miſerentis inquit Dei*. Unde S. Auguſtinus cum adverſus Maſſilienſes oſtendere voluit gratiæ prævenientis neceſſitatem, multa Sancti Ambroſii teſtimonia protulit, ut v. g. lib. de bono perſeverant. cap. 8. 19. & 23.

Et S. Hieronymus Dialogo 3. adverſus Pelagianos ſic habet, *ubi autem miſericordia & gratia eſt, liberum ex parte ceſſat arbitrium, quod in eo tantum eſt, ut velimus atque cupiamus & placitis tribuamus aſſenſum*. Intelligit Hieronymus ex parte ceſſare liberum noſtrum arbitrium quantum ad gratiam prævenientem, quia ejuſmodi gratia non pendet a libero arbitrio, in noſtra poteſtate non eſt illam habere vel non habere, ſed ſolummodo ei præbere aſſenſum, quæ quidem ſententia & ratio loquendi maxime Catholica eſt. Simillimum eſt quod ſcribit ſanctus Doctor in cap. 5. Galat. ſuper hæc verba, *perſuaſio noſtra non eſt ex eo qui vocavit vos*, ubi ſic ait : *Dei eſt vocare, hominum vero credere vel non credere*.

Jam vero inutile omnino eſt, ut puto, in ejuſdem dogmatis confirmationem S. Auguſtini verba proferre, quaſi de ipſius hac in parte ſententia & menſe quidquam dubitetur: ut ſciunt enim omnes, in hoc ſuum omnem in fine vitæ collocavit laborem, ut Maſſilienſes Pelagianorum reliquias ex eo erroris confunderet, quod initium fidei & boni operis non divinæ gratiæ ſed propriis liberi arbitrii viribus aſcribebant. Scilicet hac de re monitus ab Hilario & Proſpero, antiquiſſimam ſuper ea re Eccleſiæ doctrinam acerrime propugnavit libris integris de dono perſeverantiæ & de prædeſtinatione ſanctorum, ubi ſingularem huic doctrinæ lucem attulit, oſtendens quodcunque boni ſupernaturalis initium eſſe a Deo per gratiam excitantem & prævenientem, gratiam inquam quæ nulla præparatione mere naturali, nullo conatu, nullis liberi arbitrii viribus obtinetur, ſed ex

mera

mera Dei benevolentia, mero beneplacito impertitur.

Hanc S. Augustini doctrinam catholicam ultro & libentissime susceperunt Prosper & Hilarius qui ad ipsum scripserant, tum vero S. Fulgentius lib. de Incarnat. & gratia a cap. 16. ad finem usque. Petrus Diaconus de Incarnat. & grat. a cap. 6. S. Cælestinus Epist. 1. ad Episcopos Galliæ. S. Leo M. in Epistola decretali ad Nicetam Aquileiensem Episcopum. S. Greg. M. lib. 16. moral. cap. 10. lib. 17. cap. 9. lib. 24. cap. 6. Item S. Bernardus serm. 67. in cantica & in libro de gratia & libero arbitrio versus finem, quibus postea unanimiter consenserunt omnes ac singuli Theologi.

Probatur 3. ex Conciliis.

Res definita est ex professo in Concilio Arausicano II. adversus Semipelagianos habito, ibi enim hæc leguntur can. 5. *Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, naturaliter nobis inesse dicitur, &c.* Can. 6. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus per infusionem & inspirationem Spiritus sancti in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, &c.* Et demum can. 25. *Hoc etiam salubriter profitemur & credimus quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat.*

Idem definit Moguntina Synodus an. 1549. cap. 7. his verbis declarans, *justificationis initium ex Domini gratia provenire, qua ante omne meritum, dum adhuc inimici & peccatores sumus, excitati & adjuti, & ejusdem gratiæ sic excitanti & adjuvanti consentientes & cooperantes ad justificationem disponuntur.*

Et similiter Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 5. definit, *ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Legi etiam potest canon tertius ejusdem sessionis.

Probatur 4. nonnullis rationibus Theologicis.

Prima est, quia fides est primum Christianæ religionis fundamentum; prima ad salutem comparandam via, quod primum enim occurrit in negotio salutis, est Deum, Christum, legem, & mysteria cognoscere, quod utique non fit, ut oportet, nisi per fidem: atqui si quædam bona moraliter opera fieri possent sine gratia, opera inquam ad salutem utilia, quorum ope obtineri posset gratia; jam fides non esset primus ad salutem comparandam gradus, ejusmodi enim operibus & gratia & fides niterentur, propter illa gratiam suam largiretur Deus: igitur quæcunque opera facta sine Christi fide nullum præbent justificationis initium.

Secunda est, quia nulla actio censeri potest justificationis initium, nisi secundum entitatem sit supernaturalis; ejusmodi enim actio debet habere vim disponendi, impetrandi, merendi, aut aliquo tandem modo obtinendi gratiam quæ entitative supernaturalis est, sed opera moraliter bona per solas naturæ vires elicita sine ullo gratiæ prævenientis auxilio, non sunt secundum entitatem supernaturalia, ut supponitur enim fiunt per solas naturæ vires: igitur

tur haberi non possunt initium justificationis.

Tertia est, quia nulla est ratio cur initium fidei, hoc est, opera quæ respiciuntur tanquam boni operis & justificationis initium, qualia sunt v. g. desiderium salutis, voluntas credendi, dolor & pœnitentia de peccatis commissis, & alia id genus, ab homine potius elici possint sine ullo gratiæ auxilio, quam ipsum boni operis complementum, Deus enim dat velle & perficere, utrumque ex æquo pars est justificationis, operis justificantis, non minus unum vires naturæ superat quam aliud: igitur totum opus meritorium & ideo initium pendet a gratia Dei.

Solvuntur objectiones ex Scripturis petita.

OBjicies 1. docent passim Scripturæ Deum nostris operibus præveniri, Deumque suam conferre gratiam volentibus, conantibus, præparantibus se. Psal. 87. *mane oratio mea præveniet te*. Proverbiorum 16. *hominis est præparare animam*. 1. Regum 8. *præparate corda vestra Domino, & liberabit vos*. Zachariæ 1. *convertimini ad me & ego convertar ad vos*. 1. Paralipomenon c. 28. *si quæsieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, dejiciet te in æternum*. Igitur initium saltem justificationis est a nobis sine gratia operantibus.

Respondeo ex his & similibus Scripturarum locis, quæ certe numero infinita sunt, solummodo colligi penes hominem esse præparare se ad gratiam, obtinere & mereri gratiam, subsequentem scilicet, per actus recensitos in his Scripturæ testimoniis, per pœnitentiam, per conversionem, per orationes, per conatus, sed ita ut illi ipsi actus fiant per gratiam prævenientem; hæc quippe Scripturarum loca aliter conciliari non possunt cum aliis supra adductis in probationem nostræ sententiæ, quæ quidem expresse declarant Deum operari omnia in omnibus, sine Deo nihil nos posse facere, Deum dare velle & perficere, verum quæ facile conciliantur, si dicatur hominem gratia præveniente excitatum quosdam formare conatus, quædam desideria, quasdam conversiones, per quas meretur & obtinet alias subsequentes gratias.

Objicies, Joan. cap. 1. hoc legitur, *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Ubi gratia illa, qua filii Dei fiant, iis datur qui Christum receperunt.

Dist. qui Christum receperunt per fidem; C. per solum liberum arbitrium, N. solutio clare intelligitur ex verbis immediate sequentibus, *iis qui credunt in nomine ejus*, fides autem in Christum est gratia.

Objicies: Matth. 25. legitur parabola, quæ docet data fuisse *uni quinque talenta, alii autem duo, alii autem unum, unicuique secundum propriam virtutem*. Igitur suam dat Deus gratiam unicuique secundum naturalem facultatem.

Respondeo non multum esse roboris in ejusmodi parabolis, cum agitur de stabiliendo aliquo dogmate, non constat enim quis sit earum sensus. Sic in allata parabola certum non est per talenta intelligi debere gratiam actualem, de qua nunc quæstio est, eam interpretatur Bellarminus lib. 2. de gratia c. 3. de gratiis gratis datis quas Deus unicuique distribuit secundum proprias facultates. Vel dicendum est talentum in illa parabola singulis distribuendum, esse gratiam subsequentem quam Deus diversam pro diversa cooperatione primæ gratiæ impertit, ut respondet S. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 3. ad 1.

Objicies: 3. Regum cap. 8. Deus ait Davidi, *quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans. Veruntamen non tu ædificabis domum nomini meo*,

Un-

Unde colligitur, inquit Cassianus collat. 13. c. 22. Deo gratam fuisse illam Davidis voluntatem ; quæ tamen a Deo non fuerat inspirata, quandoquidem Deus non perfecit opus.

Respondet S. Prosper multa desideria esse a Deo inspirata, quæ tamen non vult omnino impleri, sic Matth. 28. præcepit Apostolis, *euntes docete omnes gentes*, & tamen Actorum cap. 16. *prohibiti sunt loqui verbum in Asia, & ire in Bithyniam*. Sic inspirat Deus voluntatem orandi pro omnibus hominibus, & tamen vult quosdam perire propter eorum scelera.

Objicies: plurima extant in Scripturis exempla quæ manifeste probant eximios quosdam viros per opera moraliter bona ad fidem Christi pervenisse, eamque propriis meritis obtinuisse.

Insigne est præ cæteris exemplum Cornelii Centurionis, cujus historia describitur Actorum 10. cap. qui licet Gentilis, tamen per orationes & eleemosynas Spiritus sancti gratiam obtinuit, *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*.

Aliud proferri potest exemplum Zachæi, cujus desiderium & aviditas conspiciendi Christum, insuper eleemosynæ & quadrupli restitutio in causa fuerunt cur hæc verba ab ipsius Christi ore prolata audiverit, *hodie salus huic domui a Deo facta est*, ut habetur Lucæ cap. 19.

Tertium exemplum est boni Latronis, Lucæ 23. cap. qui propter orationem qua sui memoriam in regno postulavit a Christo Domino, æternam salutem obtinuit, *hodie mecum eris in paradiso*. Igitur ex viribus naturæ sine fide & gratia fieri possunt opera, quibus fides ipsa, gratia Dei & salus obtineatur.

Respondeo ex illis aliisque similibus exemplis concludi nihil posse adversus nostram sententiam, quia hi omnes viri, quorum adducuntur exempla, virtute fidei & gratiæ prævenientis orabant, eleemosynas erogabant, aliaque ejuscemodi bona opera exercebant, quorum intuitu gratias uberiores obtinuerunt, & ad perfectiorem fidem pervenerunt. De Cornelio centurione manifestum est.

1. Ex S. Augustino qui non semel docet Cornelium gratia Dei prævenientе impulsum fuisse, antequam ad Deum per preces & eleemosynas confugeret, lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. *Incipit autem*, inquit, *homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere vel interna vel externa monitione motus ad fidem. Sed interest quibus articulis temporum, vel celebratione sacramentorum gratia plenior & evidentior infundatur. Non enim Cathecumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cum eleemosynis & orationibus dignum se præberet, cui Angelus mitteretur, sed nullo modo ista operaretur, nisi antea credidisset ; nullo modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur*. Et libro de Prædest. SS. cap. 7. *Soles dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cujus accepta sunt eleemosynæ & exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum. Nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo invocabat in quem non crediderat ?*

Idem probat S. Greg. M. homil. 19. in Ezechielem his verbis, *si enim vere & ante baptismum non crediderat, quid orabat ? Vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat, si non ab ipso se in bonis perfici petebat ?*

Tum vero S. Bernardus sermone 78. in Cantica. *Nec minus Cornelius*, inquit, *qui eleemosynis & orationibus suis, Domino quidem eas sibi inspirante, promeruit pervenire ad fidem*. Quod idem censet de Nathanaele, cujus etiam exemplum objici solet, *invenit quoque Phi-*

Philippus Nathanaelem, sed prius Dominus illum, cum esset sub ficu, jam viderat: quæ Domini visio, numquid non præparatio fuit? Hanc sententiam secuti sunt Hugo a S. Victore in Epist. ad Roman. quæst. 266. Magister sentent. in 3. dist. 25. S. Bonaventura in 3. distinct. 24. art. 1. S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. & alii passim Scholastici.

Quibus adde autoritatem Concilii Arausicani II. canone 25. hæc pronuntiantis, *unde manifestissime credendum est, quod illius Latronis quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis bonum.*

Eadem porro adhiberi debet responsio aliis adductis & quæ adduci facile possunt exemplis; scilicet universim loquendo ii omnes Sancti gratia præveniente excitati conceperunt prius fidem, ac deinde ad Deum preces fuderunt, quibus alia uberiora gratiæ dona vel etiam æternam salutem meruerunt. Sic latro speciali revelatione edoctus, priusquam ad Christum converteretur, crediderat futurum ejus regnum in cœlis, *memento mei Domine*, inquit, *dum veneris in regnum tuum*. Zachæum fuisse divina gratia præventum ostendit ratio propter quam, *hodie salus huic domui facta est*, nimirum *eo quod & ipse sit filius Abrahæ*, per fidem scilicet, non per sanguinem.

Objicies: legitur passim in Scripturis Deum promittere suam gratiam, aliaque beneficia petentibus, orantibus, pulsantibus, Matth. 7. *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis, omnis enim qui petit, accipit*. Sed ut ajunt Massilienses apud Prosperum & Hilarium in Epistolis ad S. Augustinum, si nostræ orationes Dei gratiam non impetrant, frustra oramus; frustra præcipit Christus ut oremus, ut credamus; igitur hoc primum justitiæ nostræ initium est a nobis sine grata operantibus.

Dist. maj. orantibus, petentibus, ita ut tamen oratio seu petitio fiat cum gratia, C. sine gratia præveniente, N. scilicet oratio quævis nostra fidem supponit, ad Rom. 10. cap. *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Credere autem hic intelligitur de fide supernaturali, qualis ad justificationem requiritur, ut patet ex verbis præcedentibus, *quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit*. Unde S. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 14. sic concludit, *ergo Spiritus gratiæ facit ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere quæ jubemur*.

Deinde orationem peccatoris, ut vim quandam habeat impetrandi, debere a gratia procedere certum est ex Scripturis, ad Romanos 8. cap. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*. 1. ad Corinth. 12. *nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*. Unde S. Augustinus de dono perseverantiæ cap. 23. ait divini esse muneris ut oremus, quod vidit B. Ambrosius, *ait enim, orare Deum gratiæ spiritualis est, sicut scriptum est, nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*. Et idcirco canit Ecclesia: *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur*.

Atque hoc pacto solvitur alia objectio quæ sumitur ex eo quod in sacris litteris eleemosynæ aliisque misericordiæ operibus persæpe tribuitur remissio peccatorum. Tobiæ 4. *eleemosyna ab omni peccato & morte liberat*. Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*. Matth. 5. *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Lucæ 1. *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt* vo-

vobis. Quanquam, inquiunt, ejusmodi opera misericordiæ non possint in peccatore vel in Gentili esse supernaturalia, utpote cum infusam non habeant virtutem misericordiæ, quæ non infunditur nisi post charitatem. Scilicet illa bona opera, tametsi non sint elicita beneficio charitatis aut alterius virtutis infusæ per modum habitus, suum tamen ortum habent a gratia Dei excitante & præveniente, quod unum hic volumus.

Expenditur sententia S. Chrysostomi.

DOCTRINAM S. Chrysostomi super ista materia nominatim explicandam aggredimur, quia, tametsi aliter quam cæteri Patres Græci ac plerique etiam Latini locutus non fuerit, a multis tamen, per calumniam nempe, Semipelagianismi præ cæteris Patribus errore accusatus. *Græci*, inquit Calvinus, *pie alii, atque inter eos singulariter Chrysostomus, in extollenda humanæ voluntatis facultate modum excesserunt. Veteres autem omnes, excepto Augustino, sic in hac re aut variant, aut vacillant, aut perplexe loquuntur, ut certe fere nihil ex eorum scriptis referre liceat.* A quo quidem judicio de mente Chrysostomi parum recedunt etiam nonnulli e Catholicis, præterquamquod suum omne præsidium collocabant Massilienses in autoritate Chrysostomi, quem totum suum esse prædicabant in hac doctrina circa humanos conatus & labores gratiam Dei prævenientes, *ille me docuit*, ait Cassianus de Chrysostomo lib. 7. de Incarnatione adversus Nestorium, *ac per hoc non tam hoc meum, quam illius esse creditur.*

Objicies itaque nonnulla S. Chrysostomi loca in quibus manifeste docet voluntates nostras inter agendum a Deo non præveniri, sed Deum nostros conatus, nostra subsequi desideria. Homil. 27. in Joan. *Hinc admoneri possumus*, inquit, *Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse, sed cum nos promoto paratoque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones*. Hom. 9. in Genesim, *gratia parata est, quærens qui se cum largitate suscipiant. Quod si Deus viderit animam vigilem & desiderium fervens, ipse suas divitias largiter suppeditat*. Homil. 42. in Genesim de Abraham sic loquitur, *Nisi prius ille quod suum erat, fecisset, non tanta a Domino obtinuisset. Eapropter attende quomodo primum in omnibus virtutis suæ indicium exhibuerit, ac si divinum meruerit præsidium*. Homil. 12. in Epist. ad Hebræos, *Oportet*, inquit, *nos eligere primum quæ bona sunt, & tunc Deus quæ sua sunt introducit, non antecedit nostras voluntates, ne lædatur arbitrium; cum autem nos elegerimus, multam tunc affert auxiliationem.*

Hinc idem Chrysostomus de causa prædestinationis & reprobationis idem omnino sentire videtur ac Massilienses, videlicet Deum illos eligere quos prævidit bene operaturos, alios vero reprobare, homil. in cap. 9. Epist. ad Roman. in hæc verba, *Cum nondum nati fuissent*, sic habet: *multi Matthæo meliores esse videbantur ab apparenti rerum argumento. Verum qui cogitationis aptitudinem probare potest, is & in cœno margaritam jacentem novit, omissisque aliis, admiratus hujus pulchritudinem illum elegit, voluntatisque nobilitati suam cum adjunxisset gratiam, probatum illum esse pronuntiavit*. Similia docet homil. 31. in Math. homil. 1. in Epistolam ad Ephesios, & homil. in Psal. 115.

Atque hinc etiam agnoscit in hominibus aliquas dispositiones ad gratiam, quæ præcedunt gratiæ infusionem, uti habet lib. 1. de compunctione cordis his verbis, *rectas mentes diligit Deus & sine fuco propositum. Quod etiam in Paulo prospiciens licet adhuc alio itinere videretur*

tur incedere, tamen quia proposito recto & zelo Dei hoc agebat, dicit de eo Dominus, quia vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus & filiis Israel; hæc autem testatus est de eo, priusquam ei gratia daretur. Quod idem docet homil. 27. in Genesim, & citata homilia 12. in Epistolam ad Hebræos.

Respondeo S. Chrysostomum affirmare quidem nostrum esse incipere, nos primum eligere & velle, priusquam Deus conferat suam gratiam; sed ita ut supponat nos velle & incipere cum divinæ gratiæ auxilio, gratia præveniente adjutos, priusquam Deus largiatur gratiam subsequentem, quo posito nullam Semipelagianismi suspicionem incurrit sanctus Doctor, hanc autem ipsius esse mentem constat,

Primo, quia sexcentis in locis veritatem catholicam de necessitate gratiæ prævenientis ad singula bona opera expresse tradit; Nam v. g. homil. 38. in Genesim, ait Deum preces nostras prævenire, *ut scias*, inquit, *quod Deus non solum benefacere vult & dona sua dare, sed solitus sit sua beneficia accepturos facere clariores, vide quomodo hoc & in Chananæa illa faciat .... Neque responso dignatur eam misericors & clementissimus Dominus, alioquin preces nostras semper præveniens.* Homilia etiam 2. in Psal. 50. *provocat nos Deus*, inquit, *& dicit, Da & tu aliquid, ut puta mille scelera perpetrasti, habes onera delictorum; volo alleviare pondus tuum, da & tu manum tuam; non quia ego tui egeo, sed quia volo & te aliquid conferre ad tuam utilitatem.* Quantumvis igitur plurimum nostris conatibus tribuat Chrysostomus, censet tamen Deum incipere & gratia sua excitante voluntates nostras prævenire.

Rem hanc clarius adhuc docet hom. 22. in Genesim, *Nonne manifestum est*, inquit, *sua quemvis voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere; nam nisi ita esset, & naturæ nostræ potestas insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones recipere oportebat; verum quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideo & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.* Si totum post gratiam Dei in nostra voluntate relictum est, profecto priorem partem habet gratia Dei in bonis nostris operibus.

Simile est quod legitur homil. 2. in cap. 1. Epist. 2. ad Timoth. *Quomodo*, inquit, *vocatus es vocatione sancta, hoc est, sanctos effecit qui peccatores & inimici eramus, & hoc non ex nobis, sed ex divino munere est. Si igitur ille & potens est vocando & bonus, idque per gratiam, non ex debito faciendo, nihil est cur metuamus. Qui enim nos cum perditi inimicique essemus, salvos per gratiam fecit, multo magis cum operantes viderit, cooperator accedit, non secundum opera nostra, inquit, sed secundum propositum suum, nemine cogente, nemineque consulente, sed ex proposito suo, sola vi suæ bonitatis impulsus salvos nos fecit, secundum propositum suum, inquit, & gratiam.*

His adde S. Chrysostomum verbis conceptissimis asserere gratiam non dari præcedentibus meritis, homil. 38. ad populum de humilitate: *Ne mercedem reputes*, inquit, *ut capias mercedem, gratia confitere salvari, ut Deus tibi se debitorem confiteatur non modo meritorum, verum & talis gratitudinis.* Hom. 13. in Joan. *gratia Dei semper in beneficiis priores sibi partes vindicat. Non enim nostris præcedentibus meritis hanc accepimus remunerationem, non solum quod facti sumus ex nihilo, sed quod facti & facienda didicerimus.* Homil. 71. in Joan. ad illa verba, *sicut ego dilexi vos*, ait, *non enim vestris præcedentibus meritis debitum persolvi, sed ego incepi.* Quibus verbis nihil illustrius desiderari potest ad mentem S. Chrysostomi vindicandam.

Ad hæc non semel totum Deo ascribit ejusque gratiæ in negotio salutis & bonorum operum, sic v. g. homil. 12. in 1. Corinth. 4. *Igitur quod accepisti, habes, neque hoc tantum aut illud, sed quicquid habes. Non enim merita tua hæc sunt, sed Dei gratia. Quamvis fidem adducas, a vocatione eam accepisti; quamvis peccatorum veniam adducas, quamvis dona, quamvis doctrinæ sermonem, quamvis virtutes, omnia inde tibi provenerunt. Quid igitur habes quæso quod non acceptum habeas, num ipse per te recte operatus es? Non sane, sed accepisti, & idcirco magni te facis, propterea cohibearis oportet, non enim tuum id munus est, sed largientis*. In Epistolam D. Pauli ad Philippenses super hæc verba cap. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle & percipere*, scribit non solum bona opera, sed & bonam voluntatem esse a Deo, *propensionem*, inquit, *voluntatis ipse nobis præbet & operationem*: & postea, *Deus vult nos secundum voluntatem suam vivere, si vero vult, agit nos ad hoc, ipse istud omnino operabitur*. Certe nec ipse etiam Augustinus Ecclesiæ doctrinam, de gratiæ prævenientis ad bonum opus necessitate, verbis unquam significantioribus expressit.

Secundum momentum quod persuadet præfatas sancti Chrysostomi locutiones, in quibus docere videtur initium boni operis esse a nobis, non omnem omnino gratiam prævenientem excludere, ideoque ab omni Semipelagianismi suspicione liberum esse S. Doctorem, ex eo petitur quod similes passim reperiantur locutiones, tum in Scripturis, tum apud Sanctos Patres dicti erroris minime suspectos.

In Scriptura quidem sacra, Proverb. 16. *hominis est præparare animam*. Psal. 22. *misericordia tua subsequetur me*. Zachariæ 1. *convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Jacob. 4. *appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*. Quibus simillima reperies alia prope innumera, quæ, licet prima fronte Semipelagianis favere videantur, cum aliqua tamen modificatione accipi debent, nimirum, ut diximus, supponendo dari gratiam prævenientem ad hoc bonorum operum initium, propter aliquamplura ejusdem scripturæ loca, in quibus declaratur sine gratia nihil fieri posse, Deum operari omnia in omnibus, Deum operari & velle & perficere, &c.

Eædem quoque locutiones occurrunt passim in scriptis SS. Patrum, vel etiam eorum qui omni Semipelagianismi suspicione vacant.

S. Cyprianus de quo sic loquitur S. Augustinus lib. 1. de Prædest. SS. cap. 3. *non sic pius & humilis Doctor ille sapiebat Cyprianus*, quomodo nimirum Massilienses, *qui dixit in nullo gloriandum esse, quando nostrum nihil sit, quo præcipue testimonio convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem non esse donum Dei*. Is tamen libro de exhortatione ad martyrium cap. 10. sic habet, *unusquisque secundum dominica promissa & fidei suæ merita tantum accipit de Dei ope, quantum se credit accipere, neque est quod omnipotens præstare non possit, nisi accipientis fides caduca defecerit*. Quæ quidem verba de gratia tantum subsequente debent accipi.

Similiter S. Ambrosius, cujus etiam testimoniis utitur Augustinus adversus Massilienses lib. de Dono perseverantiæ cap. 19. & merito quidem quia luculentissima sunt, tamen lib. 2. de Abraham cap. 10. sic loquitur, *talem te præbe bonis studiis & prompta fide, ut Deus tui misereatur & vocet te*. Item in Psal. 118. *non volentis neque currentis hominis perseverantia est, non est enim in hominis potestate, sed miserentis Dei est, ut possis complere quæ cœperis*. Et in Psal. 26. ad illa verba, *os justi meditabitur sapientiam*, sic disserit: *nam in omnibus hæc gratia est, sed potest esse & in pluribus diligentia. Ne igitur expectes*

pectes ut excitet te Christus , sed potius Christum excita, excitat eum qui de ipso dormitans cogitat. Si tu illum excitaveris, & ipse te excitabit a somno, resuscitabit a morte dicens tibi , Exurge a mortuis. Cum surges ergo vel resurges , ipsum loquere, ut impleas quod juberis, audi quomodo Christus te excitet . Quæ certe non de gratia primum excitante intelligi possunt, sed de subsequente.

Ejusmodi est quod legitur apud S. Hieronymum multis in locis, sic v. g. dialogo 3. adversus Pelagianos scribit, *quæ*, justitia, *labore & industria ac diligentia & semper super omnia Dei clementia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius sit tribuere quod rogatur ; nostrum incipere, illius perficere ; nostrum offerre quod possumus, illius perficere quod non possumus*. Diceres putasse Hieronymum initium justificationis esse a nobis sine gratia, ab illo tamen errore plurimum distat ; totus est enim in illis dialogis adversus Pelagianos ut doceat hoc nostrum incipere & rogare fieri virtute gratiæ prævenientis, uti & clarissime testatur Epist. octava ad Demetriadem, his verbis, *velle & nolle nostrum est , ipsum quoque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est*.

Ex quibus locis, neque vero plura hic congerere necesse est, abunde intelligitur S. Chrysostomum in errorem Semipelagianorum non incidisse, quod præfatis utitur passim locutionibus, quandoquidem simili prorsus modo loquuntur Patres Latini, quos ne ipsi quidem adversarii putabant in hujus doctrinæ supicionem venire.

Tertium ad vindicandam hac in parte S.Chrysostomi fidem accedit momentum; quod hæc nostra quam propugnamus doctrina, de necessitate gratiæ prævenientis ad quodcunque bonum opus incipiendum, habita fuerit semper tanquam vera fides catholica, omnium fidelium & antiquorum Patrum, non Augustini modo & ejus discipulorum, sed & omnium utriusque Ecclesiæ Doctorum sententia.

Ac 1. quidem præter allata in probationibus nostris SS. Patrum testimonia, in hujus veritatis confirmationem merito proferre possumus testimonium ipsius S. Augustini, qui catholicam hanc fidem defendens ex professo adversus Massilienses libris de Prædestin. Sanctorum & de Dono perseverantiæ, pro certo & indubitato tenendum esse statuit suam sententiam esse omnium fidelium & sanctorum Doctorum, quorum multa refert testimonia, ut supra observavimus. Sic vero loqui ausus non fuisset August. si novum quoddam tunc in medium protulisset dogma, novam quandam opinionem: unde in Ep. 186. idem docens de initio gratiæ, addit confidenter, *hæc semper tenuit catholica Ecclesia*.

2. Id constat ex Cœlestino I. summo Pontifice, qui in percelebri illa Epistola quam scripsit ad Galliarum Episcopos, B. Augustini doctrinam, quæ adversus Massilienses tunc temporis defendebatur a Prospero & Hilario, velut antiquam perhibet, contrarium errorem appellans novitatem, *filii nostri præsentes Prosper & Hilarius, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti ... desinat, si ita res sunt, incessere novitas vetustatem*. Et postea, *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper decessoribus haberetur*. Siccine vero loqueretur Cœlestinus de illa S. August. doctrina, quam videlicet propugnavit adversus Massilienses, si quandam novitatem protulisset S. Doctor adversus omnium Patrum Græcorum & nominatim Sancti Chrysostomi fidem?

Id

Id confirmatur ex testimonio S. Prosperi libro contra Collatorem cap. 21. scribentis de Cœlestino, *unde & venerabilis memoriæ Pontifex Cœlestinus, cui ad catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est ... evidenter pronuntians quantum sibi præsumptionis istius novitas displiceret, qua auderent quidam adversus antiquos magistros insolenter insurgere & indisciplinata calumnia prædicationi veritatis obstrepere*. Ubi Prosper in eo consentit quod dixerat Cœlestinus veram & antiquam fuisse illam S. Augustini doctrinam quam tradiderat adversus Massiliensium novitatem.

3. Id habetur ex Epist. Petri Diaconi & Sociorum, qui ob quæstiones fidei ex Oriente Romam missi fuerunt, scripta ad Episcopos Africanos in Sardinia exules, de gratia Christi quid cum ipsis universæ Orientis Ecclesiæ sentiant & contra hæreticos defendant, *utile & pernecessarium sanctisque Dei Ecclesiis specialiter credimus profuturum ea quæ de Incarnatione & dispensatione divina nobiscum universæ sanctæ Ecclesiæ Orientalium contra hæreticos defendunt (qui pravis & iniquis argumentis antiquam Ecclesiæ fidem inquietare non cessant) sanctitati vestræ suggerere, atque de his consensum vestræ beatitudinis suppliciter promereri. Quia in nullo sanctam gloriosamque confessionem vestram credimus dissentire, præsertim cum uno ubique Spiritu sanctam Dei Ecclesiam vegetari minime dubitemus. Non enim parva immo potius magna lætitia universi replebuntur Orientales, si sanctitatem vestram suis, immo magis catholicis noverint in omnibus consentire dogmatibus*. Ii omnes initium justificationis ex gratia eo modo tradebant ac ipse Augustinus; ut constat tum ex hoc libro de Incarnatione & gratia Petri Diaconi, tum ex alio quem rescripsit Fulgentius, tum denique ex Epist. Episcoporum Africanorum in Sardinia exulum.

Ex quibus omnibus validissimum depromitur argumentum ad vindicandam non modo S. Chrysostomi sed & aliorum Patrum Græcorum fidem: ex his enim ostenditur utramque Ecclesiam Græcam & Latinam in idem plane dogma super ista re contra Semipelagianos consensisse. Et certe si præstantissimi quique Patres Græci, quorum unus fuit Chrysostomus, idem docuissent, quod postea Cassianus, Faustus & alii Semipelagiani, initium fidei esse a nobis sine gratiæ prævenientis auxilio, immo si & hoc ipsum etiam tradiderunt multi Patres Latini qui S. Augustinum præcesserunt; sequitur manifeste totam Ecclesiam errasse in illis prioribus sæculis, cum videlicet docuerunt initium justificationis non esse a gratia; vel novum dogma introduxisse hunc sanctum Doctorem, quod certe a nemine cordato dici potest; ipse enim August. & alii Patres & Pontifices confidenter pronuntiant, ut diximus, hanc suam doctrinam & veritate & antiquitate commendabilem.

Frustra igitur hoc loco nobis opponuntur aliorum quoque Patrum testimonia, quale est istud v.g. S. Just. Apolog. 2. *libero arbitrio genus humanum & res turpes fugere potest, & pulchras ac bona sequi*. Tum istud S. Irenæi lib. 4. adversus hæreses c. 9. *Homo liber in arbitrio factus & suæ potestatis ipse causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat*. S. Clementis Alexandr. lib. 1. Stromatum pag. 7. *præparat*, inquit, *Philosophia ei viam muniens qui a Christo perficitur*. Et l. 7. *Philosophia autem Græca veluti præpurgat animam ad fidem accipiendam, super quam veritas ædificat cognitionem*. Quod idem vel clarius docet Origenes, qui commentario in caput 9. Epistolæ ad Romanos scribit Deum eligere ex præscientia meritorum eos quos scit futuros esse bonos, ita ut in nostra potestate sit ex nobis fieri bonos & puros.

Hæc

Hæc inquam & alia similia Patrum Græcorum loca frustra objiciuntur adversus istud catholicum Ecclesiæ dogma; eodem enim modo explicari debent quo præfata S. Chysostomi testimonia sumus interpretati, adjunctis etiam aliis momentis quæ persuadent illos Sanctos Doctores nihil scripsisse in præsenti negotio contra mentem S. Augustini, quæ quidem responsio potest etiam ex iis confirmari quæ dicemus postea, cum de gratia efficaci agetur.

Neque est quod dicatur S. Augustin. quando respondet objectionibus Massiliensium, quarum hæc præcipua erat, secum antiquos Patres ac præsertim Græcos idem sensisse de initio justificationis, nunquam negasse in illa sententia versatos fuisse illos Patres, immo tacite in id consensisse dicendo sanctos illos Doctores non ita accurate sed securius locutos fuisse nondum exorta hæresi Pelagiana; adeo ut nullibi respondeat aperte illos talis sententiæ fuisse patronos.

Huic, inquam, evasioni nullus certe locus esse potest, quandoquidem S. Augustinus, uti supra observavimus, expresse testatur suam sententiam contra Massilienses esse omnium fidelium, quod utique confirmat adducendo plurima Patrum Græcorum & Latinorum testimonia. Falsum est etiam tacite illum consentire antiquos Patres ejusdem fuisse opinionis cum Massiliensibus, cum respondet illos non omnino accurate locutos fuisse nondum exorta Pelagianorum hæresi; sic enim fatemur solum duriora fuisse illorum Patrum verba, se nedum consentit ea fuisse erronea, quin potius illos mire vindicat.

Utrum homo possit per solas naturæ vires præparare se ad gratiam.

HIc iterum errarunt Pelagiani & Semipelagiani: contendebant illi hominem sine ullo gratiæ auxilio posse dona Dei promereri; Semipelagiani autem dicebant hominem per initium boni operis, per bonam cogitationem, per bonum desiderium sine gratia & per solas naturæ vires elicitum, mereri fidem & gratias subsequentes.

Jam vero dupliciter intelligitur hominem posse se ad primam gratiam præparare per solas naturæ vires. 1. ita ut illius bonis operibus sine gratia elicitis gratia debeatur ex condigno tanquam vera merces. 2. ita ut debeatur solum ex congruo propter decentiam.

CONCLUSIO.

Nullo modo potest homo præparare se ad primam gratiam per bona opera sine gratiæ adjutorio elicita.

Probatur ex iis omnibus momentis quæ mox protulimus adversus Semipelagianos, ut ostenderemus initium fidei non esse a nobis, sed & ipsi divinæ gratiæ ascribendum; hinc enim manifeste sequitur hominem non posse per solas naturæ vires præparare se ad gratiam, hominem non posse mereri primam gratiam, quandoquidem ipsum salutis desiderium est a Deo non a nobis sine gratia operantibus, Deus est qui operatur in nobis velle & perficere; consuli possunt quæ mox diximus in præcedenti dissertatione.

Utrum homo possit sine gratia aliquod facere bonum opus morale.

OPus morale seu actio humana quæ fit ex rationis judicio & deliberata voluntate, habere concipitur bonitatem diversi ordinis, naturalis nempe & supernaturalis. Opus morale bonum in ordine naturali, est actio humana, quæ licet sterilis in ordine ad salutem, est tamen honesta & rectæ rationi conformis, qualis est erogatio eleemosynæ facta ab aliquo Gentili ex solo virtutis aut honestatis motivo sine fide & gratia Christi. Opus morale bonum in ordi-

ordine supernaturali, est illud quod aliquid confert per modum meriti ad salutem æternam: dicitur vero actio supernaturalis, quia fit ex principiis supernaturalibus, nimirum fide & gratia Christi.

Notandum insuper duplicem esse gratiam, alia nimirum est habitualis & sanctificans, alia vero est actualis.

His positis divisionibus, quædam hic instituuntur quæstiones circa necessitatem gratiæ ad bonum opus morale in genere. 1. enim quæritur, utrum sine fide Christi fieri possit aliquod bonum opus morale naturalis ordinis. 2. Utrum sine gratia possit fieri bonum opus morale ejusdem ordinis naturalis. 3. Utrum sine gratia sanctificante fieri possit bonum aliquod opus morale ordinis supernaturalis.

Utrum sine fide fieri possit aliquod bonum opus, vel omnia infidelium opera sint totidem peccata.

CElebris est hæc controversia inter Theologos, utrum ab homine Christi, fide destituto, fieri possit aliquod opus bonum moraliter in ordine naturali, hoc est honestum & rectæ rationi consentaneum. Aliter proponitur quæstio, utrum omnia infidelium opera totidem sint peccata, quod in eundem redit sensum; si enim infideles nullum possunt bonum opus exercere, eo præcise quod Christi fide carent, certe singula eorum opera totidem sunt peccata, nullæ enim dantur actiones indifferentes saltem in individuo, ut plerique omnes docent Theologi.

Duæ sunt super ea re oppositæ sententiæ.

Prima est Jansenii Iprensis qui totus est lib. 4. de statu naturæ lapsæ ut ostendat hominem sine Christi fide, quæ prima est gratia, non posse ullum facere opus bonum morale etiam naturalis ordinis, unde sine ullis ambagibus pronuntiat omnia infidelium opera esse vera peccata non late solum & improprie, sed proprie & stricte.

Jansenium pauci admodum secuti sunt inter Theologos, cæteris fere omnibus universim docentibus, solam fidei christianæ absentiam non sufficere, ut omnia infidelium opera sint peccata, sed illa bona esse saltem in ordine naturali quæ bona sunt, ut hic supponitur, ratione finis & ratione officii; horum sententiam amplectimur.

CONCLUSIO.

Sine fide homo potest aliquod facere bonum opus in ordine naturali, & consequenter omnia infidelium opera non sunt totidem peccata.

Probatur 1. ex Scripturis, in quibus interdum legimus laudatos Infideles propter quædam opera bona: sic laudatur Cyrus Magnus, quod templum Jerosolimitanum instaurari præceperit. Laudatur Assuerus Persarum Rex, quod Judæos ab injusta internecione liberaverit. Quia & nonnunquam remunerantur Gentiles, ut obstetrices Ægyptiæ, quibus bonorum temporalium abundantiam largitus est Deus, quod Hebræorum masculis pepercerant. Tum & Nabuchodonosor qui propter bellum recte gestum adversus Tyrios, sicuti Dominus imperaverat, pro mercede accepit terram Ægypti & manubias ejus.

Neque est quod respondeatur argumento ex his Scripturæ sacræ exemplis petito, ejusmodi opera infidelium laudatorum facta fuisse cum gratiæ Dei auxilio, siquidem hic quæstio non est de gratia sed de fide Christi, inquiritur solum impræsentiarum num absentia fidei christianæ reddat opera infidelium mala & vere peccata.

Præterea idem aperte colligitur ex istis Christi verbis Matth. 5. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?*

bitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Ubi Christus supponit Ethnicos dilectione moraliter bona amicos & fratres diligere; aliter enim aptum non esset atque efficax ejus argumentum, qui e contra dilectionem Ethnicorum ut malam reprobasset. Scilicet arguit ibi Christus Dominus comparatione facta a minori ad majus, & probat discipulos teneri ad inimicos suos diligendos, nec satis esse suos amicos diligere, quia id præstant Ethnici solo scilicet naturæ ductu; hoc certe exemplum suis discipulis non proposuisset Christus, si quid mali fecissent Ethnici, si peccassent vero & proprie dicto peccato, cum amicos diligebant; putat solum & innuit minorem esse perfectionem in Ethnicis suos inimicos diligentibus, hocce eorum opus minori mercede dignum, quasi dixisset, Si diligitis tantum eos qui vos diligunt, non aliam habebitis mercedem quam temporalem quæ datur Ethnicis, quo fit ut statim addat, *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.*

Probatur deinde ex Epistola S. Pauli ad Romanos, cap. 1. hæc leguntur: *Revelatur enim*, inquit, *ira Dei de cœlo super omnem impietatem hominum eorum qui veritatem Dei in justitia detinent; quia quod notum est Dei, manifestum est illis. Deus enim illis manifestavit, invisibilia enim ipsius a creaturis mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Ubi Divus Paulus de Infidelibus verba faciens, supponit eos potuisse non solum cognitione sed etiam affectu & vera adoratione Dei justitiam prosequi; ait enim eos fuisse omnino inexcusabiles, quod Deum non colerent, & veram justitiam non sectarentur.

Insigne præterea est quod docet Apostolus cap. 2. ejusdem Epistolæ his verbis, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Ubi testatur Paulus opera infidelium, qui sola natura duce & propria conscientia agunt, esse tamen moraliter bona; faciunt enim quæ legis sunt, hoc est quæ præcipiuntur lege naturali, quæ quidem præcipit opus bonum, non tantum ratione officii, sed etiam ratione finis.

Certe si Ethnici subire possunt judicium Dei, quia legis naturalis præcepta non adimpleverunt, ut ibi docet Apostolus his verbis, *quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; & quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Profecto mala censeri non debent eorum opera quæ sunt legis naturalis; peccare censeri non debent, cum legem naturalem sequuntur in operibus officio & fine bonis.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

Origenes primum lib. 2. de Epist. ad Roman. super ista verba cap. 2. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco*, id apertissime docet his verbis: *Sed & Græcus, id est Gentilis, qui cum legem non habeat, ipse sibi est lex, ostendens opus legis in corde suo & naturali ratione motus (sicut videmus nonnullos in Gentibus) vel justitiam teneat, vel castitatem, vel prudentiam, temperantiam, modestiamque custodiat; iste licet a vita alienus videatur æterna, quia non credit Christo, & intrare non possit in regnum cœlorum, quia renatus non est ex aqua & Spiritu sancto, videtur per ea, quæ dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam & honorem, & pacem perdere penitus non posse.* Ubi certe Origenes veras agnoscit virtutes in Gentilibus, veram justitiam, castitatem, prudentiam, temperantiam.

Similiter docet Tertullianus lib. de fuga sæculi cap. 3. naturam ipsam sine lege, boni operis esse magistram. *Omnes*

nes ergo, inquit, *sub lege sed naturali*; *sed non est omnium*, *ut unusquisque sibi sit lex*. *Ille autem sibi lex est*, *qui facit sponte quæ legis sunt*, *& in corde suo scriptum opus legis ostendit*. *Primum natura ipsa boni operis magistra est*.

Tum S. Athanas. l. 2. contra Arianos: *Jure igitur Paulus*, inquit, *incusat Græcos*, *quod congruentiam inter se partium ordinemque rerum naturæ contemplantes*, *nihil cogitaverint de naturæ ratione sive Verbo*. *Res enim conditæ conditorem ostendunt*, *ut per eum verum Deum intelligant & cultum omittant admirationemque creaturarum*. Frigida porro, ne dicam iniqua, fuisset incusatio, si Græci infideles non potuissent solis naturæ viribus Deum tanquam authorem creaturarum colere.

S. Gregor. Nazianz. orat. 19. in laudem parentis sui demortui virtutes morales infidelium valde commendat: *quemadmodum*, inquit, *ex nostris plerique nobiscum non sunt*, *quos scilicet a communi corpore flagitiosa vitæ ratio separat*, *sic contra permulti exterorum a nobis stant*, *quicunque nimirum fidem moribus antevertunt*, *ac solo Christiani nomine carent*, *cum rem ipsam habeant*, *quo in numero meus quoque pater erat*, *ramus quidem alienus*, *cæterum morum honestate ad nos propendens*.

Quibus accedit Hieronymus qui non uno in loco hanc nostram sententiam diserte tradit in illud quippe Galat. 10. *Ut relevaret filium suum im me*, hæc scribit: *Perspicuum fit natura omnibus*, *Dei inesse notitiam*, *& habere in se semina sapientiæ & justitiæ reliquarumque virtutum*. *Unde multi absque fide & Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua*, *vel sancte*, *ut parentibus obsequantur*. Et Epistola ad Demetriadem, *multos*, inquit, *Philosophorum audivimus & legimus & vidimus ipsos castos*, *patientes*, *benignos*, *modestos*, *liberales*, *abstinentes*, *justitiæ amatores non minus quam sapientiæ*. Tum vero in cap. 22. Math. hac præsenti quæstione in deliberationem missa, sic respondet: *Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita*; *cum sciamus*, *quosdam esse proclives ad vitia*, *& ruentes ad mala*; *alios ob honestatem morum virtutibus deditos*. Quibus Hieronymi testimoniis nihil luculentius desiderari potest.

Cæteris vero clarius adhuc, si fieri potest, loquitur Chrysostomus adeo ut longius quam par sit progressus putetur a nonnullis, quasi sine Christi fide Infideles salvari posse crediderit; cujus tamen fidem hac in parte alibi vindicabimus. Homil. 37. in Math. *qui ante Christum obierunt*, inquit, *atque ideo ipsum non cognoverunt*, *si ab Idolorum cultu recesserunt*, *ac Deum solum adoraverunt*, *si præterea honeste vitam peregerunt*, *æterna bona & beatitudinem adipiscentur*. *Paulum audi*, *Gloria*, inquit, *& pax omni operanti bonum*, *Judæo & Gentili*. Homil. 5. in cap. 2. Epist. ad Rom. *per hæc*, inquit, *rursus ostendit Deum sic hominem finxisse*, *ut possit per se virtutem intelligere ac vitium declinare*. Quæ eadem plane docet S. Cyrillus Alex. l. 3. contra Julianum prope finem, tum Æcumenius in Epist. ad Rom.

Probatur vero autoritate S. Augustini quem præ cæteris suæ causæ patronum gloriantur adversarii; is enim multis in locis aperte docet virtutes morales esse in Infidelibus. Epistola 144. Polemonem Gentilem, ut virtute continentiæ præditum describit: *Polemo ergo*, inquit, *si ex luxurioso continens factus ita sciret*, *cujus esset hoc donum*, *& eum abjectis superstitionibus Gentium pie coleret*, *non solum continens sed etiam veraciter sapiens & salubriter religiosus existeret*; *quod ei non tantum ad præsentis vitæ honestatem*, *verum & ad futuræ immortalitatem valeret*. Lib. 1. de peccat. cap. 22. *unde enim fit*, inquit, *ut homo ab ineunti pueritia modestior*, *ingeniosior*, *temperantior*, *ex magna parte libi-*

bidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras provectior aptiorque consurgat, & tamen eo loco sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit. Ubi certe ante gratiam fidei admittit virtutes.

Lib. de Patientia cap. 26. *Si quis*, inquit, *in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum, & ignis æterni, nullo modo ista culpanda sunt, immo vero & hæc laudanda patientia est*. Ubi in homine qui fide caret, admittit patientiam *nullo modo* culpandam sed laudandam; proindeque non modo ratione officii sed & in fine bonam.

Quod vero palmare est ad hanc nostram sententiam stabiliendam, depromitur ex lib. de spiritu & littera c. 27. ubi hæc scribit Augustinus. *Si autem*, inquit, *hi qui naturaliter quæ legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter justeque volentium; quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam, non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus: quanquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur, verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere; si hoc est quod dictum est quia gentes quæ legem non habent, hoc est legem Dei, naturaliter quæ legis sunt faciunt*. Et cap. 28. *a cujus gratia si alieni sunt illi, de quibus agimus*, Gentiles scilicet, *qui secundum illum modum, de quo superius satis diximus, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, quid eis proderunt excusantes cogitationes in die qua judicabit Dominus occulta hominum, nisi forte ut mitius puniantur*.

Ubi 1. opera infidelium pauciora esse fatetur quæ laudari possint, si spectetur finis quo fiunt, sed nonnulla tamen esse supponit his verbis, *vix inveniuntur quæ justitiæ, &c.* 2. Testatur in infidelibus licet nondum per gratiam Christi justificatis non omnino detritam esse Dei imaginem. 3. Infideles non posse quidem bonis illis operibus vitam æternam consequi; sed mitius tamen puniendos.

Quibus adde totum esse Augustinum eo loci, ut ostendat illa bona infidelium opera, *aut parum aut nihil eis prodesse in die qua judicabit Deus occulta hominum*. Quod ut Pelagianis persuaderet, profecto non omisisset dicere ejusmodi opera esse peccata & absolute mala.

Id vero & apertissime docet S. Fulgentius lib de Incarn. & grat. cap. 26. *quod si*, inquit, *quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem; quomodo hi potuerunt justi esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem Christianæ fidei charitatisque non referant? Quibus aliqua quidem bona quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt; sed quia non fide & charitate Dei fiunt, prodesse non possunt*. Quod idem tradit cap. 27. ubi ait, *justitiam quæ ex lege est, esse ex homine; justitiam vero quæ ex fide Christi est, non esse nisi ex Deo*. Justitia porro quæ ex homine est, non est quidem virtus supernaturalis quæ utilis fit ad salutem æternam; sed virtus est naturalis & humana quæ ipsa peccatum non est, aliter falso & absurde diceretur justitia.

K 2 Pro-

Probatur 3. autoritate summorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. qui inter alias propositiones Baii, sequentes condemnaverunt. Una inter illas quæ 25. hæc est, *omnia Infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*. Altera quæ est 28. *liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*. Item quæ est 37. *cum Pelagio sentit qui bonum aliquod naturale, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit*. Et 38. *omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur; aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur*. Demum quæ numeratur 22. his verbis, *cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli ad Roman. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*.

Has porro propositiones, aliasque nonnullas plane similes, eandemque continentes doctrinam, proscribere non potuerunt præfati Pontifices, quin expresse & diserte statuerint ab homine posse aliquod bonum opus morale naturalis ordinis fieri sine fide Christi; adeoque omnia Infidelium opera non esse absolute mala & peccata.

Probatur 4. ratione. Siquidem ut actio sit bona moraliter in ordine naturali, satis est quod in eodem ordine fiat ex bono fine & bonum habeat objectum, aliasque laudabiles circunstantias: atqui nil impedit quominus quædam actio Ethnici fiat ex bono fine, & aliunde bonum habeat objectum, & laudabiles circunstantias; ut si v. g. eleemosynam eroget ex motivo sublevandi miseriam inopis propter Deum quem novit naturæ & omnium bonorum autorem beneficum; is enim hoc fine & motivo agere potest, in quo ratio naturalis, quæ ad id sufficit, per peccatum non est omnino vitiata & extincta: atqui in homine vel Ethnico ratio non est per peccatum omnino vitiata & extincta, ut docet experientia, & aperte tradit Augustinus Libro de spiritu & littera c. 27. ergo nil vetat quominus possit Infidelis facere bonum opus morale naturalis ordinis.

Et certe in systemate adversariorum optima quæque opera Infidelium vitiosa sunt & totidem peccata quæ a Deo punientur in æternum: peccatum est nudum operire, & alio quovis pacto miseriam inopis sublevare; peccatum est in liberis, si pie parentibus opitulentur; peccatum est demum in Philosophis, si Deum quem ex his visibilibus creaturis existentem noverunt, ut autorem naturæ adoraverint: atqui absurdum plane est & ab omni ratione alienum dicere, ejuscemodi opera esse vitiosa & vera peccata: si qua enim ex parte vitiosa forent ejuscemodi opera, maxime ex parte finis quo fiunt; ea enim esse bona ratione materiæ objecti & officii ultro fatentur adversarii; atqui hæc opera tametsi plerumque vitiosa sint habita ratione finis, ejusmodi tamen non sunt omnia & singula, siquidem omnia & singula non fiunt ex pravo fine, immo quandoque maxime laudabili, cum scilicet agunt propter Deum ut autorem naturæ; ergo ejusmodi opera omnia infidelium nec ratione officii, nec ratione finis mala sunt.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies: universim pronuntiat Apostolus, id omne quod non est ex fide, peccatum esse, ad Rom. scilicet cap. 14. *quod non est ex fide, peccatum est*, atqui opera Infidelium non sunt ex fide, ergo peccata sunt.

Dist. maj. id omne peccatum est quod non est ex fide, si fides sumatur pro conscientia, C. si sumatur pro virtute Theologica, N. hic autem Apostolum fidem accipere pro ipsa conscientia, qua

quis

quis aliquid sibi licitum esse persuadet, ex eo maxime liquet, quod illam adducat propositionem, ut probet eum peccare qui cibos manducat a quibus in propria conscientia abstinendum putat; tunc enim, inquit Apostolus, peccat ille, quia *omne quod non est ex fide*, hoc est, quod fit reclamante conscientia, *peccatum est*.

His adde quod etiamsi sermo esset de fide supernaturali & Theologica in illo Apostoli contextu, facile adhuc responderetur objectioni, dicendo nempe, omne quod non est ex fide peccatum esse, ut plurimum, quia infideles ex pravo fine omnia fere agunt, non tamen semper; vel ut alii Theologi respondent, quod non est ex fide positive, hoc est quod fit contra fidem seu animo infidelitatis peccatum est, non autem quod non est ex fide præcise & negative tantum, hoc est quod fit sine Christi fide.

Objicies: ad Hebræos cap. 11. hæc leguntur, *sine fide impossibile est placere Deo*; ergo sine fide nullum fieri potest bonum opus morale.

Dist. ant. placere Deo in ordine ad vitam æternam, C. in ordine naturali, N. id igitur eo loci contendit Apostolus sine fide neminem posse Deo placere in ordine ad vitam æternam, hoc est fidem in Christum esse absolute necessariam ad salutem consequendam; ut ex scopo divi Pauli hac in Epistola liquido constat; ibi enim adversus Judæos insurgit suæ religioni, suisque ritibus nimis addictos, eisque fidei in Christum necessitatem ex eo demonstrat, quod vel ipsi Patriarchæ veteres Abel, Henoch, Noe, Abraham, &c. nonnisi per fidem salvati sunt; ubi cum ait sine fide impossibile esse placere Deo, profecto id intelligit in ordine ad salutem consequendam, non autem in ordine naturali & quantum ad honestatem moralem.

Objiciunt adversarii innumera prope S. Augustini testimonia, in quibus manifeste affirmare videtur nihil boni fieri posse sine fide, quod quidem ex adducto divi Pauli testimonio sæpius confirmat. Lib. de gratia Christi cap. 26. *ubi non est dilectio*, inquit, *nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur; quia omne quod non ex fide est, peccatum est*. Lib. de spiritu & littera cap. 3. *Nam neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via, & cum id quod agendum & quo nitendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, caritas diffunditur in cordibus nostris*. Lib. 1. ad Bonifac. cap. 3. *Nec potest homo*, inquit, *boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est*. Lib. de corrept. & grat. cap. 1. *quoniam*, inquit, *liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur omnipotenti bono*. Quod idem plane repetit lib. de perfectione justitiæ c. 12. tract. 5. in Joan. lib. 2. de peccat. mer. cap. 17. & infinitis aliis in locis.

Insignis præterea est locus ex lib. 1. de nuptiis & concupiscentia c. 3. depromptus, ubi S. Augustinus postquam dixit pudicitiam esse donum Dei, quæstionem proponit his verbis an sit donum Dei, an sit virtus vel peccatum: *Quid ergo dicimus*, inquit, *quando & in quibusdam impiis invenitur pudicitia conjugalis? Utrum eo peccare dicendi sunt, quod dono Dei male utantur, non id referentes ad cultum ejus a quo acceperunt? An forte nec dona Dei putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt secundum Apostoli sententiam dicentis, Omne quod non est ex fide peccatum est? Quis autem audeat dicere donum Dei esse peccatum?* Cui quæstioni sic respondet: *Cum igitur faciunt hæc homines sine fide*, qua

quæ videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quærentes, vel sibi vel aliis, sive in his rebus quas vitiose concupiscunt, humanas molestias devitantes, sive dæmonibus servientes, non peccata coercentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur. Absit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem connubii servat uxori.

In difficultate igitur quam proponit S. Augustinus, utrum pudicitia infidelium sit virtus, ratio dubitandi est quia ex una parte pudicitia est donum Dei, ex altera vero certum est quod ait Apostolus, omne quod non est ex fide peccatum esse: respondet S. Doctor actus pudicitiæ peccata esse in infidelibus, licet pudicitia ipsa donum sit Dei, quemadmodum in illis peccata sunt quæcunque faciunt, quamvis eorum anima & corpus dona sint Dei, quia nempe bonis male utuntur, unde addit c. 4. loquens de infidelibus, *quapropter qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi transferant in membra Christi; sed infideles parentes de infideli prole glorientur etiamsi tanta sit observantia, ut secundum matrimoniales tabulas nonnisi liberorum procreandorum causa concumbant, non est in eis pudicitia conjugalis.... vera igitur pudicitia sive conjugalis, sive vidualis, sive virginalis dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur.*

Sed rem totam, inquiunt adversarii, adeo profunde pertractat S. Augustinus in lib. 4. contra Jul. cap. 3. ut nullum subterfugii locum relinquat, ibi enim dedita opera probat contra Julianum nullas esse veras virtutes, nulla bona opera in infidelibus. *Absit*, inquit, *ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus; absit autem ut sit justus vere, nisi vivat ex fide, justus enim ex fide vivit. Quis porro eorum qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam forte tu solus, justum dixerit Infidelem, justum dixerit Impium, justum dixerit Diabolo mancipatum? Sit licet ille Fabritius, sit licet Fabius, sit licet Scipio, sit licet Regulus... nec in istis est vera justitia, justus ex fide vivit, fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi, finis legis Christus ad justitiam omni credenti.... noveris itaque non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes: officium est autem quod faciendum est, finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens; fines ab officiis separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti.... quicquid autem boni fit ab homine & non propter hoc fit propter quod fieri debet, vera sapientia præcipit; etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.*

Et postea docet nullas esse virtutes steriles, *fieri enim*, inquit, *ut steriliter boni simus: sed boni non sumus quidquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit.... nullo modo igitur homines sunt steriliter boni, sed qui boni non sunt possunt esse alii minus, alii magis mali*. Deinde ait illud Apostoli, *gentes quæ legem non habent*, &c. non favere Juliano cum loquatur ibi Apostolus de iis qui ex Gentibus venerunt ad Evangelium: *nec per eos*, inquit, *potes probare quod vis, etiam Infideles veras posse habere virtutes, sunt quippe isti fideles... hoc tamen peccantes, quod homines sine fide, non ad eum finem ista opera retulerut, ad quem referre debuerunt: minus enim Fabritius quam Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus, & minus impius quam Catilina, Fabritius, non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando.*

Tum vero ulterius prosequitur, & opti-

optima quæque opera Infidelium, peccata esse eo præcise pronuntiat, quod sunt Infidelium & infideliter facta: dixerat Julianus, *si Gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide peccatum est?* Respondet Augustinus, *prorsus, in quantum non est ex fide, peccatum est; non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum... porro si vitium est male misereri, procul dubio vitium est, infideliter misereri. Quod sibi & ipsa per se ipsam naturali compassione opus est bonum; etiam isto bono male utitur qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit, qui infideliter facit; qui autem male facit aliquid, profecto peccat.*

Ex quibus sic confici potest argumentum; illud est necessarium ad opus bonum morale faciendum, sine quo nihil boni esse potest, sine quo homo nihil boni potest velle, sine quo demum nulla potest esse vera virtus: atqui constat ex præfatis locis S. Augustini sine fide nihil boni aut facere aut velle posse hominem, nec veram proinde in Infidelibus esse virtutem: ergo ex S. Augustino fides est necessaria ad quodcunque bonum opus.

Dist. min. nihil boni nec ullam virtutis actionem esse in Infidelibus perfectam & vitæ æternæ meritoriam, C. moralem in ordine naturali, N. Id unum igitur docet Augustinus passim in suis scriptis contra Pelagianos vel & in loco citato contra Julianum nihil boni esse posse in operibus Infidelium, cui nempe debita sit æternæ salutis & quod possit quidquam conferre ad vitam æternam, ut constat.

Primo ex sententia Juliani quem oppugnat recte intellecta. Scilicet ad actus vere bonos, virtutesque exercendas inutilem esse Dei gratiam & fidem contendebat Julianus, quod ut evinceret, Ethnicorum virtutes in exemplum adducebat, ut patet ex initio cap. 3. istius lib. 4. ubi hæc verba Juliani referuntur, *Soletis negantes Dei dona esse virtutes, quibus recte vivitur, & eas naturæ voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc uti argumento, quod eas nonnunquam habeant Infideles*. Et postea, *exempla opponitis impiorum quos dicitis alienos a fide; abundare virtutibus, in quibus sine adjutorio gratiæ, solum est natura bonum, licet superstitionibus mancipatum qui solis libertatis ingenitæ viribus & misericordes crebro & modesti & casti inveniuntur sobrii*. Quæ iterum verba Juliani sunt: ex quibus manifeste sequebatur, & quod in rei veritate insinuabat Julianus, infideles posse suis naturæ viribus vitam æternam consequi; unde cum econtra Augustinus negat bona esse in Infidelibus opera, intelligit id eo sensu quod ad salutem æternam nihil quicquam conferre possint.

Secundo, id manifeste liquet ex ipso Augustino qui dum eo loci Julianum confutat, eique ostendit non esse veram in Infidelibus justitiam, de justitia semper loquitur qua possit homo vitam æternam consequi: *Quomodo*, inquit, *est in eis vera justitia, in quibus non est vera sapientia? Quam si eis tribuerimus, nihil erit causæ cur non eos ad illud regnum pervenire dicamus .... per quod enim vera justitia, per hoc etiam regnum Dei*. Et postea, *si ergo*, inquit, *ad consequendam veram beatitudinem quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo possunt esse virtutes*. Licet porro neget Augustinus veram esse in infidelibus justitiam qua possint ad vitam æternam pervenire, tamen aliam in iis admisit longe inferiorem & in ordine naturali, ut manifeste declarant loca a nobis superius adducta in probationibus.

Instabis; Fatebatur ultro Julianus ejuscemodi virtutes Infidelium esse inutiles

tiles & infructuosas, ut testatur ipse Augustinus eodem capite his verbis: *Aut certe quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere, &c.* Unde sic argumentor. Ibi Augustinus negat quod volebat Julianus: sed Julianus volebat solum opera Infidelium esse bona in ordine naturali, siquidem fatebatur Ethnicos nonnisi steriliter esse bonos, concedebat opera Infidelium quantumvis bona non posse eos ad salutem æternam perducere: ergo negat Augustinus opera Infidelium esse bona etiam in ordine naturali.

Negari primum posset major, quia in rei veritate volebat Julianus per opera sua Infideles mereri posse vitam æternam, id manifeste sequebatur ex illius principiis; siquidem gratiæ Dei ad recte vivendum necessitatem negabat; hoc ipsum etsi apertis verbis profiteri non auderet Julianus, immo etiam expresse negaret, ex ipsius tamen sententia necessario inferebatur, ut constat ex eodem capite tertio libri quarti jam citati; quod certe sufficit ut jure merito dicamus S. Augustinum hunc errorem in eo redarguere. Verum addo Julianum id expresse dixisse, ut testatur sanctus Augustinus ibidem. *Cunctarum*, inquit, *origo virtutum in rationabili animo sita est, & affectus omnes per quos* aut fructuose *aut steriliter boni sumus in subjecto sunt mentis nostræ*. Unde nonnisi in decursu disputationis cogente veritate fatetur Julianus ejusmodi opera Infidelium sterilia fore & penitus ad salutem æternam inutilia; adeoque mirum videri non debet, si toto hoc in capite ostenderit Augustinus contra Julianum, veram non esse in Infidelibus justitiam, qua possint vitam æternam consequi.

Resp. 2. dist. min. Julianus volebat solum opera Infidelium esse bona in ordine naturali, & tamen volebat ea esse vere & proprie bona, eorum virtutes esse proprie dictas virtutes, C. & aliud quidquam præterea de operibus Infidelium non docebat, N. quamobrem cum opera Infidelium ipsis fore ad salutem inutilia tandem fateri coactus fuerit Julianus, alia deinde excitata est quæstio circa easdem Infidelium virtutes ipsum inter & S. Augustinum, contendebat enim Julianus in illis Infidelibus veri nominis esse virtutes; contra vero pertendebat Augustinus proprie & stricte loquendo in solis Christianis esse veras virtutes, veram justitiam: unde quasi vidisset sanctus Doctor hanc tandem disputationem desinere in meram de nomine altercationem, sic alloquitur Julianum in fine capitis. *Sed breviter accipe, ne forte cum in rebus ipsis tantum erres, quantum errari plurimum potest, videar tecum certare de verbis ..... omnia proinde cætera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona. Quod ad me attinet, &c.* Igitur non in eo solummodo Julianum impugnabat Augustinus, quod diceret quædam opera Infidelium esse bona moraliter in ordine naturali; sed quod in iis veras stricte virtutes admitteret, veram fortitudinem, veram pudicitiam, veram castitatem.

Instabis: probat Augustinus eas non esse veras & veri nominis virtutes, quæ non prosunt quidquam ad vitam æternam, *fieri non potest*, inquit, *ut steriliter boni simus*. Ergo nullam admittit justitiam in ordine naturali.

Dist. ant. veras & veri nominis virtutes ad sensum Juliani, C. ad sensum Theologorum, N. scilicet contendebat Julianus, per illas virtutes Ethnicos vere & proprie justos & bonos effici, ejuscemodi virtutum exercitium veram esse justitiam; immo, quod mox diximus, infideles per illa bona opera posse vitam æternam promereri, quod sane merito impugnat S. Augustinus. Neque vero

vero hæc nostra est sententia; cum enim dicimus singula Infidelium opera non esse peccata, nolumus præterea suis vel bonis operibus, quæ vix apud illos inveniuntur, eos proprie loquendo effici bonos & justos, non dicimus illos promereri posse salutem æternam.

Instabis: in illis opera non sunt bona moraliter in quibus totidem sunt peccata; sed ex S. Augustino singula Infidelium opera sunt peccata; in illis enim singula opera sunt peccata, propter quæ sunt magis vel minus mali, magis vel minus puniendi: atqui ex S. August. Infideles non sunt alii boni, alii mali; sed ut magis & minus mali punientur. *Minus enim Fabritius*, &c. ergo.

Dist. min. sunt magis & minus mali, ut plurimum, C. semper & necessario, N. loquitur nempe de Infidelibus, prout solent se gerere, qui nempe ex pravo fine agunt, dæmonibus vel humanæ gloriæ servientes, una cupiditate aliam vincentes cupiditatem, quos tamen, ut diximus, censet aliunde non esse ex omni parte culpandos, *verum etiam*, ut ait libro de spiritu & littera citato, *merito recteque laudandos*.

Instabis: ille existimat omnia Infidelium opera esse totidem peccata, qui unum seligit, quod sane optimum est & laudatissimum, illudque censet esse peccatum: atqui unum seligit Augustinus nempe nudum operire, quod tamen dicit peccatum esse: ergo.

Dist. min. quod tamen dicit peccatum esse ratione finis perversi, C. per se & ratione sui, N. id unum vult Augustinus non ita impense laudanda esse Infidelium-opera, tametsi ratione officii bona sint; quia nempe ex malo fine fiunt, *noveris itaque*, inquit, *non officiis sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes*. Quod idem egregie explicant ipsissima objectionis verba, sic enim loquitur Augustinus. *Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est, non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed in tali opere non in Domino gloriari solus impius negat esse peccatum*. Ex quibus verbis perspicuum fit sanctum Augustinum semper ad finem attendere, ubi pronuntiat opera Infidelium esse mala, & diserte affirmare in exemplo proposito nudum operire per se & ratione officii non esse peccatum, quasi dixisset hoc idem factum in Infidelibus esse quid malum, quando agunt ex pravo fine, bonum vero quid, quando agunt ex bono fine, quod nonnisi raro contingit. *Quoniam si discutiantur quo fine fiunt, vix inveniuntur quæ debitam justitiæ laudem mereantur*, inquit lib. de spir. & litt. cap. 27.

At inquies, ex eodem Augustino ejuscemodi opera nunquam possunt habere bonum finem; siquidem fiunt ex pravo fine, eo præcise quia non fiunt in Domino, *sed in tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum*. Ergo censet omnia Infidelium opera, nullo excepto, peccata esse.

Dist. maj. siquidem fiunt ex pravo fine, ut plurimum & persæpe, C. semper ac necessario, N. cum enim dicat loco mox citato *vix* inveniri quæ debitum justitiæ laudem mereantur, si finis attendatur quo fiunt, haud dubie supponit nonnulla inveniri.

Instabis: S. Augustinus supponit omnia Infidelium opera fieri ex perversa Intentione semper & non tantum aliquando, ut constat ex argumentis quibus utitur adversus Julianum, quale est illud, arbor mala non potest facere fructus bonos.

Nego ant. & ad argumentum a S. Augustino propositum distinguo min. Infidelis est arbor mala nec potest fructus bonos facere quibus ad vitam æternam pervenire possit, C. bonos in ordine naturali, quibus debita sit solum merces temporalis, N.

At, inquiunt adversarii, si Infideles aliqua bona opera faciunt, eo ipso non sunt arbores steriles, sed ex S. Augustino ibidem contra Julianum Infideles sunt arbores steriles: igitur nulla prorsus ratione nullo sensu bona opera faciunt.

Dist. min. sunt arbores steriles habita ratione salutis æternæ quam sibi procurare non possunt per ejuscemodi opera, C. simpliciter & sub omni respectu, N. solutio satis superque intelligitur ex dictis.

Instabis ex S. Augustino ibid. qui orat pro Infideli ut illius voluntati retribuatur pretium, orat ei grande supplicium: ergo nullum plane bonum opus, nulla bona voluntas esse potest in Infideli.

Dist. ant. quia ut plurimum voluntas Infidelium est perversa, ex eo quod agunt infideliter & ex pravo fine, C. quia semper absolute malum agunt, N. vel responderi etiam potest orandum non esse pro Infidelibus ut Deus illis conferat gratiam tanquam præmium bonæ eorum voluntatis, quod quidem merito observat Augustinus adversus Julianum qui putabat cum Semipelagianis nos fidem aliaque Dei dona ipso salutis desiderio & naturali studio promereri.

Instabis, S. Augustinus aliud usurpat argumentum quo probat adversus Julianum Infideles semper agere ex prava intentione, quod nimirum est istud: Ut actio sit bona, debet ad Dei gloriam referri: sed Infideles non possunt actiones suas referre ad Dei gloriam; cum enim fide sint destituti Deum aut male aut non omnino cognoscunt: igitur eo ipso quo Infideles sunt, ex prava intentione agunt.

Dist. maj. ut actio sit bona, debet ad Dei gloriam referri vel explicite vel implicite, C. explicite semper, N. tunc actiones dicuntur referri explicite ad gloriam Dei, cum ex actuali ipsius agentis intentione fiunt propter Deum: eædem vero actiones dicuntur nonnisi implicite referri ad Deum, quia ex ipsius operis bonitate & honestate ad Deum veluti cujusvis boni autorem ordinantur. Revera omnes Infideles ac præsertim ii qui Deum non cognoscunt, suas omnes actiones non referunt explicite ad Deum; sed dici possunt referri implicite, quatenus moralem habent bonitatem cujus Deus est autor.

Vel responderi potest, infideles non referre suas actiones ad Deum ut plurimum, quia fere semper agunt infideliter & ex prava intentione propter vanam gloriam, propter avaritiam, cupiditatem alia cupiditate, peccatum alio peccato vincentes, ut ait S. Augustinus, sed tamen suas quandoque actiones referre ad Deum non ut autorem gloriæ quem non ita noverunt fide carentes, at vero ut autorem naturæ.

Instabis: corpus non potest esse pudicum quando animus fornicatur: sed in Infidelibus qui nunquam agunt ex fide & ex bono fine, animus semper fornicatur, ut argumentatur S. Augustinus libro citato de nuptiis & concupiscentia: igitur.

Dist. maj. pudicum pudicitia perfecta quæ hominem reddat simpliciter ac proprie loquendo pudicum & justum, C. pudicitia quadam imperfecta quæ nonnihil laudis & mercedis saltem temporalis mereatur, N.

His porro sancti Augustini testimoniis satis nitide, ut puto, explicatis, jam nullus superesse potest scrupulus ex aliis nonnullis & Patrum, & summorum Pontificum, & Conciliorum locis, quæ quoniam eandem plane continent difficultatem, eadem quoque revinci debent solutione, hæc vero ab adversariis proponi solent.

1. Autoritas S. Ambrosii in Psal. 1. hæc scribentis, *virtutes sine fide folia sunt, videntur virere, sed prodesse non possunt; agitantur vento, quia non habent fundamentum.*

2. Pro-

2. Proponitur S. Hieron. qui in cap. 3. Epist. ad Galat. idem docet his verbis: *Faciamus & nos aliquid simile huic quod dicitur, Justus ex fide vivit, & dicamus, castus ex fide vivit, sapiens ex fide vivit, fortis ex fide vivit, & a cæteris virtutum partibus vicinam sententiam proferamus adversus eos qui in Christum non credentes fortes & sapientes, temperantes se putant esse, vel justos, ut sciant, nullum absque Christo vivere, sine quo omnis virtus in vitio est.*

3. S. Prosper ad sextum capitulum Gallorum: *liberum arbitrium*, inquit, *nihil esse perperam dicitur, sed ante illuminationem fidei in tenebris illud & in umbra mortis agere, non recte negatur.* Et Epist. ad Rufinum cap. 7. *ut scilicet*, inquit, *intelligat justitiam Infidelium non esse justitiam, quia sordet natura sine gratia.* Quod idem plane docet carmine de ingratis, cap. 16.

4. S. Fulgentius qui lib. 2. de verit. prædestinationis. cap. 5. sic loquitur: *Deo igitur non placemus nisi velimus, sed ab ipso nobis tribuitur, ut velimus, a quo nisi voluntas hominis mutetur, ut bona sit, aut semper appetit malum, aut nunquam bene appetit bonum.*

5. Venerabilis Beda in cap. 14. Epist. ad Romanos: *Omnis infidelium vita*, inquit, *peccatum est ut nibil bonum sine summo bono; ubi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.* Quæ eadem prorsus scribunt Primasius in eundem Apostoli locum. Prudentius adversus Joannem Scotum cap. 4. Lupus Servatus lib. de tribus quæst. q. prima. Remigius & Ecclesia Lugdunensis lib. de tribus Epistolis cap. 22. S. Bernardus serm. 1. de Annuntiatione.

Quibus adjungunt adversarii autoritatem septem summorum Pontificum Zosimi nempe apud Cælestinum in Epistola ad Episcopos Galliæ cap. 9. & ipsius Cælestini in eadem Epist. cap. 7. 8. & 9. Leonis Magni serm. 5. de jejunio septimi mensis cap. 3. Felicis quarti, qui nonnullos Concilii Arausicani canones, in quibus hæc stabilitur doctrina, vel ipse edidit, vel calculo suo comprobavit. Tum Bonifacii II. qui ejusdem Conc. Arauf. 2. canones suscepit. Gregor. M. homil. 9. in Ezechielem. Denique Nicolai I. qui Epistola 24. ad Egilonem, Prudentii Tricassini & aliorum Augustini discipulorum doctrinam confirmat.

Demum & nonnullorum Conciliorum decreta cujusmodi est can. 9. Conc. Arauf. 2. sic conceptus. *Divini muneris est, cum & recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate & injustitia continemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur, operatur.* Et can. 22. *nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.* Cui Concilio astipulantur Valentinum 3. can. 6. Lingonense quod canones Valentini Concilii approbavit. Ac demum Tullense in quo Lingonensis Concilii canones relicti sunt.

Ex quibus testimoniis id unum profecto colligi potest, hominem sine fide & sine gratia Dei nullum posse facere bonum opus in ordine supernaturali & meritorium vitæ æternæ; sic enim loquitur quisquis vel fidei vel gratiæ necessitatem commendat. Hi omnes exponendi sunt eodem modo quo S. Augustini verba exposuimus, de operibus scilicet Infidelium qui ut plurimum agunt infideliter & ex pravo fine: vel præfati autores dicunt Infidelium opera non esse bona in ordine ad vitam & salutem æternam, quo sensu idem affirmavit S. Augustinus, cujus isti omnes gloriantur esse discipuli: & quem fere de verbo ad verbum exscribunt.

L 2 Utrum

Utrum homo possit sine gratia actuali aliquod bonum opus naturalis ordinis exercere.

NOn est ista quæstio tractatu multum difficilis, postquam in præcedenti ostendimus hominem posse sine fide aliquod bonum opus facere in ordine naturali; per enim eademque videtur esse ratio necessitatis tum fidei tum gratiæ ad bonos actus, scilicet utrumque Dei donum non videtur esse necessarium, nisi ad bona opera quæ ad salutem æternam ordinentur.

Sunt tamen quidam inter Theologos qui absolute negant hominem posse sine gratia actuali ullum facere opus bonum in ordine naturali, ita Gregorius Ariminensis, Vasquez, &c. Aliis contra sentientibus hominem etiam in hoc statu naturæ lapsæ posse aliquod bonum opus morale naturalis ordinis facere. Quanquam per accidens non possit quodlibet bonum morale ejusdem ordinis exercere sine speciali Dei gratia, quia gravia ut plurimum obstant impedimenta, quæ vel sumuntur ex infirmitate liberi arbitrii, vel etiam ex perpetuis tentationibus quæ hominem a bono avertunt; horum sententiæ subscribimus.

CONCLUSIO.

Homo etiam in hoc statu naturæ lapsæ potest aliquod bonum opus morale naturalis ordinis exercere sine speciali Dei gratia.

Probatur ex eo quod Patres & Concilia idcirco tantum statuunt necessitatem gratiæ divinæ ad bonas actiones morales, supponunt semper ejusmodi actiones ordinari ad salutem æternam, ita Concil. Trident. declarat specialem Dei gratiam esse necessariam ad credendum & diligendum Deum *sicut oportet*; frustra vero adhiberetur talis restrictio, nisi supponeretur gratiam esse solummodo necessariam ad eliciendos actus bonos in ordine supernaturali; unde consequenter eruitur posse fieri aliqua opera bona moraliter in ordine naturali sine speciali gratiæ adjutorio.

Id confirmatur autoritate summorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. qui damnarunt istas Baii propositiones; vigesimam octavam, *liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*. Quæ est 37. *cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit*. 38. *omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur*. Ac demum quæ numeratur 62. *nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus liberi arbitrii bonus sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit qui ita sentit & docet*.

Denique probatur hæc nostra assertio ex eo quod, uti supra diximus, ut actio sit bona moraliter in ordine naturali, satis est quod in eodem ordine bonum habeat finem, bonum objectum, & fiat in legitimis circumstantiis: sed sine speciali gratiæ adjutorio homo per solas liberi arbitrii vires potest aliquam elicere actionem quæ bonum habeat finem, bonum objectum, bonasve circunstantias, si v. g. eleemosynam eroget ex intentione sublevandi miseriam inopis propter gloriam Dei quem sola ratione naturali novit rerum omnium autorem: igitur nil vetat quominus sine gratia actuali fiat bonum aliquod opus morale naturalis ordinis.

Objicies, constat ex Scripturis sine gratia Dei hominem nihil boni facere posse, Joan. 15. Christus ait, *sine me nihil potestis facere*. 1. Corinth. 4. *quid habes quod non accepisti?* Et 12. ad Corinth. cap. 3. *non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Igitur.

Dist.

Dist. ant. nihil boni in ordine supernaturali, quod ad salutem æternam ordinetur, C. nihil boni in ordine naturali, N. solutio hæc satis superque intelligitur ex iis omnibus quæ a nobis superius adducta sunt.

Neque vero dici debet frivolam esse & ad nutum excogitatam hanc distinctionem boni naturalis & supernaturalis; quod nempe inquiunt adversarii, & S. Augustinus & Concilia cum in Pelagianos hæc eadem Scripturæ testimonia urgent, nulla utuntur restrictione; nullam mentionem faciunt ejusmodi distinctionis, sed universim pronuntiant ad singulos actus bonos gratiam esse absolute necessariam.

Negamus scilicet frivolam esse communem istam & apud Theologos tritam distinctionem boni naturalis & supernaturalis, quam constat & ab eodem S. Augustino & a Conciliis adversus Pelagianos habitis non semel usurpatam. Nempe bonum opus supernaturalis ordinis commemoratur quoties actus boni dicuntur esse pietatis, conducere ad pietatem, ad justitiam, ad salutem æternam, &c.

S. August. lib. de gratia Christi c. 26. *ac per hoc*, inquit, *gratiam Dei*, *qua caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, *sic confiteatur* Pelagius, *qui vult veraciter confiteri*, *ut omnino nihil boni sine illa*, *quod ad pietatem attinet veramque justitiam*, *fieri posse non dubitet*. Quem locum exscribit S. Prosper respons. 8. ad capitula Gallorum.

Ita etiam loquuntur Patres Concilii Carthaginensis in Epist. Synodica ad Zozimum summum Pontificem, ubi scribunt, *gratiam Dei per Jesum Christum Dominum non solum ad cognoscendum verum*, *sed etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare*, *ita ut sine gratia nihil vera sanctæque pietatis cogitare*, *dicere*, *agere valeamus*.

Ita etiam Conc. Arausican. II. can. 7. *si quis per naturæ vigorem bonum aliquod*, *quod ad salutem pertinet vitæ æternæ*, *cogitare ut expedit*, *aut eligere*, *sive salutari*, *id est Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione*, *& inspiratione Spiritus sancti*, *qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati*, *hæretico fallitur spiritu*, *non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis*. *Sine me nihil potestis facere*. Et illud Apostoli: *Non quod idonei sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis*, *sed sufficientia ex Deo est*. Hic Patres Concilii Arausicani, cum probant necessitatem gratiæ ad bonum opus operandum, iisdemque utuntur Scripturæ testimoniis quæ adbiberi solebant adversus Pelagianos & Semipelagianos, loquuntur cum præfata restrictione quæ boni naturalis & supernaturalis distinctionem aperte denotat, *bonum aliquod*, inquiunt, *quod ad salutem vitæ æternæ pertinet*.

Idcirco autem S. August. & alii qui in Pelagianos scripserunt, expressam mentionem non fecere utriusque illius ordinis naturalis & supernaturalis, quia tacite supponebatur in controversia catholicorum cum illis hæreticis; scilicet hi contendebant hominem sine Dei gratia posse Evangelio credere, servare Dei mandata, superare tentationes, &c. Contra vero dicebant catholici Scriptores gratiam esse necessariam ad quodlibet bonum opus, sed intelligebant bonum quod ad veram pietatem & justitiam attinet, quod ad æternam salutem ordinatur, quanquam sine ulla restrictione loquerentur, de illa enim sola bonitate supernaturali mota erat quæstio.

Objicies, sexcenties docet S. August. nullam vim esse in libero arbitrio per peccatum scilicet labefactato, lib. 3. ad Bonifacium cap. 8. *liberum arbitrium captivatum nonnisi ad peccandum valet*. Unde Concilium Arausicanum II. c. 22.

nemo

nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Igitur nec bonum opus morale naturalis ordinis, homo facere potest sine gratia.

Dist. ant. in libero arbitrio nulla gratia adjuto, & quando agitur de actibus veræ pietatis qui ad salutem æternam perducant, C. in libero arbitrio gratia Dei adjuto, vel etiam si sermo sit de bonis operibus in ordine naturali, N. his itaque effatis significatur liberum arbitrium nunc in hoc statu naturæ lapsæ, quia fuit per noxam originalem attenuatum; ex se solo habere tantum quod peccare possit, quia sine gratia nullum bonum opus facere potest, bonum inquam opus quod ad pietatem & salutem ordinetur: sed inde non sequitur nullam plane vim esse in libero arbitrio ad eliciendos actus morales naturalis ordinis. Certe non omnino ad litteram intelligenda sunt præfata verba, sequeretur enim nihil boni fieri posse ab homine post peccatum originale, in quo errarunt Novatores, ut dicemus in tractatu de justificatione & merito.

Instabis, docet S. August. esse in homine peccandi necessitatem, nisi gratia Dei adjuvetur, libro de natura & gratia cap. 66. *quod autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ sit quædam peccandi necessitas, audiat homo; atque ut eadem necessitas non sit, discat Deo dicere, de necessitatibus meis educ me*. Igitur sublata Dei gratia omnes actiones nostræ totidem erunt peccata, proindeque non possumus sine gratia facere ullum opus bonum naturalis ordinis.

Dist. ant. esse in homine peccandi necessitatem eo sensu quod post peccatum Adami nemo potest totam vitam transigere sine peccato, C. eo sensu quod singulæ actiones nostræ sine gratia factæ totidem sint peccata, N. hoc unum itaque docet S. Augustinus, quod & alii passim SS. Patres, neminem in hoc statu naturæ lapsæ ab omni peccato abstinere posse per totum vitæ curriculum, quo fit ut continuo debeat gratiam a Deo postulare, qua nimirum urgentes identidem tentationes superare possit; sed mens S. Augustini aliorumque Patrum non est talem peccandi necessitatem incumbere hominibus etiam post Adami lapsum, ut in singulis suis actionibus necessario peccent, nec suo amplius uti possint libero arbitrio.

Objicies: si daretur actus moralis bonus sine gratia, jam homo non teneretur ei gratias reddere pro omni bono, nempe pro illis actibus bonis sine gratia elicitis: atqui tamen hoc falsum & erroneum reputatur ab omnibus, igitur nullus dari potest actus bonus moraliter in ordine mere naturali.

Nego ant. tametsi enim gratia non foret necessaria ad actus bonos moraliter, homo tamen indigeret generali Dei concursu qui absolute ipsi non est debitus; præterquamquod propter alias etiam causas homo debet Deo gratias rependere, puta quod ipsum sua singulari providentia inter agendum conservet.

Utrum homo possit sine gratia Dei vincere tentationes.

Tentatio universim nihil est aliud quam sollicitatio quædam & provocatio ad peccatum. Teste S. Jacobo, ex triplici tantum causa oritur tentatio, nimirum a propria uniuscujusque concupiscentia, vel a mundo seu creaturis sensibilibus, vel ab ipso dæmone qui perpetuo circuit quærens quem devoret: namque nulla omnino tentatio esse potest a Deo.

Notandum 2. tentationes duplicis esse generis; aliæ sunt graves, aliæ vero sunt leves & remissæ. Graves dicuntur illæ quæ vehementer animum pulsant & commovent, & tales sunt vel ratione objecti, vel ratione durationis, vel denique ratione infirmitatis in subjecto.

jecto. Tentationes sunt leves quando leviter tantum voluntatem ad peccandum provocant.

Notandum 3. tribus modis vinci posse aliquam tentationem, primo ex motivo casto christianæ pietatis, ex amore Dei vel inhabitantis vel saltem moventis, quæ quidem victoria fit per actum supernaturalem & in ordine ad vitam æternam. Secundo ex motivo malo & inhonesto, ut si unum peccatum per aliud peccatum vincatur, una cupiditas per aliam cupiditatem, ut si quis v. g. tentationem avaritiæ superaret per motivum vanæ gloriæ. Tertio denique ex motivo pure naturali; ut qui vel ex solo amore recti, vel propter peccati turpitudinem, vel ne displiceret Deo ut autori naturæ, alicui tentationi resisteret; quibus positis,

Certum est apud omnes Theologos gratiam non esse necessariam ad superandas tentationes ex motivo inhonesto, hoc pacto enim superatur tentatio per peccatum; non requiritur autem gratia ad perpetrandum aliquod peccatum, ut per se patet; unde nonnisi falso & in speciem peccatum per aliud peccatum impediri videtur; quemadmodum scribit S. Augustinus lib. 3. ad Bonif. cap. 4. *Carnalis cupiditas alia cupiditate non sanatur*.

Verum disputatur de victoria tentationum, & quæ fit ex motivo honesto, & quæ fit ex motivo pure naturali. Ac primo quod attinet ad victoriam tentationum quæ fit ex motivo casto, ex amore Dei; quæstio hæc controvertitur Catholicos inter & Pelagianos; volunt enim isti hæretici quascunque tentationes vinci posse sine gratia.

Quod autem spectat victoriam tentationum quæ fieret ex motivo mere naturali, lis movetur inter Theologos. Qui contendunt nullum posse fieri bonum morale naturalis ordinis; volunt consequenter sine gratia nullas vinci posse tentationes ex motivo mere naturali; cæteri vero docent nonnullas aut saltem leves vinci posse sine gratia; quid nos circa utrumque caput sentiamus, mox aperiendum est.

Prima Conclusio.

Nulla tentatio superari potest vel gravis vel levis ex motivo honesto in ordine ad vitam æternam sine gratia Dei.

Probatur 1. ex Scripturis, in quibus frequenter Deo ascribitur tentationum victoria, Psal. 17. *in te eripiar a tentatione*. Psal. 29. *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum, & avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus*. Math. 6. præcipit Christus ut quotidie dicamus in precibus nostris, *ne nos inducas in tentationem*, hoc est, ne permittas ut tentationi succumbamus.

Idem ostendunt alia quam multa Scripturarum loca. 1. ad Corinth. cap. 10. *fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Ad Ephes. cap. 6. *induite vos armatura Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli*. 1. Petr. 5. cap. *adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in bello*. Quibus accedunt ea Scripturæ loca in quibus stabilitur gratiæ necessitas ad omne bonum opus meritorium vitæ æternæ: nequit enim ex motivo casto & supernaturali vinci tentatio sine amore Dei, ad quem eliciendum requiritur gratia.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

Ex S. Cypriano qui Tractatu de oratione dominica hæc scribit, *quando rogamus*, inquit, *ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat*. Hic locus citatur ab August. lib. de Dono persev. c. 6. Idem docet S. Ambros. in Psal. 43. his verbis: *Quis est tam fortis, ut nequaquam*

quam in tentationibus moveatur , nisi Dominus ei adjutor assistat . Tum S. Hieron. Dialogo 2. contra Pelagianos quibus postquam opposuit hæc Christi verba , *surgite , vigilate , & orate ne intretis in tentationem* , subdit illico , *debuisset dicere juxta vos , surgite & resistite , liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa a Domino potestate , nullius alterius indigetis auxilio* .

Ac denique id innumeris prope in locis Pelagianis ostendit S. Augustinus. *Quisquis negat* , inquit lib. de Perfectione justitiæ cap. ultimo , *nos orare debere , ne intremus in tentationem (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium , non esse homini necessarium , sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum , & ore omnium anathematizandum esse non dubito* . Lib. de natura & gratia cap. 26. *sanat ergo Deus* , inquit , *non solum ut deleat quod peccavimus , sed ut præstet etiam ne peccemus* . Quod idem scribit lib. de grat. Christi cap. 27. & lib. de grat. & lib. arbit. cap. 4. hunc suo more sequuntur S. Prosper lib. contra Collatorem c. 35. & S. Fulgentius Epist. 4. ad Probam cap. 4.

Quibus subjungere possumus testimonia summorum Pontificum , Innocent. I. in rescripto ad Concil. Carthag. Zozimi Epistola ad universos urbis Episcopos , cujus verba citantur in Epist. Cœlestini ad Episcopos Galliæ cap. 9. tum vero & ipsius Cœlestini hac in Epist. c. 6. item Felicis IV. in capitulis ad Arausicanum II. Conc. transmissis. Bonif. II. in Epistola qua ejusdem Concilii canones comprobavit . Et tandem Greg. M. lib. 9. Moral. cap. 7.

Id vero rursus ostenditur ex iis omnibus Ecclesiæ Conciliis , quæ Pelagianorum & Semipelagianorum errores condemnaverunt . Legi potest Epist. Synodica Concilii Carthaginensis quæ extat inter Augustinianas 175. & altera Concilii Milevitani quæ est 176. tum vero canon nonus Concilii Arausicani secundi paulo supra relatus . Præiverat antea Synodus Diospolitana , in qua definitum est adversus Pelagium , victoriam tentationum non esse ex libero arbitrio , sed ex Deo .

Objicies : homo tametsi gravi aliqua tentatione impulsus , remanet liber ; si enim non remaneret liber ad resistendum tentationi , eo ipso non peccaret , nemo enim peccat in eo quod cavere non potest : ergo sine gratia & vi solius liberi arbitrii potest superare tentationes .

Nego conf. ex eo quod enim homo gravi tentatione impulsus remanet liber, sequitur tantum illum resistere posse cum divinæ gratiæ adjutorio , non autem sine ulla omnino Dei gratia . Certe si qua vis esset in illo argumento , sequeretur hominem gratia non indigere ad servanda mandata , ad diligendum Deum cum urget præceptum , ad perseverandum , & alia quæcunque bona facienda, nam respectu illorum omnium homo est liber . Quamobrem huic objectioni , quæ Pelagianorum est , respondetur hominem esse quidem liberum , sed ita ut hæc omnia præstare non possit nisi hoc liberum arbitrium gratia adjuvetur , & quoad tentationes spectat , de quibus nunc quæstio est , quotidie Deum rogare debet , ne nos inducat in tentationem , hoc est ne permittat ut tentationi succumbamus , *vigilate* , inquit Christus Dominus , *& orate ne intretis in tentationem* .

Secunda Conclusio.

Sine gratia vinci possunt tentationes ex motivo mere naturali .

Probatur , quia ad hoc satis est , quod possint ab homine fieri quædam opera bona moralia naturalis ordinis , ad quæ tantam habeat animi propensionem , ut propterea tentationibus non succumbat : atqui

atqui possunt ab homine fieri quædam opera bona moralia naturalis ordinis, ad quæ tantam habeat propensionem, ut propterea non succumbat tentationibus: sit enim aliquis vel inter Ethnicos maxime propensus ad honorandos parentes, vel ad colendum Deum ut autorem naturæ: si, cum instat tempus in quo vult colere parentes & Deum adorare, aliqua insurgat tentatio; ut desiderium genio indulgendi, quod illum potest a proposito divellere, profecto recte concipimus eum tentationem ejuscemodi superaturum ex ea propensione quam habet ad honorandos parentes, & Deum colendum ut autorem naturæ; ergo sine gratia vinci possunt tentationes ex motivo mere naturali.

Hæc porro sententia pendet omnino, ut videre est, ex præcedenti disputatione, in qua ostendimus sine gratia fieri posse bonum opus morale naturalis ordinis; hoc enim præsupposito recte colligitur ex motivo mere naturali posse nonnunquam superari tentationes quibus homo ad peccatum provocatur.

Atque ex solo statu quæstionis probe intellecto perspicuum fit, quam frustra in hanc nostram sententiam ea momenta congerunt adversarii, quæ mox adduximus deprompta ex Scripturis, SS. Patribus & Conciliis; siquidem ex iis solummodo colligi potest gratia superari non posse tentationes ex motivo casto & supernaturali, quæ victoria sit ad salutem æternam utilis, quod non inficiamur.

Utrum homo possit sine gratia diligere Deum.

AMor quo Deus diligitur duplex est, naturalis nempe & supernaturalis; nam proscriptæ sunt a summis Pontificibus Pio V. & Greg. XIII. hæ duæ proposit. Baii, quarum prima est, *distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut autor naturæ, & gratuiti quo Deus amatur ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris & plurimis veterum testimoniis excogitata*. Secunda vero, *amor naturalis qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus*.

Amor itaque Dei naturalis est ille quo diligitur Deus ut autor naturæ, ut objectum intra ordinem naturæ contentum: supernaturalis vero quo diligitur ut objectum intra ordinem gratiæ spectatum. Nimirum optime concipitur Deum cognosci a nobis naturali lumine ut autorem naturæ, tum vero supernaturali lumine fidei cognosci tanquam autorem gratiæ & gloriæ. Duplex autem illa cognitio duplicem fundat amorem.

Utraque hæc dilectio Dei iterum duplex distingui potest, videlicet dilectio Dei quæ sit super omnia, & dilectio quæ non sit super omnia: per priorem homo cæteris omnibus bonis Deum anteponit, secus vero per posteriorem.

Dilectio qua Deus diligitur super omnia, iterum duplex, affectiva & effectiva. Affectiva in unico posita est voluntatis actu, quo homo se & omnia subjicit Deo, refert ad Deum, atque majori cum ardore in illum afficitur quam in ullam rem creatam. Effectiva ea est qua non solum homo in Deum fertur per actum voluntatis, sed etiam efficaciter & de facto servat omnia Dei mandata.

Inter varias quæ occurrunt in præsenti controversia opiniones, duo nobis propugnanda veniunt. Primum, quod fundatissimum est fidei Catholicæ dogma contra Pelagianos, dicimus hominem sine gratia non posse diligere Deum super omnia actu supernaturali qui conferre possit quidquam ad salutem æternam. Secundum vero, Deum naturaliter & sine gratia diligi posse, ut autorem naturæ dilectione affectiva, non au-

autem dilectione effectiva. Agitur porro de homine in statu naturæ lapsæ considerato, quibus positis fit

Prima Conclusio.

Homo non potest sine gratia diligere Deum super omnia in ordine ad salutem æternam.

Probatur 1. ex Scripturis. Ad Romanos cap. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Ad Ephes. cap. 6. *Pax fratribus & charitas cum fide a Deo Patre*. Ad Galatas capite 5. *Fructus Spiritus est charitas*. Primæ Joan. 4. *charitas ex Deo est*. At dilectio Dei super omnia in ordine ad vitam æternam est charitas: ergo.

Probatur 2. ex S. August. qui hanc passim contra Pelagianos tradit doctrin. l. 2. ad Bonifacium c. 9. hæc scribit: *Multa Deus facit in homine bona quæ non facit homo, multa vero facit homo quæ non facit Deus, ut faciat homo, proinde cupiditas boni, non homini a Deo esset, si bonum non esset; si autem bonum est, nonnisi ab illo nobis est, qui summe atque incommutabiliter bonus est; quid est enim boni cupiditas nisi charitas, de qua Joannes Apostolus sine ambiguitate loquitur dicens, Charitas ex Deo est*. Lib. 4. contra Jul. cap. 3. *Amor Dei*, inquit, *quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo Patre per J. C. cum Spiritu sancto*. Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 18. *unde est*, inquit, *in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos*. Quæ eadem habet infinitis in locis. Cui facile astipulatur ejus discipulus Prosper lib. c. Collat. c. 30. & 31.

Id vero rursus ostendi potest ex Conciliis quæ Pelagianos & Semipelagianos condemnaverunt. Sic Carthaginense can. 5. tum vero Arausican. II. can. 25. *prorsus donum Dei est diligere Deum... diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filii*. Quibus adjungi merito potest quod habet Conc. Trident. sess. 6. can. 3. his verbis: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, anathema sit*. Diligere Deum sicut oportet, est eum diligere ex motivo pietatis & in ordine ad salutem æternam.

Secunda Conclusio.

Non potest quidem homo naturaliter & sine gratia Dei, Deum diligere super omnia ut autorem naturæ dilectione simpliciter effectiva, recte vero dilectione affectiva.

Ac prior quidem hujus conclusionis pars probatur, quia amor Dei effectivus est ille qui cum actu voluntatis quo diligitur Deus, conjunctam habet omnium Dei mandatorum executionem: atqui homo non potest solis naturæ viribus sine gratiæ auxilio servare omnia Dei præcepta; vel etiamsi id solum intelligatur de præceptis legis naturæ; debet enim ad servanda omnia simpliciter mandata gravibus quæ ut plurimum occurrunt tentationibus resistere, concupiscentiæ motus ex omni parte rebellantes vincere: atqui homo non potest naturaliter sine gratiæ Dei auxilio, omnibus tentationibus resistere: ergo non potest homo sine gratia Deum diligere super omnia dilectione naturali simpliciter effectiva.

Posterior vero pars, nempe hominem sine gratiæ Dei auxilio posse Deum diligere dilectione affectiva, probatur quia ille amoris actus fieri potest solis naturæ viribus & sine gratia Dei qui totus entitative est naturalis: atqui ejusmodi amor quo Deus ab aliquo Philosopho Ethnico ut autor naturæ cognitus super omnia, & præ omnibus creaturis

dili-

diligeretur propter ipsius Dei bonitatem & excellentiam, sine ordine ad salutem æternam, totus esset entitative naturalis, scilicet ratione objecti & ratione motivi ut & ipsa cognitio qua cognosceretur Deus: ergo ad ejusmodi actum amoris non requiritur gratiæ divinæ auxilium. Unde Apostolus cap. 1. Epistolæ ad Rom. scribit inexcusabiles esse Gentiles, quia cum naturaliter Deum cognovissent, eum non glorificaverunt, naturali nempe cultu, naturali dilectione.

Nihil est porro quod diutius immoremur in refellendo adversariorum argumento; qui ut ostendant hominem non posse sine gratiæ auxilio Deum diligere super omnia, Scripturæ, Patrum & Conciliorum loca usurpant, quæ in præcedenti conclusione adduximus; est enim luce meridiana clarius hæc & similia nonnisi de dilectione Dei supernaturali, de vera charitate Christiana, quæ ordinaretur ad salutem æternam, esse intelligenda.

Utrum homo sine Gratia Dei legis præcepta implere possit.

Inter præcepta quæ homini observanda incumbunt, alia sunt naturalia quæ sola ratio naturalis dictat, & Decalogo continentur; alia sunt supernaturalia quæ consequenter ad religionem Christianam hominibus annuntiatam, ipsis libere imposita sunt a Deo. Lex naturalis, ut alibi dicimus, nihil est aliud quam lumen quoddam nobis a natura inditum, quo discernimus quid sit bonum quidve malum, quid faciendum quidve fugiendum.

In observatione præceptorum duo distinguuntur, substantia, ut ita dicam, observationis, cum nempe præceptum adimplet homo; & modus agendi in observatione præceptorum, ut scilicet fiant vel ex charitate vel ex cupiditate, propter Deum vel propter creaturam; quæ distinctio fictitia non est, ut docuerunt summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. qui hanc propositionem condemnarunt in Bajo. *Celebris illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri: altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est ad modum meritorum; commentitia est & explodenda.*

Observandum insuper præcepta illa dupliciter sumi posse, collective quod de tota omnium præceptorum complexione sermo est: distributive quando nonnisi de uno vel altero præcepto agitur.

His præmissis duo hic imprimis propugnabimus. Primum quidem contra Pelagianos ostendetur neminem posse sine gratia Dei observare mandata tum naturalia tum supernaturalia, ea observatione quæ hominem perducat ad vitam æternam, quod est certissimum fidei nostræ caput. Alterum est posse hominem sine speciali Dei gratia sic observare nonnulla saltem legis naturæ præcepta, ut in eorum observatione non peccet; quod quidem eorum opinioni adversatur, qui nullum putant fieri posse ab homine bonum opus morale naturalis ordinis; inde enim manifeste sequitur, ut & ipsi pertendunt, Ethnicum peccare in ipsa legis naturalis observatione, quia non apponit circunstantiam finis bono actui debitam.

PRIMA CONCLUSIO.

Sine gratia Dei homo non potest servare mandata ut oportet, ea observatione quæ illi utilis sit ad vitam æternam.

Probatur 1. ex Scripturis. Joan. 15. cap. *Sine me nihil potestis facere.* Primæ Corinth. 4. cap. *quid habes quod non accepisti?* & secundæ cap. 3. *non*

quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, *sed sufficientia nostra ex Deo est*. Porro si nihil a se ipso potest homo, si, ut jam ostendimus, a se ipso non potest credere, Deum diligere, tentationes superare, &c. proculdubio gratia Dei est ad observationem mandatorum absolute necessaria.

Probatur 2. ex S. Augustino qui hanc doctrinam passim tradit, tum in iis locis in quibus gratiam scribit ad singulos actus necessariam, tum ubi recenset inter hæretica Pelagii dogmata, quod diceret aliud non esse adjutorium ad bene agendum quam legem & doctrinam; item ubi ostendit legem sine spiritu gratiæ non impleri posse, non prodesse sed plurimum obesse, ut dedita opera toto libro de spiritu & littera demonstrat. Lib. de natura & gratia cap. 2. sic Pelagium refellit. *Si per naturam justitia*, *ergo Christus gratis mortuus est?* Et cap. 40. *Si possibilitas naturalis per liberum arbitrium & ad cognoscendum quomodo vivere debeat*, *& ad bene vivendum sufficit sibi*: *ergo Christus gratis mortuus est*. Idem plane docet S. Prosper lib. contra Collatorem cap. 1. & 11. ubi ait neminem posse implere Dei mandata sine gratia Dei, & legem sine spiritu gratiæ esse omnino inutilem. Cui & addere possumus S. Fulgentium eadem lib. de veritate Prædestinationis cap. 20. scribentem.

Probatur 3. ex Conciliis. Carthaginense quidem in Epistola Synodica ad Innocentium I. Pontif. Max. significat damnatos fuisse Pelagianos, eo quod asserebant *in eo gratiam Dei deputandam quod talem hominis instituit creavitque naturam*, *quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere*, *sive naturaliter in corde conscriptam*, *sive in litteris datam*. Idem habet Concilium Millevitanum in Epistola Synodica. Idem constat ex altero Concilio Carthaginensi can. 5. ubi anathema pronunciatur *ei qui asseruerit hominem sine gratia posse implere divina mandata*. Et demum ex Concilio Arausicano II. can. 23. & 25.

Objicies id quod habetur Deuteron. cap. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie*, *non supra te est*. Sed mandatum quod non est supra nos positum, impleri potest sine speciali gratiæ divinæ auxilio; ergo.

Dist. maj. non est supra te ratione cognitionis, C. ratione observationis, N. hic igitur lex dicitur non esse supra hominem ratione cognitionis, non ratione observationis, ut aperte indicant verba hæc sequentia: *Neque procul positum*, *nec in cœlo situm*... *neque trans mare positum*.... *sed juxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo*, *ut facias illum*. Ad cujus tamen legis observationem, si fiat ut oportet & animo Christiano, gratia Dei est absolute necessaria.

Objicies illud Ecclesiastici cap. 15. *adjecit mandata & præcepta sua*, *si volueris mandata servare*, *conservabunt te*. Ergo est in potestate hominis sine speciali Dei auxilio servare mandata.

Dist. ant. si volueris mandata servare cum gratia, C. sine gratia, N. sic respondet S. August. lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 16. *Certum est*, inquit, *nos mandata servare*, *si volumus*: *sed quia præparatur a Domino voluntas*, *ab illo petendum est*, *ut tantum velimus quantum sufficit ut volendo faciamus*. *Certum est nos velle cum volumus*, *sed ille facit ut velimus*, *&c.* Hinc ad id quod dicebant olim Pelagiani Deum nihil præcipere hominibus impossibile; adeoque posse hominem per solas naturæ vires totam legem implere: Respondemus aliquid censeri nobis possibile quod possumus cum auxilio divino; aliter ea loca in quibus præcipitur observatio legis, conciliari neutiquam possent cum isto Joan. 15. cap. *Sine me nihil potestis facere*. Unde ait Conc. Trident. *jubendo monet & facere quod possis &* pete-

petere quod non possis, & adjuvat ut possis.

Est etiam illa responsio S. Thomæ, qui quidem quæst. 24. de veritate art. 14. cum quæstionem instituisset, *utrum liberum arbitrium possit facere bonum sine gratia*, ita demum disputat: *Videtur quod sic, quia præceptum non datur de impossibili: unde Hieronymus dicit, Maledictus, qui dicit Deum homini aliquid impossibile præcepisse: sed homini præcipitur ut bonum faciat: ergo homo potest per liberum arbitrium bonum facere*.

Huic objectioni sic respondet, *dicendum quod illud quod præcipit Deus, non est impossibile homini ad servandum, quia & substantiam actus potest ex libero arbitrio servare, & modum quo elevatur supra facultatem naturæ, prout scilicet fit ex charitate, potest servare ex dono gratiæ*. Et similiter in 2. sentent. distinct. 28. art. 3. ad 3. *dicendum quod recte homo corripitur qui præcepta non implet, quia potest ex libero arbitrio servare mandata quantum ad substantiam, neque est sine ejus negligentia, quod gratia caret, per quam potest servare præcepta etiam quantum ad modum*.

Utrum autem omnibus detur illa gratia quæ necessaria est ad implenda Dei mandata, & quænam sit, an efficax, an mere sufficiens, videbitur infra.

Secunda Conclusio.

Sine gratia Dei non potest quidem homo omnia collective præcepta legis naturalis adimplere; nil vetat autem, quominus nonnulla distributive per solas naturæ vires sine peccato observare possit.

Ac primo quidem hujus conclusionis prior pars ex eo evincitur, quod hæc legis naturalis præcepta sunt observatu difficillima; tum ratione concupiscentiæ quæ interius hominem sollicitat ad malum, & a bono avertit; tum & ratione tentationum aliarum quæ hominem extrinsecus perturbant & distrahunt; unde licet unum aut alterum distributive mandatum implere possit, singula tamen collective & adæquate sumpta pro viribus naturæ sine gratiæ auxilio observare non potest; quod egregie docet S. Thomas quæst. 109. art. 2. his verbis: *Quia natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem in statu etiam naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere; non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat, sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ*.

Posterior vero conclusionis pars, qua dicimus sine gratia Dei posse hominem nonnulla in particulari mandata legis naturalis implere, non peccando in ejuscemodi præceptorum observatione, jam abunde a nobis certo & invicte demonstrata manet, ubi nempe validissimis argumentis ostensum est, dari posse aliquod bonum opus morale naturalis ordinis, bonum inquam & ratione officii & ratione finis; inde enim manifeste sequitur nonnulla legis naturalis præcepta impleri posse per actus bonos in eodem ordine qui peccata non sunt. Id aperte docet S. Thomas loco mox citato.

Utrum homo possit sine Gratia ab omni peccato abstinere.

Hic duæ pertractandæ veniunt quæstiones. Prima est de facto, an revera & de facto aliquis extiterit, qui ad eum justitiæ gradum etiam gratiæ divinæ beneficio pervenerit, ut sine omni peccato etiam veniali vitam duxerit. Secunda est de possibili, utrum id, tametsi nunquam factum fuerit, ta-

tamen fieri posset per absolutam Dei omnipotentis virtutem.

PRIMA CONCLUSIO.

Si Christum Dominum & beatissimam ejus Matrem excipiamus, nemo homo ad eum unquam justitiæ & sanctitatis gradum pervenit, ut sine omni peccato vitam duceret.

Probatur 1. ex Scripturis. Psal. 142. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Eccles. 7. c. *non est homo justus in terra qui faciat bonum & non peccet.* Primæ Joan. cap. 1. *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quo loco nihil ad rem istam illustrius proferri potest; sic enim de se ipso loquitur unus ex Apostolis jam plenus Spiritu sancto. Est porro & aliud momentum quod repetit Augustinus ex illa solemni oratione, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* quæ oratio est in ore omnium justorum.

Probatur 2. ex S. Augustino, qui id non uno in loco detestatus est in Pelagio, quod diceret justos non paucos ab omni peccato facile immunes extitisse, idque potissimum l. 2. de peccat. mer. cap. 7. & sequentibus ostendit ex mox citatis Scripturæ testimoniis, *si quæratur utrum sit, non credo, magis enim credo Scripturæ dicenti, &c.* c. 10. in hujusce veritatis confirmationem adducit exempla Noe, Daniel & Job, quos licet ut viros justos & sanctissimos prædicet Scriptura, ab omni tamen peccato immunes non facit; unde concludit cap. 13. *Sunt ergo,* inquit, *in terra justi, sunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pii, misericordes, temporalia mala omnia propter justitiam æquo animo tolerantes; sed si verum est, immo quia verum est, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, non sunt sine peccato.*

Hanc doctrinam ex eo probat Augustinus, quod quando vivimus nondum sumus perfecte filii Dei facti, nec est perfecte absumpta tota vetustas, nondum renovatus totus homo interior; siquidem, ut ait Apostolus secundæ ad Corinth. 4. c. *renovatur de die in diem;* quamobrem qua parte homo est, adhuc in vetustate est & ideo in peccato est. Lege librum de perfectione justitiæ & lib. de nat. & grat. cap. 34. & 36. cui consonat aperte quod scribit S. Hieron. lib. 2. & 3. contra Pelagianos.

Probatur 3. ex Conciliis, ac primo ex Carthaginensi cujus hæc est sanctio in canone 8. *Placuit ut quicunque dixerit in oratione dominica, ideo dicere sanctos, Dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque Sanctorum, dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius quam se justus petere intelligatur, anathema sit.* Item ex Concil. Milev. ex Epistolis ad Innocentium I. & rescriptis Innocentii, ac demum ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 11. docente sanctos & justos hac in mortali vita in levia saltem & quotidiana peccata quandoque cadere.

His porro accedit ratio. Siquidem homo non potest moraliter loquendo omnes concupiscentiæ motus, ex quibus saltem venialia erumpunt peccata, statim reprimere; dum enim, ut infeliciter experiuntur vel ipsi sanctissimi viri, uni sensualitatis motui resistitur, persæpe consurgit alius.

Objiciebant Pelagiani illud primæ Joan. 3. cap. *qui natus est ex Deo non peccat, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex*

Deo

Deo natus est. Ergo in justo non est peccatum, nec esse potest.

Dist. ant. non peccat in sensu composito & quatenus est ex Deo, C. in sensu diviso, N. sic respondet S. Aug. lib. 2. de peccat. merit. cap. 10. *Non igitur contrarium testimonium est, qui natus est ex Deo non peccat, ei testimonio, si dixerimus, &c. quandiu enim homo quamvis totus spe jam & jam in re ex parte regeneratione spiritali renovatus, adhuc tamen portat corpus quod corrumpitur & aggravat animam*.

Aliter respondet S. Augustinus hunc Scripturæ locum esse intelligendum de eo qui perfecte manet in Deo & perfecte ex Deo natus est, quæ quidem regeneratio filiorum Dei perfecta & consummata non erit nisi in cœlis, quando videbimus eum sicuti est, nondum enim apparuit quid erimus.

Objiciebant id quod de Zacharia & Elizabeth legitur Lucæ 1. cap. *erant autem ambo justi ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*. Ergo sine peccato.

Respondet S. Augustinus cap. 13. *Nam de Zacharia*, inquit, *& Elizabeth qui nobis sæpe in hujus quæstionis disputationibus objiciuntur, quid dicamus, nisi quod evidenter Scriptura testatur eminenti justitia fuisse Zachariam in principibus Sacerdotum .... quid autem de Zacharia & Elizabeth laudabile dictum est, quod non in eo comprehendatur, quod de se Apostolus, cum in Christum nondum credidisset, professus est? Dixit enim se secundum justitiam quæ in lege est fuisse sine querela .... tantum ergo longe est, ut propter illa verba Zachariam & Elizabeth credamus sine ullo peccato perfectam habuisse justitiam; ut nec ipsum Apostolum ejusdem regulæ summitate arbitremur fuisse perfectum*.

Objiciebant quod Dominus ait Math. 5. cap. *Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, quod non præciperet, inquiebant, si sciret fieri non posse quod præcipit.

Respondet S. Aug. cap. 15. ejusdem libri, *non nunc quæritur*, inquit, *utrum fieri possit, si istam perfectionem ad hoc accipiunt, ut sine ullo sit quisque peccato, cum hanc agit vitam, jam enim supra respondimus posse fieri, sed utrum aliquis faciat, hoc nunc quærimus ... cur ergo jubet, inquiunt, quod scit nullum hominum esse facturum? Hoc modo etiam dici potest, cur primis illis hominibus jussit, qui duo soli erant, quod sciebat eos non esse facturos? .... Eo modo ergo jubet omnibus hominibus, ut non faciant ullum peccatum, quamvis sit præscius neminem hoc impleturum*.

Objicies: S. Joannes Baptista caruit omni peccato, de eo enim dixit Christus Math. cap. 11. *inter natos mulierum non surrexit major*: ergo.

Nego ant. quia sensus verborum Christi est solummodo inter Prophetas antiqui testamenti primas tenere Joannem, qui tamen ab omni peccato saltem leviori non fuit propterea immunis. Idem porro ferri debet judicium de Apostolis qui post descensum Spiritus sancti in gratia confirmati dicuntur: inde enim colligere est tantum, eos non fuisse deinceps peccatis lethalibus obnoxios; siquidem ingenue fatetur S. Joannes: *Si dixerimus quoniam peccatum*, &c.

Cum porro dicimus neminem integram duxisse vitam sine aliquo saltem leviori peccato, excipimus Christum Dominum, in quo vel etiam prout homo erat, nullum omnino fuit peccatum, ut docuimus in Tractatu præcedenti de Incarnatione Verbi; id scribit S. August. lib. de corrept. & grat. cap. 11. lib. de peccat. merit. cap. 11. & lib. de Prædestin. SS. cap. 15.

Fluebat hæc impeccabilitas Christi ex unione hypostatica naturæ humanæ cum Verbo divino, uti egregie scribit S. Augustinus libro mox citato de correptione & gratia, his verbis: *neque me-*

tuen-

tuendum erat ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Deo natura humana suscepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.

Quin & ab illa communi lege excipimus B. Virginem Mariam, freti autoritate ejusdem sancti Augustini qui de illa hæc scribit lib. de natura & gratia cap. 36. *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo mentionem.* Quod ipsum docuerunt omnes fere sancti Patres, & universa tenet Ecclesia, uti definitur in Concilio Tridentino sess. 6. can. 23. *Si quis dixerit*, inquiunt Patres Tridentini, *hominem justificatum... posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Scilicet hanc B. Virginis impeccabilitatem non ipsius naturæ sed singulari gratiæ divinæ privilegio tribuendam confitemur.

Secunda Conclusio.

Fieri posset absolute ut justus ab omni peccato per totam vitam præservaretur.

Probatur quia id aperte docet S.Aug. lib. 2. de pecc. meritis c. 6. his verbis: *Nam qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, & hominis libero arbitrio qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti, vel misericordiæ qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. Sed alia quæstio est utrum esse possit; alia utrum sit .... Si a me quæratur, utrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam & liberum arbitrium.* In fine autem capitis hæc addit adductis pluribus Scripturæ sacræ testimoniis: *his*, inquit, *atque hujusmodi innumerabilibus testimoniis dubitare non possum nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse, ac per hoc potest homo si velit esse sine peccato adjutus a Deo.*

Quomodo vero recte affirmari possit, hominem sine peccato, mediante divina gratia, vitam transigere posse, & tamen id nemini concessum fuisse præter Christum & B. Virginem, explicat sanctus Augustinus lib. de spiritu & littera cap. 1. his verbis: *qua ratione aliquid esse possit, cujus tamen exemplum deest, quod nunquam factum est vel fiet, absurdum inquit tibi videtur, cum sicut credo, non dubites nunquam esse factum ut per foramen acus camelus transiret, & tamen ille hoc quoque dixit Deo esse possibile; legas etiam duodecim millia legiones Angelorum pro Christo ne pateretur, pugnare potuisse, &c.*

Accedit ratio quia universim ad vitandum omne peccatum necesse est ut homo diligentissime invigilet omnibus suis actionibus & sibi caveat singulis vitæ suæ momentis, ne vel minimus obrepat concupiscentiæ motus indebitus: sed concipimus hoc præstari posse beneficio gratiæ divinæ quæ voluntatem hominis continuo præveniret & adjuvaret: igitur fieri posset absolute loquendo ut aliquis justus per singularem Dei gratiam ab omni peccato etiam veniali præservaretur.

Utrum homo justus possit sine speciali Dei gratia perseverare in bono.

Perseverantia describitur a S. Augustino libro de Dono perseverantiæ cap. 10. *gratia qua usque in finem perseveratur in Christo, finem autem quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur.* Unde si quis non stat in fide & dilectione Dei usque in finem vitæ, tametsi permultos vitæ

suæ

suæ annos perseveraverit, non censetur proprie loquendò perseverasse.

Quæstio autem præsens institui potest tum de infantibus qui ante usum rationis post susceptum baptisma moriuntur, tum de hominibus adultis qui in sanctitate vitæ usque ad mortem persistunt; & quæritur utrum perseverantia illa finalis speciale Dei donum sit, illi gratiæ sanctificanti, in qua moritur homo, superadditum.

Porro controversia hic movetur de homine considerato in statu naturæ lapsæ, non in statu naturæ innocentis, quia nimirum de perseverantia Adami innocentis aliter judicandum esse ac de perseverantia in hoc naturæ corruptæ statu abunde a nobis supra dictum est.

Prima Conclusio.

Perseverantia parvulorum post susceptum baptisma morientium speciale Dei donum est.

Probatur ex Scripturis, nimirum ex illo Sapientiæ cap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius..... placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Quo testimonio utitur sanctus Augustinus lib. de Prædest. Sanctorum cap. 14. ut ostendat celeriorem mortem qua rapiuntur infantes baptizati, divinum esse ac singulare beneficium; ubi & id confirmat ex autoritate S. Cypriani, cujus locum e libro de Mortalitate exscribit.

Idipsum dedita opera probat libro de Dono perseverantiæ cap. 17. his verbis: *Videte jam a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ huic quando voluerit, ipse det finem, quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior & fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis, quibus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gratia.*

Hæc porro specialis Dei gratia qua fit ut illi infantes perseverent, hoc est moriantur in gratia sanctificante per baptismum suscepta, non est ut per se patet, gratia quædam interior vel actualis vel habitualis, sed exterior quædam specialis protectio qua voluit Deus prædestinatos parvulos ab imminentibus vitæ periculis liberare.

Secunda Conclusio.

Perseverantia adultorum est quoque speciale Dei donum.

Probatur ex S. Augustino qui hanc doctrinam fuse tradit toto libro de Dono perseverantiæ: *Videamus*, inquit cap. 2. *utrum hæc perseverantia, de qua dictum est, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, donum sit Dei; quod si non sit, quomodo verum est, quod Apostolus ait, Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo? Horum quippe unum pertinet ad initium, alterum ad finem, utrumque tamen est Dei donum, quia utrumque dictum est esse donatum.* Id postea probat ex illo primæ Petri cap. 3. *Melius est bene facientes, si velit voluntas Dei pati, quam male facientes*: tum ex illis Jeremiæ verbis cap. 32. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant*, ubi & contendit perseverantiam tota pene oratione dominica nos petere. Item ex Psal. 79. cujus hæc adducit verba, *fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi, & non discedimus a te.*

Hanc porro doctrinam legere est diserte in Conciliis. Concilium quidem Arauf. II. can. 9. definit divini muneris esse cum & recte cogitamus & pedes nostros a falsitate & injustitia continemus. Et can. 10. adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper esse im-

plorandum, ut ad finem bonum perveniant, vel in bono opere possint perdurare. Item Conc. Trid. sess. 6. cap. 13. sic habet: *Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est, qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit, quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est, eum qui stat statuere ut perseveranter stet, & eum qui cadit restituere, &c.* Igitur perseverantia speciale Dei donum est.

Objicies: fieri potest ut aliquis justus moriatur statim post acceptam justitiam, vel in Baptismo, vel in sacramento Pœnitentiæ: quod enim quis moriatur, mere naturale est: atqui tunc censetur perseverasse usque in finem sine ulla speciali gratia: ergo perseverantia ut plurimum non est speciale Dei donum.

Nego min. quia mori in hac vel illa circumstantia, in hoc vel illo statu, in quo nempe homo sanctus est, speciale Dei donum est, specialis providentia & protectio, juxta illud Scripturæ, *raptus est ne malitia, &c.* Ibi quidem nulla est specialis gratia interior, ut jam monuimus, vel actualis vel habitualis; sed specialis est gratia exterior quæ dici potest specialis gratia protectionis: quemadmodum enim nasci est quid mere naturale: nasci vero ex parentibus Christianis donum est Dei singulare: ita mori est quid naturale, sed mori in statu gratiæ donum est speciale Dei.

Instabis: homo justus & gratia sanctificante instructus potest facere bonum opus, vitare malum, sibi cavere & tentationes cum occurrent superare seclusa illa speciali protectione: atqui tunc homo ille perseveraret usque in finem: ergo homo justus potest perseverare usque in finem sine speciali Dei gratia.

Nego maj. quia videlicet ad bene agendum, & superandas tentationes, præter gratiam sanctificantem quæ permanenter est in justo per modum habitus, requiritur gratia actualis: *Sicut enim*, inquit S. August. lib. de nat. & grat. cap. 26. *oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic & homo etiam perfectissime justificatus nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Hæc porro gratia actualis qua justi efficaciter liberantur a periculis, valentque usque ad extremum vitæ exitum tentationes superare, effectus est singularis illius protectionis, quam appellamus perseverantiam, donum perseverantiæ; adeoque est & ipsa perseverantia speciale Dei donum non externum duntaxat, sed etiam internum solis prædestinatis adultis datum.

Atque id abunde confirmatur ex iis quæ scribit S. Augustinus libro de Dono perseverantiæ cap. 9. *Ex duobus autem piis*, inquit, *cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus est certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait unus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, mansissent utique nobiscum.* Quod idem docet lib. de corrept. & gratia cap. 8. his verbis, *Si a me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam qua Christiane viverent, dilectionem dedit, ignorare me respondeo.*

Instabis: Si perseverantia esset speciale Dei donum, nec justis omnibus daretur, Deus justos prius desereret quam ab eis desereretur: atqui prius justos non deserit Deus quam ab eis deseratur, ut aperte docet S. Augustinus libro de nat. & grat. cap. 26. *Ipse autem Deus*, inquit, *cum impium ad perfectam sanitatem perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur.* Quod quidem & sanxit Concilium Trident. sess. 6. cap. 11. his verbis: *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur:* ergo.

Nego

Nego maj. & dico justos non prius a Deo deseri quam Deum deserant, tametsi supponatur perseverantiam finalem esse speciale Dei donum, idque duplici ex causa.

Primo, quia cum Deus alicui justo denegat gratiam actualem efficacem ad perseverandum, sinitque ut aliqua tentatione perturbetur & cadat in peccatum, eidem aliunde indulget gratiam sufficientem qua possit perseverare si velit, ut fusius dicetur infra, cum existentiam gratiæ sufficientis pro justis potissimum ad servanda Dei mandata demonstrabimus: unde fit ut Deus vel etiam cum gratiam efficacem ad standum justis denegat, non proinde censeatur justum deserere.

Secundo, quia hoc speciale donum perseverantiæ iis justis denegat Deus qui superbiendo & non se humiliando Deum deseruerunt, ut docet S. Aug. libro de nat. & grat. cap. 27. his verbis:

Hoc utique agit ut sanet omnia, sed agit judicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto. Procul dubio quippe firmissimum Apostolum volebat efficere, cui tamen dixit, Virtus in infirmitate perficitur, & non ei toties oranti aufert nescio quem stimulum carnis, quem sibi dicit datum, ne magnitudine revelationum extolleretur. Cætera enim vitia tantum in malefactis valent, sola autem superbia etiam in recte factis cavenda est. Ex quibus patet in mente Augustini sic ordinem a Deo statutum esse, ut homo perseverantiam consequatur per orationem & humilitatem. Unde lib. de Dono persev. cap. 6. *At enim*, inquit, *voluntate sua quisque deserit Deum ut merito deseratur a Deo, quis hoc negaverit? Sed ideo petimus ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat*. Et lib. de corrept. & grat. cap. 13. loquens de iis qui non perseverabunt, ait eos prius deserere quam deserantur: *Aut gratiam Dei suscipiunt*, inquit, *sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt & deseruntur, dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo & occulto*. Quapropter certum est Deum ab homine prius deseri quam hominem deserat, tametsi perseverantia finalis ae speciale Dei donum solis prædestinatis datum.

Quibus merito adjungere possumus ad majorem videlicet propositæ difficultatis elucidationem, hoc sancti Augustini idemque & Concilii Tridentini effatum, quo dicitur Deus neminem prius deserere quam ab eo deseratur, a multis Theologis explicari de ea desertione, quæ fit per amissionem gratiæ sanctificantis; unde sensus est, inquiunt, Deum qui per gratiam sanctificantem in justis veluti manet & habitat, ab iis nunquam recedere, gratiam suam sanctificantem nunquam auferre, eorumque demum amicitiæ non renunciare; nisi propter peccatum mortale ab illis admissum, quo fit ut nunquam justum deserat, quin prius ab eo deseratur; quanquam prior sententia magis arrideat, eorum nempe Theologorum qui censent Deum eatenus non deserere quemquam, nisi prius ab eo deseratur, quatenus unicuique ac præsertim justis semper dat gratiam sufficientem qua perseverare possint.

De essentia & natura Gratiæ.

HActenus demonstrata contra Pelagianos gratiæ actualis necessitate ad omne bonum opus ordinis supernaturalis, sequitur ut naturam ejus & essentiam quoad poterimus, perscrutemur & explicemus. Id vero cogitanti mihi statim occurrit celebris divisio gratiæ in sufficientem & efficacem, quæ scilicet omnem complectitur gratiam actualem; quo fit ut non possimus naturam gratiæ melius indagare vel assequi, quam si de utraque fusius, pro more Theologorum, agamus.

Utrum homo possit sine gratia sanctificante aliquod bonum opus facere.

POstquam fuse satis, ut puto, dictum est de necessitate gratiæ actualis ad varias actionum humanarum species, ad credendum, ad diligendum Deum, ad superandas tentationes, ad servanda mandata, &c. Superest ut nonnihil dicamus de necessitate gratiæ habitualis & sanctificantis, utrum nempe ejusmodi gratia tantæ sit necessitatis in eo qui operatur, ut peccatores peccatis mortalibus obstricti non possint defectu gratiæ sanctificantis ullum bonum opus facere, sed singula eorum opera totidem sint peccata.

Hic unus fuit inter articulos Wiclefi & Joannis Hus in Concilio Constantiensi damnatos: *Ex principiis fidei est per se notum, quod quicquid homo in mortali peccato fecerit, peccat mortaliter*.

Eadem doctrina merito tribuitur Lutheranis, qui docent nulla vel in justis esse bona opera, sed omnia esse vera peccata, quamvis fidelibus non imputentur.

Ab his aut parum aut nihil recessit Baius, cujus hæc fuit propositio quæ nimirum est trigesima quinta: *Omne quod agit peccator aut servus peccati, peccatum est*. In hos omnes sit.

C o n c l u s i o.

Potest homo sine gratia sanctificante & in statu peccati mortalis existens aliquod bonum opus facere.

Probatur 1. ex Scripturis quæ frequentissime peccatores hortantur ad bona opera, vel etiam ad ea quibus se ad justitiam recuperandam præparent, cujusmodi sunt conversio, pœnitentia, odium peccati, &c. Ezechielis cap. 18. *convertimini & agite pœnitentiam*. Danielis cap. 4. *peccata tua eleemosynis redime*.

Christus ipse sic peccatores alloquitur, Lucæ 11. cap. *petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis*. Peccatores inquam alloquitur, nam statim addit, *si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis, quanto magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se*. Profecto si ejusmodi opera peccata essent, quia fiunt a peccatoribus nondum per charitatem sanctificatis, ad ea nequaquam incitarentur vel etiam ab ipso Christo Domino.

Probatur 2. ex Concilio Constantiensi, quod præfatum Joannis Hus articulum proscripsit, tum vero ex Tridentino quod adversus Novatores sic pronunciat sess. 6. can. 6. *Si quis dixerit opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto gravius eum peccare, anathema sit*. Quibus accedit autoritas summorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. qui adductam Baii propositionem condemnarunt.

Et ratio est quia opus illud non est malum & vere peccatum, quod nec malum est ratione materiæ, neque ratione finis, neque demum ratione circumstantiarum: sed nonnulla peccatorum opera, videlicet ea quibus præparant se ad perfectam conversionem, nec mala sunt ratione materiæ, nec ratione finis, nec demum ratione ullius circumstantiæ; odium v. g. peccati malum non est ratione materiæ, immo laudabile & præceptum est a Deo; malum non est etiam ratione finis, recte enim intelligitur peccatorem odio habere peccatum propter Deum, quia divinam majestatem lædit, qui quidem finis bonus est & honestus: denique malum non est ratione ullius circumstantiæ; si qua enim circumstantia inficeret

ret actionem peccatoris, maxime quia fit a principio corrupto & infecto per peccatum; sed sola principii corruptio actionem peccatoris non inficit, modo peccator non agat ex proprio iniquitatis principio; sicut justus actionem suam non semper sanctificat, quia non agit ex principio sanctitatis: igitur non omne opus factum a peccatore malum est.

Et certe si omnes & singulæ peccatorum actiones forent malæ & vere peccata, nunquam peccator disponere se posset ad justificationem: absurdum consequens, nemo enim dixerit hominem præparare se ad justificationem per quædam peccata: igitur singulæ peccatorum actiones non sunt peccata; adeoque gratia sanctificans non est necessaria ad bonum opus faciendum.

Objicies: legitur passim in Scripturis Deum detestari sacrificia & orationes peccatorum: Isayæ 1. cap. Deus sic alloquitur peccatores: *Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi, iniqui sunt cœtus vestri, calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens*. Joan. 9. c. *peccatores Deus non audit*: igitur.

Dist. ant. Deum detestari sacrificia peccatorum, quando agunt irreligiose, impie, & cum perversa intentione, C. quando peccatores agunt ex bono fine, corde contriti & præparantes se ad perfectam conversionem, N. porro de peccatoribus impie agentibus loquitur Isayas, ut constat ex illis verbis ibidem, *manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*. Et postea, *auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*.

Ad locum S. Joannis respondeo, hujus propositionis *peccatores Deus non audit*, sensum esse, Deum non concedere peccatoribus potestatem patrandi miracula, hoc unum quippe intendit cæcus ille qui loquitur, ut manifeste colligitur ex contextu. Aliter respondet S. Augustinus lib. 2. contra Epistolam Parmeniani; hoc dictum fuisse a cæco nato nondum Christiana doctrina imbuto.

Instabis: arbor mala non potest facere fructus bonos: sed peccator est arbor mala: ergo.

Dist. maj. quando agit ut mala formaliter, C. præcise quia mala est, N.

Instabis, Epist. ad Titum cap. 1. sic loquitur Apostolus, *omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens & conscientia*. Igitur omnes peccatorum actiones malæ sunt.

Dist. ant. coinquinatis nihil est mundum quando male agunt, ex mala conscientia, C. secus, N. vel aliter ut plurimum, quia, ut habet ibidem Apostolus, coinquinatæ sunt eorum mens & conscientia, C. semper, N. solutio satis intelligitur; nec majori eget explicatione.

De Gratia efficaci.

Circa gratiam efficacem, de qua celeberrima est controversia inter Theologos, duo pertractabimus: 1. Utrum detur gratia de se, ut ajunt, ex se & ab intrinseco efficax. 2. Posito quod admittatur ejusmodi gratia de se efficax, unde repetenda sit hujus vis & efficacia.

Utrum admittenda sit gratia ex se efficax.

Notandum primo hanc moveri controversiam pro statu naturæ lapsæ; quodnam enim necessarium fuerit gratiæ auxilium in statu naturæ innocentis, diximus supra. Nimirum scripsimus in Thomistas, qui nulla apposita statuum distinctione docent gratiam per se efficacem fuisse necessariam in utroque statu; & ostendimus Adamum in statu naturæ innocentis constitutum non indiguisse ad bene agendum

dum

dum gratia per se efficaci, sed tantum sufficiente, eo quod nondum attenuatum fuerat liberum ejus arbitrium. Adamo, ut diximus, dedit Deus adjutorium sine quo perseverare non poterat, non autem adjutorium quo actu perseveraret, voluit enim Deus videre quid per se posset in illo statu liberum arbitrium.

Gratia ex se, per se, ut ajunt, ab intrinseco efficax, est ea quae per se, prout est a Deo, & juxta vim ipsi a Deo inditam, certo & infallibiliter humanae voluntatis consensum exprimit, sic dicitur per oppositionem ad gratiam sufficientem, quae juxta Molinam per se vim non habet certo determinandi voluntatem, sed suum ipsa sortitur effectum ex accedente voluntatis consensu; unde in systemate eorum qui rejiciunt gratiam per se efficacem, datur quidem gratia efficax, quia juxta illos gratia sufficiens per accedentem voluntatis consensum redditur efficax: scilicet in actu secundo quatenus suum habet effectum; sed nulla datur gratia per se efficax, quia, inquiunt, nulla datur gratia quae certo & infallibiliter suum obtineat effectum.

Ludovicus Molina e Societate Jesu Theologus insignis in libro quem inscripsit, *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis*, scribit disputat. 38. quaest. 14. art. 13. etiam in hoc statu naturae lapsae nullam dari gratiam per se efficacem, gratiam omnem ex se nonnisi sufficientem, reddi efficacem a solo voluntatis nostrae consensu, a sola voluntatis cooperatione, vel inefficacem quando voluntas eidem gratiae non praebet consensum.

Quoniam vero haec sententia Molinae, qui nullam admittit gratiam ex se & ab intrinseca virtute efficacem, caeteris Theologis durior visa est, atque etiam Scripturis & doctrinae S. Augustini manifeste contraria, ut scribit Bellarminus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 12. hinc factum est ut eam pauci admodum retinuerint vel ex eadem familia Scriptores & Theologi, plerique enim omnes duce Suarezio docent efficaciam gratiae positam esse in quadam congruitate, qua fit ut gratia Dei sit efficax suumque habeat effectum, quia datur a Deo in certis circumstantiis in quibus vidit beneficio scientiae mediae ejusmodi gratiam suum habituram effectum. Haec porro sententia, quam quidem speciatim rejicimus disputatione sequenti, quae erit de natura gratiae efficacis, convenit cum sententia Molinae, in quantum negat dari gratiam per se & ex propria vi efficacem, siquidem in rei veritate volunt isti Theologi gratiam esse libero arbitrio submissam; negant enim Deum quicquam decernere absoluto & efficaci decreto, quin prius per scientiam mediam exploraverit, quid creaturae liberae placuerit, quidve factura sit in hac vel illa circumstantia, ac demum viderit voluntatem consensuram.

Est & altera sententia unius e nostris Alphonsi le Moyne Sorbonici Doctoris & Professoris, qui suo libro *de dono orandi* fatetur quidem dari gratiam ex se efficacem ad quodlibet bonum opus perficiendum, sed contendit aliquam solummodo sufficientem dari ad initium fidei, ad incipiendum bonum opus, ad orandum; quam doctrinam separatim refellere nihil necesse est, quibus enim momentis divinae gratiae efficaciam mox propugnaturi sumus, eadem ad incipiendum peraeque ac perficiendum bonum opus necessariam esse ejusmodi gratiam evincunt.

Contraria vero sententia quae aliorum fere omnium Theologorum est, statuit in hoc statu naturae corruptae, praeter gratiam sufficientem, cujus postea existentiam stabiliemus, admittendam esse gratiam per se & ex propria virtute efficacem, quae scilicet suum semper certo & infallibiliter obtinet effectum, quae

quæ non necessario sed infallibiliter, &, ut ait S. Augustinus, ineluctabiliter, indeclinabiliter humanam voluntatem movet ac determinat ad agendum, quæ denique talis est tantæque efficaciæ, ut ei voluntas resistere quidem possit, sed nunquam actu resistat. Quam sententiam velut Scripturis, Patribus & Conciliorum autoritati maxime consentaneam vehementer amplectitur.

Hæc porro gratia duobus modis est efficax, scilicet in actu primo & considerata antecedenter ad consensum voluntatis nostræ, quatenus per se & ex natura sua vim habet certo & infallibiliter voluntatem determinandi ad consentiendum. Deinde vero est efficax in actu secundo quatenus actu & de facto consensum voluntatis efficit, & voluntas revera actu consentit.

Conclusio.

Admittenda est gratia per se, ex se & ab intrinseco efficax.

Probatur 1. ex Scripturis, ubi cum luculentissima & numero prope infinita reperiantur testimonia ad hancce veritatem stabiliendam, ea majoris elucidationis causa ad varias classes revocabimus.

1. Igitur ea proferimus loca in quibus legitur Deum movere, flectere, inclinare voluntates nostras quocunque voluerit, *cor regis in manu Dei est, & quocunque voluerit flectet illud*. Esther sui libri c. 14. sic Deum precatur, *converte consilium eorum super eos ... & transfer cor illius in odium hostis nostri*. Job. 12. c. *quis ignorat quod omnia hæc Dominus fecerit in cujus manu anima omnis viventis & Spiritus universæ carnis hominis ..... qui immutat cor Principum terræ*. Jeremiæ 31. cap. introducitur populus Dei dicens, *converte me & convertar, quia tu Dominus Deus meus, postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam*. Psal. 118. *inclina cor meum in testimonia tua*. Joan. 6. cap. *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*. Atqui hæc omnia manifeste ostendunt motionem Dei esse per se efficacem non ex eventu, non ex cooperatione voluntatis humanæ; in illo enim systemate adversariorum, qui gratiam non aliter efficacem putant quam ex accedente voluntatis cooperatione, plane non video, quomodo dici possit Deum inclinare & flectere voluntates hominum quocunque voluerit; quandoquidem operatur voluntas prout ipsa voluit, & ad nutum ad id quod voluit; unde quia persæpe noluit, Dei gratiam reddit inefficacem; quapropter a Deo non flectitur, non inclinatur, non vertitur, non immutatur, non trahitur voluntas, sed seipsam flectit, inclinat, vertit, immutat atque trahit.

2. Idem ostenditur ex iis locis in quibus opera nostra omnia vel & ipsum velle dicuntur esse a Deo. Ad Rom. cap. 9. *non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*. Primæ ad Corinth. 12. cap. *Deus qui operatur omnia in omnibus*. Et ad Philipp. cap. 2. *cum metu & tremore vestram salutem operamini, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*. Quæ profecto conciliari non possunt cum systemate gratiæ versatilis, hoc enim præsupposito systemate Deus non præbet nisi leviorem quemdam influxum voluntati humanæ, quo quidem ipsi oblato pro viribus sui liberi arbitrii quandoque agit homo, quandoque non agit; tum Deus in nobis non operatur velle, hoc est actionem voluntatis, sed ipsa voluntas tunc hominis est volentis & currentis; quandoquidem oblatam sibi a Deo gratiam & inspirationem persæpe reddit inefficacem.

Ubi & observatione dignissimum est Apostolum in loco mox citato ad Philippenses dicere, Deum operari in hominibus velle, cum eos hortatur *ut in timore & tremore salutem operentur*. Sed si Deus

ſi Deus non operatur ipſam volitionem & conſenſum per efficacem motionem; ſed immo illum operaretur voluntas humana per vires ſui liberi arbitrii non prædeterminati, jam illius ſalutaris timoris, de quo loquitur Apoſt. nullus relinqueretur locus; poſſet enim quivis dicere ſibi nihil eſſe timendum in negotio ſalutis, quandoquidem Deus illam ſemper & omnibus dat gratiam cui conſentiet quando voluerit; quid vero ſentias de ſyſtemate in quo omnis plane timor ſalutis evertitur?

3. Et id, ſi fieri poteſt, adhuc luculentius evincitur ex illo Apoſtoli teſtimonio primæ ad Corinth. cap. 4. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quibus conſentiunt iſta e c. 1. ſecundæ Epiſt. *qui autem gloriatur, in Domino glorietur*. Et quæ leguntur Epiſtola ad Epheſ. cap. 2. *gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus ne quis glorietur*. Ibi negat Apoſtolus hominem ſe diſcernere, juſtum ſe diſcernere a peccatore: atqui ſi gratia ſufficiens redderetur efficax per conſenſum voluntatis humanæ, tunc homo ſe diſcerneret, juſtus ſe diſcerneret a peccatore: tunc enim unus ſe diſcernit ab alio, cum propria ſua voluntate & nequaquam per gratiam bonum operatur præ alio: atqui hoc in ſyſtemate unus propria ſua voluntate & nequaquam per gratiam bonum operatur præ alio, convertitur potius quam alter: ſiquidem per id unus non convertitur præ alio, quod commune eſt utrique; per id vero convertitur potius quam alter, quod ipſi proprium eſt: atqui hoc in ſyſtemate adverſariorum gratia Dei utrique communis eſt, ſpecialem enim nulli confert Deus; ſola cooperatio, quæ effectus eſt liberi arbitrii, propria eſt cooperantis: ergo in illo ſyſtemate unus habet a ſua voluntate, neutiquam vero a gratia Dei quod convertatur & bonum operetur potius quam alter; adeoque ſe diſcernit. Quapropter ut egregie differit Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. cap. 5. *Poſſet dicere homo inflatus adverſus alterum, Diſcernit me fides mea, juſtitia mea, vel ſi quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor, quid autem habes, inquit, quod non accepiſti? A quo niſi ab illo qui te diſcernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi. Si autem & accepiſti, ait, quid gloriaris quaſi non acceperis? Num quæſo agit aliud, niſi ut qui gloriatur, in Domino glorietur? Nihil autem huic ſenſui tam contrarium eſt quam de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei: ſed gratia quæ bonos diſcernit a malis, non quæ communis eſt bonis & malis*. Gratia porro generalis & verſatilis Molinæ communis eſt bonis & malis, cooperantibus & non cooperantibus; adeoque homo ſe diſcernit per ejuſmodi gratiam, quod ſugillat Auguſtinus cum Apoſtolo.

Neque eſt quod dicatur hunc locum Apoſtoli ſolis adverſari Pelagianis, qui hominem contendebant ſe ſuis propriis operibus ſine gratia diſcernere, qui quidem error longe lateque differt ab opinione adverſariorum, qua poſita homo non poteſt dicere, Me diſcerno a me ipſo propriis viribus; ſed me diſcerno adjutus gratia Dei; ſiquidem vel minimam non putant fieri poſſe actionem bonam ſine gratia Dei adjuvante. Quemadmodum ſi quis in arte ſcribendi rudis & imperitus nonniſi ducente manum præceptore ſcriberet, non poſſet ſine jactantia dicere ſimpliciter ſe hoc vel illud a ſe ipſo ſcripſiſſe, quia tunc innueret ſe ſolum ſcripſiſſe, poſſet tamen dicere ſe cum auxilio præceptoris ſcripſiſſe.

Hæc inquam reſponſio, quæ communis eſt apud adverſarios, merum eſt ſubterfugium; in eorum quippe ſententia

tia certo constat hominem se discernere; tametsi enim justus cum gratia Dei agat, & non a se ipso solo; quia tamen alter non agit, habens æqualem gratiam; necesse est ut dicatur ille per suam voluntatem se discernere, non per gratiam; quia, ut mox dixi, non se discerneit per id quod utrique commune est. Quamobrem ut apposita sit & ad rem adducta comparatio, conferri debet puer qui litteras bene efformat ducente præceptore cum altero puero qui ejusdem ductu præceptoris litteras male efformat, quo posito propria arte & peritia se discernet bene scribens a male scribente.

Neque plus virium habet, quod dicunt adversarii, ideo tantum hominem non posse dicere: me discerno, quia secundarium agens non potest sibi tribuere actionem principalis agentis. Huic enim responsioni viam præcludit Augustinus qui & lib. de civit. Dei cap. 16. & lib. de corrept. & grat. cap. 12. docet hominem potuisse in statu innocentiæ, si perseverasset, gloriari de suis meritis, qui nunc gloriari non potest; quanquam homo in illo statu innocentiæ nonnisi secundarium agens fuisset.

4. In confirmationem hujus doctrinæ merito adduci possunt quæ pro asserenda decretorum divinorum efficacia leguntur in iisdem Scripturis, qualia sunt ista, Esther 13. cap. *non est qui possit tuæ resistere voluntati*. Isayæ 6. *consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*. Ad Rom. cap. 9. *voluntati ejus quis resistit?* Et alia id genus, quæ cum efficaciam decretorum Dei commendent, manifeste supponunt Deum consequenter voluntates hominum motione quadam efficaci applicare ad agendum infallibiliter & ineluctabiliter, quod utique fit per gratiam ex se efficacem.

5. Demum eodem pertinent, quæ ad probandam electionem gratuitam & prædestinationem ante prævisa merita passim inculcant Scripturæ, sic ad Roman. cap. 9. *ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; quia major serviet minori*. Idem Apostolus ad Ephes. 1. cap. *prædestinavit nos in adoptionem filiorum per J. C. in ipsum secundum propositum voluntatis suæ &c.* Quæ quidem & similia prope innumera, quoniam ostendunt Deum efficaciter secundum propositum decrevisse, destinasse salutem electorum, probant Deum idcirco dare illis in tempore gratias per se efficaces; aliter hoc absolutum Dei decretum suo posset carere effectu, quod manifeste implicat.

Probatur 2. ex SS. Patribus, e quibus nonnullos etiam Augustino anteriores lubens citaverim, quanquam ingenue fatear eos non ita clare gratiæ per sese efficacis doctrinam tradidisse, nondum scilicet exorta Pelagianorum hæresi, ut ipse agnoscit August. lib. de. Prædest. SS. cap. 14. his verbis: *Quid igitur opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? Quod proculdubio facerent si respondere talibus cogerentur*.

Primus agmen ducet Clemens Romanus, qui Epistola ad Corinthios non uno in loco favet huic nostræ sententiæ. Num. 8. *volens igitur, omnipotente sua voluntate stabilivit*. Num. 38. *qui carne castus est*, inquit, *ne insolescat, cum sciat alium esse qui continentiæ donum ipsi tribuat*.

Sequitur S. Ignatius qui Epistola ad Smyrnæos sic habet, *dignus factus sum secundum voluntatem Dei non ex conscientia, sed ex gratia Dei quam oro perfectam mihi dari*.

Mox vero S. Irenæus lib. 4. c. 70. *Deus*, inquit, *gratuito quidem donat in quos oportet, secundum autem meri-*

tum dignissime distribuit adversus ingratos justissimus retributor.

Et Tertullianus lib. de Patientia cap. 1. *Nisi quod bonorum quorumdam*, inquit, *sicut & malorum intolerabilis magnitudo est, ut ad capienda & praestanda ea, sola gratia divinae inspirationis operetur. Nam quod maxime bonum, id maxime penes Deum, nec alius id quam qui possidet, dispensat, ut cuique dignatur*. Et lib. de anima cap. 21. fructus pœnitentiae soli Deo tribuit: *hæc erit*, inquit, *vis divinæ gratiæ potentior utique natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem*. Certe in sententia adversariorum libertas nostra non subjacet gratiæ divinæ, sed gratia libertati.

Item & S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, *in nullo*, inquit, *gloriandum, quando nostrum nihil sit, quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris?* Quem locum persæpe in suas partes traxit Augustinus. Lib. de oratione dominica idem docet: *Dicimus*, inquit, *fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quominus quod velit faciat? Sed quia nobis a Diabolo obsistitur, quominus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus & petimus, ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est ope ejus & protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est*. Profecto disertius stabiliri non potest gratiæ ex se efficacis existentia.

Sic & disertissime S. Greg. Nazian. orat. 31. his verbis: *Quoniam nonnulli sunt qui ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis ascribant, nec quidquam creatori & sapientiæ eorum autori, ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, his verbis eos docet Paulus, quod ipsum etiam recte velle divino auxilio indigeat, immo ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa & electio eorum, quæ recta & cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans. Idcirco ait, non volentis, id est non solum volentis, nec currentis solum, sed etiam miserentis Dei. Ita quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure totum Deo assignavit*. Quod idem docet S. Greg Niss. Tract. 1. in Psal. cap. 8. Tract. 2. c. 14. & homil. quinta in Cantica.

His ultro astipulatur vel invitis adversariis S. Chrysostomus, qui non semel efficaciam divinæ gratiæ commendat. Homil. 4. in Genes. gratiam Dei vocat, *donum supra naturam, naturam ipsam vincens*. Homil. 18. in Epist. ad Rom. explicans ista verba Isayæ 65. cap. *palam apparui iis qui me non interrogabant*, hæc scribit: *Attamen non dicit quod ipsi per se Deum attrahere potuerint, sed & eorum qui ex gentibus credebant, fastum dejiciens, ostendensque quod totum gratia sua perfecerit, dicit, Ego palam apparui iis, & ego inventus sum*. Item & fidei initium disertè Deo ascribit ibidem, *accedit fides, inquit, per gratiam attracta*. Et homilia quadam de laudibus S. Pauli, *magnam*, inquit, *virtutis rationem habemus: ita enim & supernam gratiam attrahemus & futura bona consequemur, quæ utinam consequamur gratia & misericordia Domini, &c.*

S. Basilius in Liturgia sic precatur, *dona Domine virtutem ac tutamentum, malos quæsumus bonos facito, bonos in bonitate conserva, omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi, quod enim volueris salvas, & nullus resistit voluntati tuæ*.

S. Ambrosius eleganter id ipsum tradit Epistola 84. ad Demetriadem: *Quis enim*, inquit, *sine auxilio gratiæ fructum potest afferre justitiæ? Aut quis audet dicere se a Christo non dividi, qui Christum in se diffitetur operari;*

an

an forte verendum est, ne liberum tollere videamur arbitrium, cum omnia per quæ propitiatur Deus, ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequaquam esse consequens veritatis ostenditur: operante enim spiritu Dei juvatur arbitrium, non aufertur, & hoc agit gratia ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria .... per opem miserantis medici curata revalescat ... ut ergo misericordiam Dei quæramus, misericordia Dei est qui ait, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero, unde mire per Jeremiam idem Dominus manifestat, quod Dei gratiam nemo præveniat merito suo, sed propter dilectionem qua Deus diligit etiam aversos ad misericordiam trahi, &c.

Jam vero tandem pervenimus ad S. Augustinum, e cujus scriptis innumera prope erui possunt super isto negotio momenta; adeo ut, qui singula vel selectiora ad gratiæ Christi per sese efficacis dogma stabiliendum maxime apposita referre voluerit, integrum plane volumen exscribat necesse sit: hæc pauca e multis promam. Scilicet ait S. Doctor gratiam in voluntates nostras agere *indeclinabiliter* & *insuperabiliter* lib. de corrept. & grat. cap. 12. *subventum est igitur*, inquit, *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur*. Ibidem ait illam invictissime operari. *Infirmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissime nollent.*

Ubi etiam totum gratiæ utriusque status, naturæ nimirum innocentis & naturæ lapsæ discrimen in eo collocat, quod homo in statu naturæ innocentis non habuerit nisi auxilium sine quo, in hoc vero statu naturæ lapsæ requiritur insuper auxilium quo, hoc est gratia per se efficax quæ non modo dat posse perseverare, sed & ipsam dat perseverantiam. *Ipsa adjutoria distinguenda sunt, aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit .... primo itaque homini, qui in eo bono in quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.*

Tum vero docet gratiam a nullo corde respui, lib. de Prædest. SS. c. 8. *Hæc itaque gratia*, inquit, *quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur a nullo corde respuitur; ideo autem tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus auditur & docet ut veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit*. Et in Enchir. cap. 9. *Neque enim*, inquit, *ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus*.

Præterea vim gratiæ in eo sitam esse dicit, quod homines ex nolentibus faciat volentes, sic lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 19. *Trahitur ergo*, inquit, *miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant*. Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 14. *quod prorsus*, inquit, *faceremus inaniter, nisi rectissime crederemus etiam perversas & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere. Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur, ubi dicitur; Hodie si vocem ejus audie-*

audieritis, nolite obdurare corda vestra. Sed nisi posset Deus etiam cordis duritiam auferre, non diceret per Prophetam, Auferam ab eis cor lapideum & dabo eis cor carneum. Et lib. 3. operis imperf. cap. 122. *Necessitatem*, inquit, *si eam dicis, qua quisque invitus opprimitur, justitia nulla est, quia nemo est justus invitus, sed gratia Dei ex nolente volentem facit.*

Denique docet passim ipsas voluntatis actiones esse a Deo qui facit ut velimus & operemur, lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16. *Certum est*, inquit, *nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posuit, præparatur voluntas a Domino de quo dictum est, a Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet, de quo dictum est, Deus qui operatur in vobis & velle. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.* Epistola 217. adductis iisdem Scripturæ locis sic disserit: *Et multa hujusmodi*, inquit, *quibus commendatur vera Dei gratia, hoc est quæ non secundum merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur, quia prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam cujusquam invenit in corde, sed facit.*

Ex quibus sic argumentor: ille admittit gratiam per se efficacem, nec putat omnem Dei gratiam esse de se versatilem quæ nonnisi ab eventu & cooperatione voluntatis humanæ reddatur efficax, qui dicit gratia Dei moveri voluntates insuperabiliter, indeclinabiliter, invictissime; ejus effectus nunquam voluntate creata impediri; per illam homines ex nolentibus fieri volentes; duritiam cordis primitus auferri, ac denique omnem bonam voluntatem nostram esse a Deo, qui facit ut velimus, & faciamus; is enim ab omni penitus ratione & sensu communi alienus sit necesse est, qui tot tantasque dotes alicui gratiæ ad nutum hominis versatili tribuerit: atqui S. Augustinus, &c. ergo.

Atque hæc adeo clara sunt, adeo liquida ad vim gratiæ per sese efficacis demonstrandam, ut singula aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum testimonia hic congerere omnino inutile esse videatur; satis sit ea indicare, quotquot enim exinde de hoc argumento scripserunt, doctrinam S. Augustini amplexi sunt, si nonnullos excipias Scholasticos qui paulo ante Molinæ tempora vixere. Consule igitur S. Prosperum & S. Fulgentium fidelissimos Augustini discipulos, qui hanc ubique sententiam in omnibus suis scriptis tradunt, Petrum Diaconum in Epist. ad Africanos Præsules, qui & ipsi in Sardinia exules S. Fulgentii doctrinam in Epistola Synodica suscipiunt. Autorem operis de vocatione gentium lib. 2. cap. 35. S. Leonem Epist. 6. c. 3. Cælestinum summum Pontificem in Epistola ad Gallos. Hormisdam Epistola decima quinta ad Possessorem. Synodum Arausicanam II. in omnibus fere suis Canonibus. Ac deinde autores pene omnes noni sæculi, qui occasione concertationum quæ de prædestinatione & gratia exortæ sunt, Hincmarum inter & Gotescalchum, gratuitam prædestinationem & gratiam per sese efficacem constanter astruxerunt. Ita Remigius Lugdunensis Episcopus lib. de tenenda Scripturæ veritate. Ratrammus Corbejensis duobus de Prædest. libris. Lupus Servatus in libello de tribus quæstionibus quæst. secunda. Lupus Ferrariensis in Epistola ad Carolum Regem. Prudentius Tricassinus in Epistola ad Hincmarum ac Pardulum in Tractoria.

Quibus accedit quod in postremis temporibus simul ac publicam lucem conspexit liber Molinæ *de concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis*, an. 1588. primum Olissipone typis mandatus, cujus potissima doctrina est quod omnis

Chri-

Christi gratia per sese sit versatilis ad nutum voluntatis humanæ, graves in Hispania turbas concitavit hujusce doctrinæ novitas: teste Thoma Lemos insigni Dominicanæ familiæ Theologo cum multis Episcopis, Academia Salmanticensis hunc Molinæ librum censura notavit.

Præterea Sacra Facultas Lovaniensis anno 1587. eam condemnavit in Lessio doctrinam, qua in salutis negotio quod præcipuum est, homini donat, quod minus Deo, gratiam Dei libero arbit. subjicit ac ejus pedissequam facit, quasi non satis a Pelagio recederet: quod idem præstitit Facultas Duacensis vel acriori censura anno 1588.

Deinde cum super isto negotio graves efferbuissent contentiones Dominicanos inter & Molinæ socios, causam ad se evocavit Clemens VIII. summus Pontifex, cujus de mandato per multos annos tum & regnante Paulo V. Clementis successore habitæ sunt tam celebres & pervulgatæ congregationes *de auxiliis*, in quibus tametsi tandem decreto emisso solemniter proscripta non fuerit Molinæ doctrina, tamen a Romanis censoribus semper damnata est. Quid facturus fuisset Clemens VIII. nisi fuisset morte præventus, conjicere merito possumus ex testimonio Cardinalis Baronii qui hæc scribit in Epistola ad Petrum *de Villars* Archiep. Viennensem: *quod ad Dominum Papam Clementem attinet, hoc ipsi in proposito est, hoc in voto, hoc in decreto, ut nec latum unguem a vestigiis prædecessorum recedat, sed iisdem insistat quam firmissime. Scit plane sanctos tot Pontifices Innocentium, Xistum, Cœlestinum, Hormisdam, ac denique Felicem* (*cujus sunt canones Arausicani Concilii*) *hoc professos suis scriptis esse atque testatos, Romanam Ecclesiam in iis quæ spectant ad gratiam & liberum arbitrium sequi semper consuevisse S. Augustinum*. Adde quod summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. qui Molinæ doctrinam apprime noverant, latas in eum Censuras nunquam improbarunt.

Probatur 3. dari gratiam per sese efficacem ex nonnullis rationibus & momentis quæ maxime fundantur in Scripturis & SS. Patrum oraculis.

Primum momentum sumitur ex orationibus Ecclesiæ, quas nimirum fundere solemus, ut Deus cor nostrum immutet, ut rebelles voluntates nostras trahat ad se, ut ex nolentibus faciat nos volentes, ut non modo voluntatem ad bonum allioiat, si ei id congruum videatur, sed & ipsam bonam voluntatem impertiat; atqui hæc omnia significant aperte gratiam a Deo dari per se efficacem; quod enim orando petimus a Deo, credimus Deum facere posse & facturum speramus. Hoc argumentum passim & ubique usurpat S. Aug. lib. 4. ad Bonifacium cap. 9. *Prorsus non oramus*, inquit, *sed orare nos fingimus, si nos ipsos non illum credimus esse in nostra potestate*. Lib. de natura & gratia cap. 18. *quid stultius*, inquit, *quam orare ut facias, quod habes in tua potestate*. Epist. 217. *nostris orationibus contradicunt ii, qui dicunt vocationi Dei consentire ita nostrum esse, ut si velimus, fiat; si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus*. Quæ eadem urget lib. de gratia Christi c. 25. l. de Prædest. SS. cap. 20. lib. de corrept. & grat. c. 3. ubi, licet agat adversus Pelagianos qui putabant esse in nostra potestate credere & operari sine gratia; tamen luculentum suppeditat nobis argumentum in ista controversia, si enim gratia solum versatilis datur hominibus, profecto in cujusque potestate est reddere illam gratiam efficacem, vel inefficacem, adeoque in mente Augustini stultum erit Deum orare.

Secundum momentum petitur ex incomprehensibilitate istius quæstionis, cur ex duobus hominibus unus bonum fa-

faciat, & alter non faciat. Ea scilicet fuit doctrina S. Pauli a nemine sciri posse, cur unus induretur, alter non induretur; huic enim quæstioni respondet exclamando, *o altitudo divitiarum & scientiæ Dei*, *&c.* cui vehementer assentitur Augustinus innumeris in locis, Tractatu 26. in Joan. *Quare*, inquit, *unum trahat*, *& alium non trahat*, *noli velle judicare si non vis errare*. Et Lib. de spiritu & littera cap. 33. *Si quis me interroget*, inquit, *cur illi ita suadeatur*, *ut persuadeatur*, *illi autem non*; *duo solum occurrunt quæ respondere mihi placeat*, *o altitudo divitiarum*, *& nunquid iniquitas apud Deum*; *cui hæc responsio non placet*, *quærat Augustino doctiores*, *sed caveat ne inveniat præsumptores*. Ita & lib. 1. de peccat. mer. cap. 21. atqui supposita adversariorum doctrina non est amplius recurrendum ad incomprehensibilitatem judiciorum Dei; siquidem ratio apposita, cur unus faciat bonum, alter non faciat, ad solam pertinet voluntatem hominis qui pro viribus liberi arbitrii vult reddere gratiam efficacem: ergo.

Tertium momentum est, quia ea gratia debet admitti, qua posita difficile sit libertatem eum illa conciliare, ut enim ait S. August. lib. de grat. Christi cap. 47. *Ista quæstio*, *ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur*, *ita est ad discernendum difficilis*; *ut quando defenditur liberum arbitrium*, *negari Dei gratia videatur*; *quando autem asseritur Dei gratia*, *liberum arbitrium putetur auferri*, Lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. inquit, *quæ de iis rebus a talibus*, *quales sumus*, *iniri potest*, *quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat*, *ne sic defendamus gratiam ut liberum arbitrium auferre videamur*; *rursus ne liberum sic asseramus arbitrium*, *ut superba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur*. Atque ita sexcenties repetit in suis scriptis hanc quæstionem, quomodo libertas cum gratia conciliari possit, esse difficillimam, paucis intelligibilem, obscurissimam, & alia id genus. Sed istud manifeste probat S. Aug. existimasse gratiam qua bene agimus, esse per se efficacem, nec talem fieri per usum & cooperationem libertatis nostræ; quia nimirum in systemate Molinæ & ejus defensorum facillimum est explicatu, quomodo gratia cum libero arbitrio cohærere possit; gratia enim in hoc systemate expectat, non elicit voluntatis consensum, non agit insuperabiliter, sed sæpius a voluntate superatur; unde gloriabatur ac sibi plaudebat Molina, quod medium feliciter adinvenerat, quo poterat nullo negotio libertas cum gratia conciliari: igitur gratia datur per sese efficax.

Quartum momentum est, quia hæc doctrina Molinæ aut concutit aut penitus evertit immobilem veritatem prædestinationis: prædestinatio enim, quam S. Aug. defendit adversus Pelagianos & Semipelagianos, est præscientia & præparatio beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicunque liberantur, ex lib. de Prædest. SS. cap. 14. quod manifeste significat Deum in Prædestinatione præparare gratias, quibus certissime electi liberantur a massa perditionis; atqui si gratia est efficax non per se & ex propria vi & natura sua, sed per accedentem voluntatis humanæ consensum, nemo per ejusmodi gratiam certissime liberabitur, ad mentem scilicet sancti Augustini qui hanc Dei certitudinem immobilem prædestinationis desumit non ab eventu & cooperatione voluntatis humanæ, sed a voluntate Dei omnipotentissima & a virtute auxiliorum quæ præparavit electis, quia in illo systemate fundabitur hæc divina electio in re omnino contingenti & indeterminata, videlicet in volitione libera voluntatis humanæ; igitur vix conciliari potest Molinæ sententia de Gratiæ divinæ efficacia cum aliorum Theologorum doctrina, qui putant post S. Aug. præ-

prædestinationem esse præparationem beneficiorum Dei quibus certissime liberantur quicunque liberantur.

Quintum momentum petitur ex natura ipsa gratiæ efficacis recte intellecta; scilicet gratia efficax sic dicitur quod suum semper obtinet effectum; per eam non solum homo potest operari sed & actu operatur; unde hujus gratiæ naturam sic explicare est, ut ejusdem usus & operatio ex vi ipsi gratiæ innata & intrinseca repetatur: atque nisi gratia dicatur per se & ex natura sua efficax, si vero ab eventu & cooperatione voluntatis humanæ suam ducat efficaciam, jam gratiæ usus non ex vi ipsius gratiæ orietur; contra vero si sui ipsius usum tribueret, jam ipsa propria vi & efficacia voluntatem applicaret ad agendum; ut docet sanctus Thomas 1. 2. quæst. 16. cum propriam usus rationem explicat: *dicendum*, inquit, *quod usus rei alicujus importat applicationem rei illius ad aliquam operationem: Unde & operatio ad quam applicamus rem aliquam dicitur usus ejus, sicut equitare est usus equi; & percutere est usus baculi:* Necesse est igitur usum & operationem gratiæ divinæ ex vi ipsius gratiæ propria oriri; quatenus nimirum gratia homini data primitus efficit ut ipsa homo bene utatur; importans applicationem voluntatis ad eos omnes actus producendos quos sine gratia elicere non potest: Præterquamquod Gratia divina per eam quæ ipsi propria est operationem sibi subjicit voluntatem; non autem voluntas gratiam; quo fit ut gratiæ usus & operatio oriatur ex vi ipsius gratiæ intrinseca; adeoque gratia per se & ab intrinseco sit efficax; non ab eventu & cooperatione voluntatis humanæ.

Sextum denique momentum desumitur ex eo quod easdem plane objectiones, quas adversus gratiam per se efficacem nunc proponunt Molinæ defensores, obtrudere solebant Semipelagiani adversus illam gratiam quam propugnabat S. August. Siquidem objiciebant Massilienses in sententia Augustini, qua docebat uni potius quam alteri gratiam impertiri secundum propositum Dei, quæ quidem gratia insuperabiliter voluntates humanas ad bonum inclinat, & qua sublata justo Dei judicio fit, ut nemo boni quidquam operetur; objiciebant inquam ex illo duriori, ut aiebant, systemate fatalem quandam induci necessitatem; tolli libertatem arbitrii; afferri desperationem; induci socordiam, torporem, & ignaviam; studium virtutis retundi; incitari homines ad licentiam & dissolutionem vitæ; laudem detrahi operibus bonis; orationes refrigescere & extingui; exhortationes & correptiones languescere & auferri, aliaque id genus, ut constat ex duabus Epistolis Prosperi & Hilarii ad S. Aug. Nemo autem nescit easdem plane objectiones etiamnum ab adversariis summo conatu proponi adversus gratiam per se efficacem; ut mox patebit ex objectionibus. Ex iis porro manifeste colligitur S. August. propugnasse passim in suis scriptis gratiam per se efficacem; neque enim verisimile est ullam ex præfatis difficultatibus propositam fuisse a Semipelagianis adversus gratiam versatilem, quæ quidem, quoniam omnibus æqualiter datur qui pro nutu possunt reddere efficacem vel inefficacem, non tollit libertatem arbitrii, neminem inducit in socordiam, nemini affert desperationem, &c.

Cæterum, ut jampridem in casu prope simili monuimus, hanc nostram sententiam de gratia per se efficaci probatam nolumus ex aliis nonnullis momentis quæ in præsenti materia usurpare solent Thomistæ. 1. enim, inquiunt, id exigit perfectum & absolutum dominium Dei, ut causæ primæ in omnes & singulos actus causæ secundæ, quod quidem dominium minime servaretur, nisi Deus efficaci & ineluctabili motione flecte-

flecteret voluntates nostras. 2. Et illud ipsum postulat summa creaturæ a Deo dependentia, qua fit, ut non sufficiat voluntati creatæ ad agendum concursus simultaneus, quo posito facultatem quivis habet se determinandi ad quodcunque voluerit. 3. Quia, inquiunt illi, modus ille concurrendi cum sola intentione generali agendi quod volet creatura, est cœcus, ignarus, imprudens, vagus, potentialis & confusus, facitque Deum similem piscatoribus qui mittunt rete in mare, exitum & eventum suæ piscationis nescientes, adeoque non parum derogat divinæ providentiæ, quæ omnia certo attingere debet non per decretum indifferens, sed per certum & efficax.

Hæc, inquam, & similia momenta non usurpamus in præsenti controversia ad demonstrandam vim gratiæ divinæ per se efficacis; quia revera ex iisdem momentis colligeretur necessariam fuisse gratiam efficacem in quocunque statu, vel etiam in statu naturæ innocentis, quod falsum esse dicebamus initio hujusce Tractatus. Quamobrem pro solo statu naturæ lapsæ dari gratiam efficacem quæ medicinalis est, supponens morbum seu peccatum, in præsenti controversia cum S. August. pertendimus; qui vero tandem fieri potuerit, ut ab ista sancti Doctoris sententia tam longe lateque discesserint Thomistæ, plane non video.

Solvuntur objectiones.

OBjicies: Constat ex innumeris Scripturæ sacræ locis, gratiæ Dei persæpe resistere voluntatem humanam. Proverb. cap. 1. *Quia vocavi & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret*. Math. 20. *multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. Joan. 15. cap. *si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Actorum cap. 7. *dura cervice & incircuncisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis*. Secundæ ad Corinth. 6. cap. *adjuvantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Apocal. 3. cap. *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit januam, intrabo ad illum*. Ex quibus sic argumentor: ex iis locis ejusmodi est gratia Dei, ut ei voluntas humana resistat, eaque semper suum non habeat effectum: atqui gratia cui voluntas humana resistit, non est per sese efficax, sed suam ab eventu & consensu voluntatis accipit efficaciam: ergo Dei gratia non est per se efficax.

Dist. maj. ut ei voluntas humana resistat aliquando, C. semper & absolute loquendo, N. hæc igitur & similia Scripturæ loca id unum probant, præter gratias efficaces quæ suum infallibiliter obtinent effectum, dari illud gratiæ genus quod dicitur sufficiens cui voluntas humana resistit, & quæ suum proinde non consequitur effectum; sed ex iis neutiquam colligi debet aliam non esse gratiam per se efficacem, cujus tanta sit vis & potentia, ut voluntatem indeclinabiliter & insuperabiliter flectat quocunque voluerit, *non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere*, inquit Apostolus.

Instabis: Ille gratiam de sufficienti reddit efficacem, qui suam habet in sua potestate conversionem: atqui constat ex nonnullis Scripturæ locis hominem in sua potestate suam habere conversionem; ubi nempe hominibus promittit Deus fore ut, si ad illum convertantur, ipse ad eos convertetur, Zachariæ 1. cap. *convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos*. Ezechiel. cap. 33. *convertimini a viis vestris pessimis*. Quasi dicatur per gratiam sufficientem pulsare & excitare corda hominum, qui per liberum consensum

suum

suum reddunt vocationem illam efficacem, adeoque plenam faciunt conversionem.

Disting. min. in sua potestate suam habere conversionem, quam actu operetur per gratiam efficacem, C. per solam gratiam sufficientem cum liberi arbitrii consensu conjunctam, N. scilicet, ut docet Concil. Trid. sessione *6.* c. 5. *in sacris litteris cum dicitur Convertimini ad me & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus, Converte nos Domine ad te & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur*. Sed ejusmodi loca neutiquam probant conversionem hominis esse a voluntate per gratiam solummodo sufficientem adjuta; quod quidem nec leviter innuunt. Id porro potiori cum jure videntur objecisse Semipelagiani, quasi liquido constaret ex his verbis *convertimini ad me*, *convertimini a viis vestris;* hominem in potestate sua habere sine gratia initium suæ conversionis: verum abunde, ut puto, huic objectioni fecimus satis.

Objicies ea Scripturæ testimonia in quibus profitemur Deum se nihil amplius pro Judæis facere potuisse quam quod fecerat; quasi dixisset se nullum majus beneficium dare ipsis potuisse, nullam gratiam, Isaiæ 5. cap. *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci, an quod expectavi ut faceret uvas & fecit labruscas?* Atqui hoc manifeste falsum esset, si gratia per se efficax necessaria foret ad quodcunque bonum opus, hæc enim non datur omnibus: igitur non datur gratia per se efficax.

Nego min. tot enim beneficia Judæis contulerat Deus, sive per miracula quæ operatus fuerat, sive per Prophetas quos ipsis miserat, ut videns eorum indurationem, *Jerusalem, Jerusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt*, inquit Christus Matth. 23. merito dixerit se nihil potuisse facere quod non fecerit. Quid etenim ejusmodi querelis peccatorum in hoc nostro de gratia efficaci systemate, sit respondendum; mox videbitur.

Objicies hunc celeberrimum Scripturæ locum e cap. 11. S. Mathæi depromptum, ubi Christus Dominus nonnullis civitatibus exprobrat, quod non egissent pœnitentiam: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*. Ex quo loco sic argumentum conficitur, idem sit judicium de quolibet bono pietatis opere ac de pœnitentia Sidoniorum; sed gratia cum qua Sidonii pœnitentiam egissent, si nimirum eis data fuisset, non erat gratia per se efficax. Siquidem Bethsaiditæ & Corozaitæ dubio procul non habuerunt gratiam efficacem, quandoquidem revera pœnitentiam non egerunt: sed gratia cum qua Tyrii & Sidonii pœnitentiam egissent, eadem erat gratia quæ revera concessa fuerat Corozaitis & Bethsaiditis; nam eo loci Christus redarguit Corozaitas adhibita comparatione ad Tyrios, quod pœnitentiam non egerint cum ea gratia, quæ si Tyriis & Sidoniis data fuisset, egissent illi pœnitentiam: sed dubio procul justa non est hæc reprehensio, nisi par omnino sit comparatio, nisi par & æqualis supponatur pro utrisque gratia. Corozaitæ enim potuissent reponere idcirco se pœnitentiam non egisse, quod non acceperant gratiam quæ Tyriis & Sidoniis concessa fuisset, nempe gratiam efficacem: igitur gratia per se efficax non est ad quodlibet bonum pietatis opus necessaria.

Nego min. & dico gratiam cum qua Tyrii & Sidonii pœnitentiam egissent, fuisse gratiam ex se efficacem, quanquam Corozaitæ & Bethsaiditæ ejusmodi gratiam per se efficacem non habuerint. Neque vero, ut justa fuerit ea reprehensio qua Christus Dominus im-

pœnitentiæ redarguit Corozaitas, necesse est parem fuisse & æqualem ex omni parte gratiam quæ data fuit Corozaitis cum ea quam dedisset Tyriis & Sidoniis, satis est, inquiunt multi Theologi, quod par & æqualis fuerit gratia quantum ad potentiam se convertendi remotam & separatam ab actu, non autem quantum ad potentiam proximam & cum actu conjunctam. Scilicet, inquiunt illi, Corozaitis oblata fuit gratia qua remote poterant se convertere, in quantum per eam poterant impetrare uberius Dei auxilium, quam tamen gratiam rejecerunt. Contra vero Tyrii & Sidonii primam illam gratiam non rejecissent, quia proxime fuissent ad fidem Christi adducti.

Huic eidem Scripturæ testimonio in alia prope simili causa objecto aliter respondemus in tractatu nostro de Attributis divinis, ubi de scientia Dei.

Objicies: illud systema non est admittendum, ex quo manifeste sequitur absurdas fore exhortationes quibus homines incitantur ad bonum; tum vero exprobationes & correptiones quibus interdum onerantur & a Deo & ab aliis hominibus, quod recte non vivant: atqui nisi gratia sit efficax ab ipso consensu humanæ voluntatis, ejuscemodi exprobrationes, correptiones, exhortationes sunt penitus absurdæ. Is enim juste & legitime non corripitur, quod bonum aliquod opus non fecerit, cui non suppetunt omnia ad illud bonum opus peragendum necessaria: atqui in systematæ gratiæ per se efficacis, homini qui bonum aliquod non operatur, qui mandatum Dei non servat, qui tentationi succumbit, non suppetunt omnia ad agendum necessaria, puta gratia efficax quæ sola dat velle & operari, & cujus ope, si data fuisset, certo & infallibiliter bonum operatus fuisset: ergo in systemate gratiæ per se efficacis, & nisi gratia sit efficax ab ipso consensu humanæ voluntatis, exhortationes & correptiones sunt plane inutiles & absurdæ.

Respondeo 1. hoc argumentum quod passim legitur apud recentiores Molinam, Lessium, Suarez & Vasquezium, cum scribunt adversus prædestinationem gratuitam & gratiam per sese efficacem, meram esse querelam Massiliensium adversus eandem gratiæ efficaciam uni potius quam alteri ex Dei proposito datam insurgentium; sic enim loquuntur apud Hilarium in Epistola ad S. Augustinum. *Nam si sic prædestinati sunt ad utramque partem, ut de aliis ad alios multis possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia?* Tum apud Prosperum, *nec acquiescunt*, inquit, *prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui, ne locum apud Infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant*. Quod idem aperte significat S. Augustinus cum Massiliensium doctrinam sibi refutandam proponit lib. de Dono persev. cap. 15. his verbis: *Sed ajunt, ut scribis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis, ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel accepta perseverantia maneatis in fide; cæteri vero qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum adjutorium gratiæ miserantis erexit*.

Fuit & istud argumenti genus propositum Augustino ab Monachis Adrumetinis, eorumque Abbate Valentino; ut refertur in libro de Corrept. & Grat. cap. 4. sic enim loquuntur: *Præcipe mihi quid faciam, & si fecero, age pro me gratias Deo qui mihi ut facerem dedit: si autem non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus est, ut det quod non dedit, id est ipsam, qua præcepta ejus fiunt, fidelem Dei & proximi caritatem. Ora ergo pro me ut hanc*

acci-

accipiam, & per hanc ex animo cum bona voluntate quæ præcipit, faciam. Recte autem corriperer, si eam mea culpa non haberem, hoc est, si eam possem mihi dare vel sumere ipse nec facerem, vel si dante illo ego accipere noluissem. Cum vero & ipsa voluntas a Domino præparetur, cur me corripis, quia vides me ejus præcepta facere nolle, & non potius ipsum rogas, ut in me operetur & velle? Quæ ipsissima est objectio adversariorum.

Ad idem porro disputationis caput aliæ nonnullæ merito revocantur Massiliensium & Molinistarum querelæ adversus gratiæ divinæ vim & efficaciam, ut cum dicunt ex hoc nostro systemate manifeste colligi studium omne virtutis retundi; orationes refrigescere aut extingui; laudem detrahi operibus bonis, sollicitudinem ac zelum animarum penitus evelli, & alia id genus; quæ, quoniam eandem plane continent difficultatem, eadem similiter solventur responsione.

Respondeo itaque negando min. ad cujus probationem dist. maj. cui non suppetunt omnia ad agendum necessaria, sine ulla ex parte sui culpa, C. ob aliquam ex parte sui culpam, N. Is igitur qui non servat mandata & qui tentationibus succumbit, non est ideo excusabilis, sed immo reus est & merito corripiendus, tametsi ea caruerit gratia quæ vel ad servanda mandata vel ad superandas tentationes necessaria est, & quam Deus impertitur pro nutu, cui vult, & quando vult, sine ullo ex parte suscipientis merito; quia nempe ex culpa ipsius hominis vel actuali vel originali profectum est, quod illa gratia per se efficaci ad recte agendum necessaria caruerit. Et ratio est quia hominem rectum primitus fecerat Deus, ita ut speciali & efficaci auxilio non indigeret ad perseverandum & recte agendum in illo felici statu, in quo nempe præsto habebat semper & in sua potestate auxilium quo poterat per liberum arbitrium perseverare; sed cum mala sua voluntate lapsus fuerit homo, factus est exinde pravus; tum ita labefactatum est ejus liberum arbitrium, ut nec vel minimum bonum opus faciat sine gratia per se efficaci, quæ cum necessaria sit ad vincendam pravitatem illam & concupiscentiam, quæ malæ voluntatis effectus est; manifeste sequitur ejusmodi gratiam immerentibus dari quibus datur, eamque nonnisi propter aliquam culpam denegari, quibus denegatur.

Hæc responsio, quæ fundatissima est in præsenti controversia, aperte legitur apud sanctum Augustinum præfatæ objectioni, quam in simili casu proponebant Monachi Adrumetini, respondentem lib. de Corrept. & Grat. cap. 6. *Nec attendunt, inquit, si nondum regenerati sunt, primam esse causam, cur objurgati, quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas qua Deo non obeditur ab homine est, quia ex rectitudine in qua eum Deum primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. An vero ideo pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria qui corripitur, sed communis est omnibus? Immo vero corripiatur & in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cujusquam non est, quod ea nullus immunis est ..... si autem jam regeneratus & justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere, Non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio. Qui si correptione compunctus salubriter ingemit, & ad similia bona opera vel etiam meliora revertitur: nempe hic apertissime utilitas correptionis apparet. Sed per hominem correptio sive ex caritate sit, sive non sit, tamen ut correptio prosit, nonnisi per Deum fit. An adhuc & iste nolens corripi potest dicere, quid ego feci,*

ci, qui non accepi; quem constat accepisse & sua culpa quod acceperat amisisse? Idem colligitur ex Epistola 194. quæ est ad Sixtum: *excusabant se homines*, inquit, *qui volunt recte & fideliter vivere, dicentes, Quid nos fecimus qui male vivimus, quandoquidem gratiam unde viveremus non accepimus?* Cui objectioni sic respondet, *non possunt veraciter dicere nihil mali se facere, qui male vivunt; sic enim nihil mali faciunt, bene vivunt; si autem male vivunt*, de *suo male vivunt*, *vel quod originale traxerunt*, *vel quod insuper addiderunt*.

In hunc sensum id intellexit S. Thomas, qui 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. sic habet: *Ad primum ergo dicendum quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante, sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium, quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur, ex justitia non datur in pœnam præcedentis aut saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit in libro de correptione & gratia*. Porro si in culpam hominum refundi merito potest, quod gratia efficaci careant, jam nulla superest in objectione difficultas: ii enim sunt omnino inexcusabiles, sed merito corripiendi quod recte non vivant.

Quibus adde præfatam objectionem proinde militare contra mitiores Molinæ defensores qui gratiam congruam admittunt, in isto enim systemate ex mera Dei benevolentia fit, ut uni potius quam alteri gratiam conferat in his potius quam illis circumstantiis; unde non omni excusatione carebunt improbi, qui dicent sibi datam non fuisse a Deo gratiam congruam, quæ moraliter loquendo suum semper consequitur effectum.

Si quis vero ulterius pertendat duriorem esse hunc providentiæ divinæ ordinem, quo nempe gratia efficaci ad bene agendum absolute necessaria plerique privantur homines. Respondeo cum sancto Augustino hujus argumenti vires penitus retundi ex parvulorum exemplo. *Verum isti*, inquit Epistola 194. *qui personarum acceptorem fieri existimant Deum, si in una eademque causa super alios veniat misericordia ejus, super alios vero maneat ira ejus, nempe totas vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt .... quam quæso allaturi sunt causam, quod alius sic gubernatur ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium priusquam ab eis baptizandus*.

Huic porro objectioni, quam fateor in hac materia solutu perdifficilem, fusius respondebitur infra, cum gratiæ sufficientis existentiam asseremus; ibi nempe validissimis momentis ostendetur homini ob ipsius culpam denegari a Deo gratiam efficacem, idque provenire ex eo quod gratiæ sufficienti resistit.

Objicies: illud systema non est admittendum, quod homines in desperationem suæ salutis adducit, quod alios incitat ad licentiam ac dissolutionem vitæ, alios in socordiam & torporem, in omnibus vero studium virtutis retundit: his enim positis tota penitus corrueret Moralis Christiana: atqui systema gratiæ per se efficacis quæ ex solo Dei proposito datur sine ullo ex parte hominis merito, homines in desperationem suæ salutis adducit; alios incitat ad licentiam ac dissolutionem vitæ; alios in socordiam & torporem, in omnibus vero studium virtutis retundit: siquidem posito hoc systemate poterit quivis sic ratiocinari: Vel Deus mihi dabit gratiam per se efficacem ad perseverandum aut resurgendum a peccato, vel non dabit; unum enim aut alterum absoluto, inflexibili & plus quam adamantino decreto sancitum est; si Deus mihi daturus est gratiam per se efficacem

cem quæ insuperabiliter & invincibiliter suum consequetur effectum, certo certius perseverabo, vel resurgam a peccato: si gratiam daturus non est, nihil boni agere possum aut certe non agam; aliunde vero ejuscemodi gratia non datur conantibus, laborantibus, volentibus, quia vel primi conatus sunt effectus gratiæ: ergo manifestum est inutilem prorsus superfluum esse omnem laborem; tum vero me nulla incuria damnandum, nulla diligentia salvandum; non possum enim spem firmam & rationabilem ponere in eo auxilio, quod neque præparatur, neque datur vel merentibus vel mereri conantibus; quoquo modo me geram idem plane erit.

Respondeo 1. istas similiter Recentiorum querelas præcedenti non parum affines, easdem plane propositas fuisse olim a Semipelagianis, quibus etiam gratiæ divinæ vis & efficacia valde displicebant, sic enim ajebant apud Prosperum in Epistola ad S. Augustinum, *& lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem temporis adferre, eo quod ex utraque parte superfluus esset labor, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere; quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos quam Deus definivit accidere.... removeri itaque omnem industriam, tollique Dei virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates*. Hinc adversus istam solemnem S. Augustini doctrinam, qua dicebat judicio Dei occulto gratiam uni dari & alteri negari, ita scribit Faustus libro 1. cap. 3. *Nunc veniendum est ad illos, qui cum gratiam aliis dari, aliis negari asserunt, gratiæ manus cum Pelagio perdiderunt*. Et cap. 11. *quomodo mihi dicitur, Declina a malo, & fac bonum, si jam malum declinare non possum?* per istius scilicet gratiæ efficacis subtractionem.

Respondeo 2. istud argumentum hic nobis proponi non posse a Molinæ defensoribus adversus gratiam per se efficacem, aut electionem gratuitam; quia nempe idem pari prorsus modo ad auferendam omnem salutis spem & sollicitudinem de præscientia Dei quam negare non possunt, facile retorquetur; sic enim cuivis argumentari licet: Vel sum de illorum numero quos prævidit Deus cooperaturos gratiæ sufficienti quam Deus unicuique liberaliter impertitur in fine vitæ, vel non sum; si ex illorum numero sum, profecto possum per totam vitam genio indulgere, nulla enim segnitie aut dissolutione fiet, ut Deus mihi hanc gratiam deneget, & certo ipsi cooperaturus sum; unde quid sollicitus sim, nihil omnino necesse est; si ex illorum numero non sum, nulla sollicitudine efficiam, ut in illo sim, adeoque nihil restat nisi desperatio: quod quidem dilemma similiter his Theologis est dissolvendum.

Hic porro respondendi modus tantum habet virium ad solvendam præfatam objectionem, ut eo usus fuerit in simili casu S. Augustinus, Semipelagianis respondens lib. de Dono persev. cap. 15. *Nunquid enim*, inquit, *si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque vertantur, & a labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos futuros esse præscivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur?* Et cap. 22. *illo autem modo*, inquit, *quo id dicendum putant, eadem sententia eisdem pene verbis etiam de præscientia Dei, quam certe negare non possunt, pronuntiari potest; ut dicatur, & si qui obeditis, si præsciti estis rejiciendi, obedire cessabitis; nempe hoc verissimum est, ita sane*.

Respondeo 3. negando min. & dico unumquemque de sua salute sollicitum esse debere; tametsi nullum bonum opus agat

agat sine gratia per se efficaci; quia certissimum est neminem hanc suam salutem reipsa consecuturum sine sollicitudine & bonis operibus, *sicut ille*, inquit S. Augustinus libri mox citati c. 17. *quem castum futurum esse præscivit*, Deus, *quamvis id incertum habeat, agit ut castus sit; ita ille quem castum futurum prædestinavit, quamvis id incertum habeat, agit ut castus sit, ita ille quem castum futurum prædestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit ut castus sit*. Quia nempe non fieret id quod vel efficacibus suis decretis præordinavit Deus, nisi quoque studium, laborem & bona opera tanquam media adhiberet homo, sicuti non fieret id quod Deus præscivit esse futurum, nisi adhiberentur ea media, per quæ id futurum esse præscivit. Unde sapienter nos monet divus Petrus, ut in illa incertitudine positi per bona opera certam faciamus vocationem nostram. *Satagite*, inquit, Epist. secundæ cap. 1. *ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Eleganter vero autor operis de vocatione gentium lib. 2. cap. 36. *Quamvis*, inquit, *quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii devotio relaxatur; cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum; & qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur*.

Et certe, ut jam alibi observavimus, in negotio salutis æternæ homo non minori cum prudentia se gerere debet, quam ubi de negotiis sæcularibus agitur: atqui licet de fine & eventu negotiorum sæcularium incertus sit, ea tamen summo cum studio ac sollicitudine gerit; tametsi v. g. cum ægrotus est, optime sciat Deum decrevisse aut ejus prosperam valetudinem aut mortem certo venturam, ad remedia tamen & medicos confugit, quorum ope possit vitæ suæ consulere; igitur in hoc salutis negotio, quod unum necessarium est, nemo sapiens de sua æterna salute desperabit, qui contra spem omnem suam in Deo collocare debet.

Objicies: ea gratia admitti non debet quæ liberum hominis arbitrium penitus evertit: atqui gratia per se efficax, cujus tanta est potentia & vis, ut semper & insuperabiliter suum habeat effectum, hominis liberum arbitrium penitus evertit: igitur gratia per se efficax admitti non debet.

Respondeo 1. hanc fuisse summam doctrinæ Pelagianorum, ut eo nomine nullam actionis & voluntatis gratiam agnoscerent, quod per eam evertatur liberum hominis arbitrium; si enim illos ratiocinantes inducit S. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, *Frustra dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit. Destruitur enim voluntas quæ alterius ope indiget, sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero*.

Idem quoque opinabantur Monachi Adrumetini, ut testatur S. Augustinus lib. de grat. & lib. arbit. cap. 1. *Sed quoniam*, inquit, *sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium; aut quando gratia defenditur negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere ad vestram caritatem, Valentine frater*.

Quæ demum eadem fuit Massiliensium querela apud Prosperum in Epistola ad S. Augustinum his verbis, *patefacias deinde quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium*. Quia nempe istud non intelligebant Massilienses de quibus loquitur; & qui gratuitam electorum prædestinationem vocare solebant fatalem legem, fatale decretum.

Ne-

Nego min. per illam enim motionem non subvertitur liberum hominis arbitrium, per quam ita movetur & determinatur voluntas ad bonum agendum, ut libere, nec necessario velit ipsa facere bonum, ad quod determinata est: atqui per gratiam Dei licet per se & ab intrinseco efficacem, humana voluntas ita movetur & determinatur ad bonum agendum, ut ipsa non necessitetur ad volendum, sed ipsa libere velit illud facere bonum ad quod determinata est per gratiam. Quod argumenti genus extat passim in scriptis S. Augustini, cum respondet objectionibus Pelagianorum; sic lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 18. hanc Juliani objectionem solvit: *ad hæc respondemus*, inquit, *homines esse opus Dei .... nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi; sed deserente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante sine meritis converti ad bonum. Non enim est homo bonus si nolit, sed gratia Dei etiam ad hoc adjuvatur ut velit; quoniam non inaniter scriptum est, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari bona voluntate, & præparatur voluntas a Domino*. Et cap. 19. *quis trahitur si jam volebat? & tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant*. Legendus est super ea re liber de gratia & libero arbitrio quem dedita opera scribit sanctus Doctor, ut gratiæ cum libero arbitrio concordiam ostenderet; quam porro conciliandi rationem ex eo petit, quod per gratiam volumus, quod gratia dat velle, quod nemo agit nolens, quando bonum operatur, cum voluntas sit a Deo, qui bonam voluntatem præparat, malamque mutat in bonam.

Eximium est insuper in hujus rei explicationem quod idem sanctus Doctor scribit lib. 2. contra Petilianum c. 84. ubi sic illum Donatistam alloquitur, *si tibi proponam quæstionem quomodo Deus Pater attrahat ad filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortasse eam difficile soluturus es; quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis quod voluerit eligat. Et tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent. Si ergo fieri potest, ut quos in libero dimisit arbitrio, attrahat tamen ad filium pater, sic fieri potest, ut ea quæ legum coercitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium*. Cum ergo dicit Augustinus idcirco non tolli liberum arbitrium per gratiam, quia per eam fit ut velimus, id intelligit de voluntate plane libera & indifferenti quæ non modo coactioni sed & omni necessitati oppositam sæpe docet; quanquam verum sit aliunde, ut confitetur S. Augustinus, istam gratiæ divinæ trahentis cum libertate concordiam esse captu difficillimam.

Instabis; ea motio tollit libertatem qua posita homo non potest dissentire: atqui posita gratia efficaci ad consentiendum, homo non potest dissentire: ergo motio gratiæ efficacis tollit libertatem.

Dist. min. homo non potest dissentire in sensu composito, C. in sensu diviso, N. tum vero subdistinguo in sensu composito actuum, C. in sensu composito potentiarum, N. igitur qui per gratiam efficacem movetur ad unum, non potest quidem moveri simul ad aliud oppositum, quasi conjungantur simul duo actus oppositi, puta assensus & dissensus, id enim manifeste repugnat; sed qui movetur ad assensum potest dissentire in sensu composito potentiarum, quia in eodem remanet potentia ad dissensum, actus enim non destruit sed perficit potentiam; unde cum actuali assensu stat potentia ad dissensum; quemadmodum cum homo loquitur, non tacet

tacet sed tacere potest. Porro ut certo judicetur, an ablata sit libertas in aliquo agente, cum ab alio movetur & determinatur ad agendum; an, cum determinatur ad assensum, remaneat potestas ad dissensum; spectari potissimum debet ad modum quo facta est motio & determinatio; nec inferri debet illo agente eversam fuisse libertatem præcise, quia ejuscemodi motio semper & infallibiliter suum consequitur effectum. Jam vero Deus per gratiam efficacem insuperabiliter quidem & invictissime movet hominum voluntates, sed modo quodam suavissimo, non applicando eas physice, ut mox ostendemus, sed moraliter eas alliciendo. Et ratio est a priori, quia Deus determinat unumquodque agens ad actum juxta suum agendi modum, ita ut faciat ut causæ necessariæ necessario, & liberæ agant cum suæ libertatis exercitio.

Instabis: ille non remanet liber qui non remanet indifferens: essentia enim libertatis consistit in indifferentia: atqui homo præmotus per gratiam efficacem ad agendum, non est indifferens ad non agendum; non potest non agere; aliter gratia efficax suum non haberet effectum, quod implicat: ergo.

Neg. min. & dico hominem præmotum per gratiam ad agendum posse non agere si velit, & remanere indifferentem ad non agendum ea scilicet indifferentia quæ nulla violatur necessitate etiam simplici: Deus enim, ut mox a nobis dictum est, ita movet voluntatem humanam, ut faciat illam velle libere & indifferenter, illam consentire, miro quidem modo sed tamen vero. In hac porro occasione idcirco tantum hallucinantur adversarii, quo putent per eam motionem everti liberum arbitrium, quæ semper & infallibiliter suum habeat effectum; quod falsum est; fieri enim potest ut quivis homo amicum suum efficaciter & insuperabiliter ducat vel trahat ad id quod voluerit illæsa ejus libertate, si nempe cum delectatione eum excitet atque compellat; quanto vero efficacius id poterit Deus, qui intimos cordis humani sensus novit?

Objicies: ea sententia non debet admitti quæ non videtur satis consistere posse cum sincera Dei voluntate salvandi omnes homines, neque cum illo amore & illa cura, qua omnes ad salutem excitat: atqui sententia quæ docet gratiam esse per se efficacem & uni dari non alteri, profecto satis consistere non potest cum sincera Dei voluntate salvandi omnes homines, neque cum illo amore & benevolentia qua omnes & singulos homines ad salutem suam excitat: ergo.

Respondeo 1. hanc fuisse etiam decantatissimam Semipelagianorum querimoniam adversus doctrinam sancti Augustini de gratia & electione gratuita, ut aperte indicat octava objectio Gallorum apud Prosperum, & ipse testatur in Epistola ad Rufinum his verbis, *ubi est illud quod nobis contrarium a non intelligentibus semper opponitur, quod Deus omnes homines velit salvos fieri*.

Respondeo 2. negando min. & dico nullo negotio conciliari hanc nostram sententiam de gratia per se efficaci cum sincera Dei voluntate salvandi omnes homines, si duplicem in Deo admittamus voluntatem; nimirum antecedentem & consequentem. Voluntas antecedens ea est qua Deus vult aliquid nulla habita ratione circumstantiarum, qua voluntate dicimus illum velle omnes homines salvos fieri; consequens est ea qua Deus vult aliquid cum suis omnibus circunstantiis, qua voluntate vult quosdam tantum præ aliis salvare. Revera ex nostra sententia sequitur non esse in Deo voluntatem consequentem salvandi omnes homines, non enim omnes revera salvantur; sed non ideo rejicimus omnem aliam voluntatem, quin imo veram & sinceram antecedentem admittimus; in quantum Deus

qui

qui hominem ab initio rectum condiderat cum plena omnium salvandorum voluntate, hanc semper eandem quantum est ex sese conservat, considerans hominem quatenus homo est & suum proprium opus immo & eam conservat etiam post peccatum originale prævisum; licet habita ratione circumstantiarum, & videns homines per peccatum Adæ in massa perditionis constitutos, & illos insuper in impœnitentia finali morituros, nonnisi quosdam voluntate consequenti salvare velit: hæc fusius infra discutientur, ubi de voluntate Dei salvandi omnes homines longe uberius tractabitur.

Objicies nonnulla sancti Augustini testimonia, ac primo id quod habet lib. de Spiritu & littera cap. 23. *Cum ergo*, inquit, *fides in potestate sit, quoniam cum vult quisque credit, & cum credit, volens credit*. Et cap. 34. *nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est*. Ex quibus sic argumentor, ait S. Augustinus, hominem credere cum vult, & in potestate hominis esse consentire vel dissentire: ergo existimabat gratiam Dei ex eventu & consensu voluntatis humanæ reddi efficacem.

Dist. ant. consentire vel dissentire per gratiam efficacem ipsius consensus vel dissensus, C. per gratiam mere sufficientem, versatilem, & libero arbitrio subjectam, N. scilicet id unum eo loci docet Augustinus liberum hominis arbitrium suas habere partes in actu fidei, quamvis fides recte dicatur donum Dei; quia qui credit, volens credit, in sua potestate habet credere vel non credere; quod sane non impedit, quominus ipsum credere sit a Deo per gratiam efficacem, ut observat ibidem sanctus Doctor his verbis: *Quæ res non solum non infirmat quod dictum est, quid enim habes quod non accepisti? verum etiam confirmat: accipere quippe & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo; ac per hoc quid habeat & quid accipiat, Dei est, accipere autem & habere utique accipientis & habentis est*.

Instabis: S. Augustinus ponens hypothesim in qua duo juvenes æqualiter animo & corpore affecti, eadem ambo urgentur tentatione, unus vero cedit & consentit, alter non consentit. Respondet id soli eorum voluntati tribuendum, lib. 12. de civit. Dei cap. 6. *Si enim*, inquit, *aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse causæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala... nam ut hoc quoque impedimentum ab ista quæstione tollatur si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque consentiat, alter idem qui fuerat, perseveret, quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere*. Atqui hæc responsio supponit manifeste gratiam reddi efficacem per liberum voluntatis consensum; ergo.

Dist. maj. respondet id soli eorum voluntati esse tribuendum, si sermo sit de illo qui per malam voluntatem consentit, C. si sermo sit de illo qui per bonam voluntatem tentationi resistit, N. manifestum est cuilibet hunc locum attentius legenti, S Augustinum nonnisi malæ voluntatis causam quærere, ut ibidem testatur his verbis, *hanc igitur consensionem hanc malam, quam male suadenti adhibuit voluntatem quæ in eo res fecerit, quærimus*. Et aliunde certum est id unum eo loci pertendere in omni naturæ specie ac modo laudabilem esse creatorem, nullam naturam per se malam esse: *quomodo*, inquit, *res bona efficiens est voluntatis malæ? quomodo inquam bonum est causa mali? cum enim se voluntas relicto superiore ad inferiora convertit, efficitur mala; non quia malum est, quo se convertit, sed quia*

quia perversa ipsa conversio. Quocirca proposita hypothesi concludit Augustinus penes voluntatem fuisse, ut unus consentiret, alter vero non consentiret; sed spectat ad solam voluntatem malam quæ consensit, & non præjudicat familiari suæ doctrinæ de gratia efficaci, qua nempe constat Deum operari omnia in omnibus, operari ipsum velle, omnem bonam voluntatem esse a Deo, &c. sicut lib. de Prædest. SS. cap. 6. fatetur alios credere, alios contradicere, quia volunt isti credere, nolunt autem illi, *sed*, inquit, *cum aliis præparetur voluntas, aliis non præparetur voluntas a Domino*.

Hic vero monitum velim lectorem, doctrinam S. Augustini de gratiæ efficacia esse potissimum depromendam ex postremis libris, quos sub finem vitæ scripsit jam multum assiduis Pelagianorum & Semipelagianorum argumentis pulsatus; unde nulla penitus haberi debet ratio nonnullarum propositionum, quæ ipsi profecto exciderunt, tum l. 3. de libero arbit. cap. 19. tum libro 1. ad Simplicianum quæst. prima, quos libros nondum ab errore Semipelagianorum conversus composuerat.

Objicies: ab illa sententia longe aberant Patres Græci qui passim affirmant nullam dari gratiam quæ efficaciter præveniat voluntatem hominis; nostrarum esse partium ut incipiamus ac velimus, Dei autem ut conatus nostros adjuvet; Deum ex æquo & absque discrimine respicere & vocare omnes homines; tum iis conferre gratiam quos ante laudabiliter effectos præsciverat, & alia id genus quæ legere est apud S. Irenæum lib. 4. cap. 48. Clementem Alex. lib. 7. Stromatum. Cyril. Alex. lib. 3. contra Jul. imprimis vero S. Chrysost. qui homil. 17. in Joan. sic scribit: *hinc*, inquit, *admoneri possumus Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse, sed cum nos prompto paratoque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones*. Et Homil. 12. in Epist. ad Hebr. *oportet nos*, inquit, *eligere primum quæ bona sunt, & tunc ipse quæ sua sunt, introducit; non antecedit nostras voluntates, ne lædatur arbitrium: cum autem nos elegerimus, multum tunc nobis affert auxilium*. Quæ pene eadem reperias apud S. Greg. Nazian. orat. 3. S. Basil. in Psal. 33. Theodoretum ad cap. 8. & 9. Epist. ad Rom. Æcumenium & Photium ad idem caput.

Quibus profecto adjungi possunt nonnulli e Latinis Patribus, S. Ambros. lib. 2. de Abraham cap. 10. S. Hilar. in illa verba Psalmi 118. *inclina cor meum*. Tum vero S. Hieron. dial. 3. contra Pelag. hæc scribens: *Et tamen hoc scito baptismum præterita donare peccata, non futuram servare justitiam, quæ labore & industria ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur; ut nostrum sit rogare, illius tribuere. Quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus*.

Respondeo primo veram & accuratam Ecclesiæ doctrinam in negotio prædestinationis & gratiæ divinæ, non esse depromendam ex Patribus Græcis, qui ante Pelagianorum hæresim scripserunt.

1., Quia commune fuit in quavis ætate sanctis doctoribus, ut de aliquo fidei Christianæ dogmate non ita caute loquerentur, cum nondum exorti fuerant hæretici qui hoece dogma impugnarent, qua ex causa veteribus nonnulla in speciem adversus Verbi divinitatem exciderunt; quippe qui ante Arii & Nicænæ Synodi tempora scribebant. Id respondet S. Augustinus de Chrysostomo, cujus autoritatem objiciebat Julianus, quasi adversus existentiam peccati originalis quidquam scripsisset, sic, inquam, loquitur lib. 1.

cap. 6.

cap. 6. adversus eundem Julianum, *disputans in Ecclesia Catholica non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullius pulsabatur; vobis nondum litigantibus securius loquebatur*.

2., Quia de gratia ejusque vi & efficacia nunquam ex professo, sed obiter tantum & perfunctorie disputarunt Patres Græci in homiliis & concionibus quas habebant ad plebem, in quibus solet minus extolli gratiæ & electionis efficacia immutabilis, qua moveri possunt & interturbari infirmorum mentes; sæpius vero studium, labor, conatus & industria ad recte vivendum excitantur

Semipelagianis de vetustiorum Patrum autoritate in pari casu gloriantibus id respondet Augustinus lib. de Prædest. SS. cap. 14. *Quid igitur opus est*, inquit, *ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? Quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur; unde factum est ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter attingerent, immorarentur vero in eis, quæ adversus inimicos Ecclesiæ disputabant, & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna & vera felicitate servitur*.

Ex iis porro non sequitur idcirco hac in materia errasse Patres Græcos, quod quidem imprudenter admodum affirmarunt nonnulli Theologi; tum quia id evincunt plurima Ecclesiæ Græcæ monimenta, quæ superius a nobis adducta sunt; tum quia ipsimet Græci, simul atque Pelagiani exorti sunt, non minus necessitatem & efficaciam gratiæ sunt amplexi quam Latini; ut patet ex Synodo Ephesina, Joanne Maxentio, & Photio; tum denique quia eorum verba paulo forsan duriora emolliri facile possunt & benignius explicari.

Respondeo 2., dist. ant. plerique Patres Græci dicunt nostrum esse incipere cum aliquo Dei auxilio, cum aliqua Dei gratia, Dei vero perficere per auxilium fortius, C. nostrum incipere sine ulla Dei gratia, N. id unum igitur passim docent Patres Græci gratiam secundam, & uberiorem dari hominibus, qui pro laudabili studio & labore bene incipiunt & ad agendum veluti sese accingunt & præparant, ope scilicet primæ gratiæ qua fuerunt instructi; sed non supponunt hominem omni penitus gratia destitutum, ut satis colligere est ex iisdem locis, quia non agunt de uno vel altero actu conversionis ad Deum, sed de variis actibus ad perseverantiam tendentibus; ad quos videlicet actus, divinæ gratiæ simul & voluntatis humanæ concursum perspicue deposcunt; sic S. Chrysostomus eadem Homil. in Epist. ad Hebræos. *Etiamsi curras*, inquit, *etiamsi studium adhibeas ne tuum existimes, si quid recte gestum est. Nisi enim cœlesti auxilio potiaris, omnia frustra sunt*. Cum vero idem sanctus Doctor primos veluti motus humanæ voluntati tribuere videtur; consulto animadverterunt doctissimi ejus interpretes, hoc sensu duntaxat eum fuisse locutum, ut a divinis inspirationibus abesse vellet omnem agendi voluntatem, qua humana præriperetur libertas; quod idem plane respondere possumus ad elucidanda aliorum Patrum testimonia. Quod vero initium boni operis voluntati humanæ ascribere videantur isti Patres, exinde ut puto, factum est; quod passim ipsis valde extollendum erat liberum hominis arbitrium; siquidem ut plurimum rem habebant cum Manichæis libertatem evertentibus, aut cum Gentilibus, qui fatum introducebant ineluctabile; vix autem prædicari posse liberum arbitrium, quin gratiæ Dei nonnihil detrahi videatur, observavit non semel ipse Augustinus. Consule insuper quæ

superius dicta sunt, ubi de initio fidei tractavimus adversus Semipelagianos.

Objicies id quod habet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. ubi loquens de gratia, eam ab homine abjici posse docet, *Inspirationem illam recipiens: quippe qui illam & abjicere potest*. Et canone 4., *si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentire, si velit .... anathema sit*. Eo loci Patres Tridentini loquuntur de gratia efficaci, de ea nempe gratia, de qua controversia erat cum Novatoribus contendentibus illam auferre liberum hominis arbitrium: atqui tamen definiunt illam esse efficacem per consensum, vel inefficacem per dissensum; dicunt enim ita illam esse efficacem, ut voluntas possit dissentire, si velit: ergo censent gratiam esse efficacem ex eventu & cooperatione voluntatis humanæ.

Nego min. quia cum dicunt Patres Tridentini gratiam ita movere & excitare, ut homo possit illam abjicere & dissentire, si velit, non ideo existimant ejuscemodi gratiam non esse per se efficacem & suam mutari efficaciam ex libera voluntatis cooperatione; sed solum significant liberum arbitrium gratiæ cooperari ac posse dissentire si velit. Et ratio est, quia nemo nescit illa decreta Concilii Tridentini edita fuisse adversus Lutheranos & Calvinistas, qui liberum arbitrium, & liberam in bono opere activitatem negabant; unde Concilium definit hominem ita recipere gratiam & divinam inspirationem, ut possit illam abjicere & dissentire si velit, præcise ut doceat hominem motum & excitatum per gratiam non pure passive sed libere cooperari.

Porro cum dicimus gratiam Dei esse per se & ab intrinseco efficacem, volumus tamen ei voluntatem nostram necessario non consentire, huic quidem gratiæ voluntas nunquam resistit sed resistere potest, quatenus ut fusissime & clarissime supra expositum est, Deus sic voluntates nostras movet ac determinat, ut ipsæ libere velint hoc ipsum ad quod determinantur.

Et certe ut in illis definitionibus Concilii Tridentini censeretur condemnata hæc nostra sententia, Patres deberent pronuntiare data gratia efficaci aliquando voluntatem non agere; gratiam per quam sæpe homo agit, suum aliquando non sortiri effectum, quod sane nec leviter innuunt.

Accedit denique quod & aperte gratiam per se efficacem stabiliant; eam enim astruunt gratiam cui homo motus & excitatus cooperatur: atqui gratia cui homo cooperatur, est per se efficax, suum enim sortitur effectum: ergo & ipsi Patres Tridentini manifeste astruunt gratiam per se efficacem.

Quid sit gratia efficax, & a quo repetenda sit ejus efficacia.

POstquam fuse satis, ut puto, gratiam dari per se efficacem quæ suam vim & efficaciam non accipiat a consensu voluntatis, ostendimus; sequitur, ut de modo quo illa vim suam & efficaciam obtinet, paucis dicamus.

Tres iterum hic occurrunt sententiæ, quarum duæ extremæ sunt, una media.

Prima eorum est, qui in rei veritate merito censentur gratiam per se efficacem negare, licet enim dicant se aliquam gratiam efficacem ab inefficaci & sufficiente distinctam admittere; ajunt tamen illam esse positam in congruitate quadam & contemperatione ipsius ad voluntatem humanam, prout subest scientiæ mediæ seu cognitioni futurorum conditionatorum, qua cognovit Deus futurum, ut, si daturus sit suam

suam gratiam homini hac vel illa ratione disposito, in hac vel illa circumstantia, suum efficaciter & certo consecutura sit effectum vi talis congruentiæ. Quapropter in illa sententia, quando Deus vult efficaciter movere hominem, videt, antequam istud decernat, per scientiam mediam, an & quid operatura sit voluntas illius hominis, si detur illi gratia; postea dat illi gratiam proportionatam ejus ingenio & complexioni naturali; ex qua prævidit hominem consensurum.

Secunda sententia est communiter Thomistarum, qui dicunt gratiam efficacem positam esse in promotione seu prædeterminatione physica; per quam humana voluntas physice movètur & applicatur ad agendum, eo fere pacto quo instrumentum operi admovetur & physice applicatur a causa principe.

Tertia vero inter utramque media, est eorum qui affirmant naturam gratiæ efficacis positam in motione morali, seu victrici quadam & insuperabili delectatione, qua Deus movet & determinat voluntatem hominis ad agendum, cui sententiæ libenter assentimur, quocirca sit

Prima Conclusio.

Efficacia divinæ gratiæ non est repetenda a congruitate, prout subest scientiæ mediæ.

Primo, quia in rei veritate hæc sententia reducit efficaciam gratiæ in liberum voluntatis humanæ consensum; quam quidem sententiam pluribus momentis impugnavimus in præcedenti dissertatione; in hoc enim systemate Deus non decernit dare gratiam in hac vel illa circunstantia, posito quin prius viderit per scientiam mediam ejusmodi gratiam fore efficacem, quæ maneret inefficax, si daretur in alia occasione: atqui hoc posito ratio primaria efficacitatis illius gratiæ se tenet ex parte ipsius hominis; repetitur enim ab ejus natura, ingenio, dispositione, & complexione naturali; quæ dispositiones hominis Deum movent ad largiendam suam gratiam: ergo ista sententia manifeste reducit efficaciam gratiæ in liberum voluntatis consensum, quæ proinde nonnisi apparenter, & in speciem differt ab ipsius Molinæ doctrina.

Secundo, huic sententiæ manifeste adversantur quæcunque in præcedenti quæstione adduximus ex Scripturis & S. Patribus ad astruendam gratiæ Dei efficaciam; his enim omnibus momentis certo efficitur gratiam esse efficacem ex absolutis Dei decretis, ex omnipotentissima Dei voluntate, ex gratuito Dei beneplacito, secundum efficax Dei propositum; quæ quidem aperte falsa sunt, si gratia sit efficax propter hominis dispositionem prævisam a Deo per scientiam mediam.

Tertio demum, & subjungi possunt quæ olim diximus adversus scientiam mediam, quæ quidem si merum otiosi hominis commentum est, in nullo vel Scripturæ, vel Sanctorum Patrum testimonio fundatum, ruat & ista opinio de gratia congrua necesse est.

Objicies: S. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. secunda, videtur gratiæ vocantis vim & efficaciam reponere in quadam congruitate, qua Deus quosdam præ aliis vocat, sic enim loquitur: *Verum est ergo, multi vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati ...... falsum est autem, si quis dicit, igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis, quia nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*. Ergo tametsi pugna-

gnaverit Augustinus pro gratia per se efficaci, existimavit tamen illius efficaciam ex congruitate repetendam.

Dist. ant. reponere videtur efficaciam gratiæ in congruitate quæ derivetur a voluntate Dei velut a prima causa, C. quæ derivetur a voluntate humana per scientiam mediam prævisa, N. Est igitur in aliquem sensum posita gratiæ Dei efficacia in congruitate & contemperatione, sed quæ derivatur ab omnipotentissima Dei voluntate, qui eatenus quosdam homines congruenter vocare dicitur, quatenus gratiam suam de se potentem & concupiscentiæ victricem homini ita accommodat, ut fortiorem largiatur gratiam, cum opus est & homini cujus major vincenda est concupiscentia; quo plane modo peritus medicus pharmacum coaptat agrotantis morbo & complexioni; ita ut tamen effectum suum non habeat pharmacum ab ægroti complexione, sed ab ipsa virtute sibi intrinseca. At vero gratiæ efficacia non reponitur in congruitate quæ derivetur a voluntate humana; quia nempe gratia non idcirco congrua est; quia præviderat Deus consensuram voluntatem, antequam decerneret illam dare in his & illis circunstantiis, sed immo erat primo per se efficax & a Deo decreta, quam postea dedit congruentèr, congruentia nempe derivata ab absoluto Dei decreto, quod certe nullum sententiæ nostræ affert præjudicium.

Atque non aliam congruitatem gratiæ ascribere S. Augustinum constat ex eodem loco, ubi ait Deum misereri cujus vult, & eum vocare, *quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat*, sed in doctrina S. Augustini homo vocantem Deum non respuit, quia Deus illi bonam voluntatem inspiravit, per vim quandam potentissimam, ut ait lib. de corrept. & grat. cap. 5. & in aliis pene innumeris locis quæ a nobis adducta sunt: ergo in mente S. August. ejusmodi congruentia gratiæ se tenet ex parte Dei.

Secunda Conclusio.

Efficacia gratiæ repeti non debet a physica prædeterminatione Thomistarum.

Primo, quia ejusmodi præmotio seu prædeterminatio physica S. Aug. plane fuit ignota, de ea siquidem altum in ejus scriptis silentium; ne unus quidem apex. Quod enim doceat passim gratiam efficacem voluntates hominum flectere & inclinare quo voluerit; duritiam cordis auferre, operari velle & perficere; facere ut velimus; trahere nos miris & ineffabilibus modis, & alia id genus; ista profecto prædeterminationem physicam non significant nec supponunt, recte vero de victrici quadam delectatione intelligi possunt.

Secundo, quia insuper prædeterminatio physica Thomistarum principiis sancti Augustini manifeste adversatur; siquidem in principiis S. August. non requiritur gratia efficax, nisi pro statu naturæ lapsæ, ut fractæ per peccatum voluntatis vires reparentur; ea est, inquit S. Doctor, quæ per Incarnationem Unigeniti revelata atque donata est, qua justificamur ab iniquitate, & salvamur ab infirmitate, gratia liberationis quam implorant Sancti, cum dari sibi pugnandi vincendique virtutem poscunt, &c. sed apud Thomistas præmotio physica in omni statu vel etiam innocentiæ fuit necessaria; ea enim admittitur ob indifferentiam voluntatis creatæ determinandam, & propter generalem causæ secundæ a prima dependentiam; unde sequitur a Thomistis totum penitus everti gratiæ efficacis fundamentum; cum scilicet ejus necessitatem ex vulnere per peccatum inflicto non repetunt.

Tertio, quia vix intelligere vel exprimere possunt quid sit illa præmotio physica; est enim, inquiunt, motio quæ

quædam virtuosa quæ non est actus vitalis, non illuminatio intellectus vel motio voluntatis, sed in voluntate est quomodo colores sunt in aere, & impetus in re quæ impellitur, habens esse quoddam incompletum, quod passive tantum recipitur in voluntate; sed ejusmodi qualitatis natura vix ac ne vix quidem intelligitur. Adde quod gratia efficax, ut mox dicturi sumus, est actus vitalis, videlicet sancta cogitatio in mente & pia voluntatis affectio, ad quam proinde & intellectus & voluntas active concurrunt.

Quarto demum, quia in illo systemate gratia efficax cum libertate hominis conciliari posse mihi non videtur. Ea enim motio omnem perimere videtur libertatem; quæ cum sit ad unum, tollit indifferentiam ad oppositum: atqui præmotio physica ad unum data tollere videtur indifferentiam ad oppositum, per eam enim non suaviter allecta sed physice applicata movetur voluntas; ejusmodi autem applicatio physica meo quidem judicio nullam penitus relinquit indifferentiam; sicut enim puer, cujus physice inter scribendum dirigitur manus a Magistro, non intelligitur liber seu indifferens ad scribendum hoc vel illo modo; quippe qui ad scribendum uno modo physice applicatur ab ipsius Magistri manu; ita similiter voluntas creata per præmotionem physicam ad unum applicata, neutiquam concipitur indifferens ad oppositum. Quamobrem in illa Thomistarum doctrina aditus omnis præcluditur responsionibus quas adducere solent alii Theologi, ut objectiones adversus gratiæ vim & efficaciam propositas solvant; nos enim dicimus ideo gratiam efficacem libertati humanæ non esse noxiam, quia nonnisi cum delectatione animam afficit & movet; quo sane hancce difficultatem dissipare non possunt prædeterminationis physicæ defensores.

TERTIA CONCLUSIO.

Efficacia gratiæ est victrix quædam delectatio.

Id innuunt Scripturæ in quibus gratia Dei dicitur benedictio dulcedinis, Psal. 20. *quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, tum ubi Deus dicitur omnia disponere suaviter, Sap. 8. *disponit omnia suaviter*.

Sic vero efficaciam gratiæ passim explicat S. August. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 19. *Nos quantum concessum est*, inquit, *sapiamus & intelligamus, si possimus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tribuere vel certam scientiam vel victricem delectationem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem qua illuminentur tenebræ eorum & suavitatem qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suave faciat quod non delectabat? Quia & hoc ab illo esse deprecandum ejus gratia didicimus dum antea lateret, ejus gratia dileximus, dum antea non delectaret*.

Tractatu 26. in Joan. his propositis Christi verbis: *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, sic habet: *Magna*, inquit, *gratiæ commendatio, nemo venit nisi tractus*. Quæ tamen quoniam libertati humanæ nocere quidquam prima fronte videntur, ista sibi objicit, *si trahitur*, *ait aliquis*, *invitus venit*, *si invitus venit*, *nec credit*, *si non credit*, *nec venit*. Et respondet, *ego*, *dico*, inquit, *parum est voluntate, etiam voluptate traheris, quid est trahi voluptate, delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui... quanto fortius nos dicere debemus trahi debemus ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine*,

dele-

delectatur justitia , delectatur sempiterna vita .

Libro de spiritu & littera cap. 15. *Ecce ;* inquit, *quemadmodum sine exemplo est in hominibus perfecta justitia & tamen impossibilis non est . Fieret enim si tanta voluntas adhiberetur , quanta sufficit tantæ rei ; esset autem tanta , si & mihi eorum quæ pertinent ad nos , lateret , & ea sic delectarent animam , ut quicquid aliud voluptas ut dolor impedit , delectatio illa superaret .* Et c. 28. *ut det quod jubet atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum sanctum faciat plus delectare quod præcepit , quam delectat quod impedit , hoc est quodcumque bonum temporale cujus delectatione peccamus .*

Libro de correpı. & grat. cap. 2. *Aguntur enim ,* inquit , *ut agant , non ut ipsi agant & ad hoc eis ostenditur quod agere debeant , ut quando id agunt sicut agendum est , id est cum dilectione & delectatione justitiæ suavitatem quam dedit Dominus , ut terra eorum daret fructum suum , accepisse se gaudeant .* Cap. 8. *voluntas humana ,* inquit , *non libertate consequitur gratiam , sed gratia potius libertatem , & ut perseveret delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem .*

Libro 2. ad Bonifacium cap. 9. *Misericordia ejus ,* inquit , *præveniet me , & ipse est qui fideliter veraciterque cantatur, quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis . Et quid hic aptius intelligitur quam ipsa de qua loquimur , cupiditas boni ? Tunc enim bonum concupisci incipit , cum dulcescere incipit .... ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei , qua fit in nobis ut nos delectet & cupiamus, hoc est amemus quod præcipit nobis .* Quod idem docet S. Doctor lib. 1. de nuptiis cap. 30. libro de gratia Christi c. 13. l. de spiritu & littera c. 3. 10. 29. Enarrat. in Ps. 33. 60. 67. 84. 106. 137. & aliis prope infinitis locis quæ si vel etiam appellem , infinitum esse me oporteat .

Gratiæ vero efficaciam in quadam delectatione & suaviter positam esse , oritur ex eo quod præcipuus divinæ gratiæ effectus est , omnem & quamlibet terrenam delectationem, per quam fit peccatum , superare , ut non uno in loco tradit idem sanctus Doctor . *Tunc itaque ,* inquit lib. 83. q. q. q. 70. *absorpta erit mors in victoriam , cum per sanctificationem in omni parte hominis perfecta delectatione spiritualium , delectatio carnalis obruetur .* Et lib. de spiritu & littera cap. ultimo , *Verum ecce ,* inquit , *jam talem constituamus animam humanam in hoc corruptibili corpore , quæ etsi nondum illa supereminentissima perfectione charitatis Dei , omnes motus terrenæ libidinis absorbuerit atque consumpserit . Attamen in ista minore justitia ad illicitum aliquid operandum eidem libidini nulla inclinatione consentiat ut ad illam vitam jam immortalem pertineat .* Diliges Dominum Deum tuum &c. *ad hanc autem non regnet peccatum in vestro mortali pectore ad obediendum desideriis ejus .*

Et tamen diligenter observandum necessitatem hujus cœlestis delectationis ad bene operandum , non ex natura voluntatis præcise , sed ex infirmitate quam homo per peccatum contraxit , proficisci ; constat enim ex principiis sancti Augustini , quæ ultro amplexi fuimus , primum hominem in statu naturæ innocentis gratia efficaci nequaquam indiguisse ad perseverandum ; antequam scilicet voluntas hominis libidinum imperio mancipata esset , is antea plena libertate & pace secum sua fruebatur , in carnalem libidinis servitutem non trahebatur , unde sequitur hanc victricem delectationem ut Deo adhæreret , non fuisse necessariam ex natura voluntatis , sed ex difficultate bonum agendi, quæ pœna peccati est .

Hæc porro delectatio victrix , in qua positam esse dicimus naturam gratiæ efficacis , est actus vitalis & indeliberatus

ratus animæ. Non eſt quidem actus deliberatus ſeu actus formatus, ut ita dicam amoris Dei & virtutis, quia eſt auxilium a Deo datum homini tanquam medium quo perveniat ad actus bonos elicicndos, unde non ſumitur pro ea delectatione ſeu gaudio per quod animus in bono præſente conquieſcit; ſed eſt tamen actus vitalis indeliberatus per modum cujuſdam deſiderii a Deo infuſi, quemadmodum delectatio carnalis & mundana ex qua peccata profluunt, non eſt illa proprie dicta delectatio quæ eſt actus animæ malo adhærentis per verum & formatum conſenſum; ſed eſt deſiderium quoddam indeliberatum quod ſollicitat ad malum, per modum ſuggeſtionis antecedentis conſenſum, utpote cum ſit cauſa conſenſus & proprie dictæ delectationis, quæ eſt verus actus deliberatus ſeu peccatum.

Cæterum cum diximus gratiam efficacem poſitam eſſe in delectatione victrici, non dubitamus quin Deus aliunde & aliis modis homines trahat ad ſe, ut enim ait S. Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum, *alium ſic, alium vero ſic movet Deus*. Unde timor ex fide & ſpe ſupernaturali ortus movet etiam & excitat voluntatem ad bonum, eſtque Spiritus ſancti donum, tametſi ejuſmodi virtutes quæ Charitatem præcedunt, non ſine aliqua delectatione ipſis propria ſuos actus exerant, etiamſi tunc homo non agat ex motivo perfectæ charitatis.

De Gratia ſufficiente.

QUanquam non una ſit apud omnes notio gratiæ ſufficientis, ut paulo infra dicturi ſumus cum veram iſtius gratiæ naturam perſcrutabimur; tamen cum in præſenti nunc argumento animus ſit ejus exiſtentiam demonſtrare, eam præciſe ſpectabimus prout eſt auxilium quoddam interius cui voluntas humana reſiſtit, & ſuum propterea non habet effectum. Id aperte innuimus initio hujuſce tractatus, cum attulimus celebratiſſimam diviſionem gratiæ actualis interioris in efficacem & ſufficientem, & diximus gratiam efficacem eam eſſe quæ ſemper ſuum conſequitur effectum; gratiam vero ſufficientem quæ ſuum non habet effectum, & cui voluntas humana non modo reſiſtere poteſt, ſed & actu reſiſtit.

Quæſtio eſt igitur, utrum in præſenti ſtatu naturæ lapſæ aliqua detur ejuſmodi gratia ſufficiens, hoc eſt gratia actualis interior cui voluntas humana non modo reſiſtere poſſit, ſed & actu reſiſtat & ita ſuum ad quem a Deo ordinata erat, effectum non conſequatur.

Non eſſe admittendam ejuſmodi gratiam quæ ſuo privetur effectu, & cui voluntas humana reſiſtat, docet Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 3. parag. 10. ubi de divina gratia ſic loquitur, *ac voluntatem movet*, inquit, *non qualiter multis ſæculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis motioni aut obtemperare aut refragari, ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties a Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt, quem trahit volentem trahit: quo inſinuat Dominum porrecta tantum manu expectare, an ſuo auxilio juvari nobis allubeſcat.*

Neque eſt quod velit quis fidem Calvini hac in parte vindicare, quaſi his verbis gratiam per ſe efficacem ſolummodo extollat, gratiæ vero ſufficientis exiſtentiam non rejiciat; ſiquidem ſatis ſuperque ſuam paulo poſt mentem aperit, cum Magiſtros Pariſienſes ibidem ſugillat, quod gratiam admittant, cui voluntas reſiſtere poſſit, *Nam medium*, inquit, *quem Sophiſtæ imaginantur motum cui obſequi vel quem repellere liberum ſit, aperte excludi videmus, ubi aſſeritur efficax ad perſeverandum conſtantia*. Et parag. 13. *Audiamus*, inquit, *Auguſtinum ſuis verbis loquentem, ne ætatis noſtræ Pelagiani, hoc eſt Sorbonici* So-

Sophistæ totam vetustatem nobis adversam pro suo more criminentur.

Quin & Jansenius Iprensis lib. 3. de gratia Salvatoris acriter in gratiam sufficientem insurgit, velut principiis S. Augustini aperte contrariam & ab illo ubique funditus eversam, sic enim c. 3. *quid monstrosius proferri potest, quam quoddam distinctum a cæteris adjutorii genus, quod nunquam ab initio lapsus humani usque ad judicii diem, ullum in humana voluntate effectum habuit aut habiturum est .... itaque illud a recentioribus prolatum gratiæ sufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam opus factum est aut fiet unquam, si est verum distinctumque a gratia efficaci membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodo peccatis faciendis, majorique damnationi accensendæ serviens; ideoque lapsis hominibus circa Dei invidiam damnandis excogitatum.* Paulo antea libri præcedentis cap. 25. dixerat: *Hæc itaque est vera ratio & radix, cur nulla omnino medicinalis Christi gratia effectu suo careat, sed omnis efficiat, ut voluntas velit & aliquod operetur.* Atque ita unam & solam admittit Jansenius toto hoc in opere gratiam medicinalem pro statu naturæ lapsæ, quam vocat adjutorium *quo*, ita ut adjutorium *sine quo*; cui scilicet resistere potest voluntas, fuerit datum homini ante lapsum, nullum vero admitti debeat in præsenti statu naturæ lapsæ; adversus illam sententiam sit.

CONCLUSIO.

In statu naturæ lapsæ præter gratiam efficacem quæ suum semper obtinet effectum, alia debet admitti gratia actualis in voluntate quæ sit inefficax & pure sufficiens, suoque privetur effectu.

Probatur 1. ex Scripturis, in quibus passim redarguuntur homines, quod gratiæ motum & inspirationem contemnant, Proverb. 16. cap. *Vocavi & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret, despexisti omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Isayæ 5. Deus profitetur se nihil omisisse, ut homines ad se adduceret, *quid est quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Et cap. 65. *expandi manus meas tota die ad populum incredulum qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Math. 11. *tunc cœpit* Christus *exprobrare civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, &c.* Et cap. 23. *Jerusalem, Jerusalem*, inquit idem Christus, *quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Actorum 7. cap. sic Judæos carpit Stephanus plenus Spiritu sancto, *dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Ad Rom. 2. cap. *propter quod inexcusabilis es o homo omnis qui judicas ...... an divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, &c.* Primæ ad Thessalon. cap. 5. *Spiritum nolite extinguere.* Et Apocal. 3. ait Dominus, *ego sto ad ostium & pulso; si quis audierit vocem meam & aperuerit januam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipse mecum.*

Ex quibus aliisque similibus locis, quæ prope infinita reperias in divinis litteris, manifeste colligitur dari hominibus in præsenti statu naturæ lapsæ aliquod auxilium, aliquam gratiam cui resistant; siquidem illi gratiæ Dei resistunt qui dicuntur vocationi divinæ renuere, ejus consilium negligere, vel

etiam

etiam despicere, secundum duritiam & impœnitens cor Spiritui sancto resistere, Spiritum extinguere, ac demum pulsanti Domino non aperire: atqui hæc omnia leguntur in præfatis Scripturæ testimoniis: ergo.

Non me latet respondere adversarios ejuscemodi Scripturæ loca intelligi debere de vocatione exteriori quæ fit per legem & doctrinam auribus fidelium exterius insonantem; non autem de vocatione interiori quæ fiat per internam inspirationem voluntati exhibitam.

Verum ejusmodi responsio merum est subterfugium. 1. Quia si præter vocationem exteriorem non daretur aliqua gratia interior, ejuscemodi exprobrationes essent falsæ; neque enim dici potest aliquem resistere Spiritui sancto, Spiritum extinguere, secundum cordis duritiam, bonitatem Dei contemnere &c. nisi interius excitatus fuerit per veram gratiam vocationi externæ adjunctam; id clare exprimunt præfata loca, si nempe in sensu obvio & ab homine non præoccupato accipiantur; propria enim operatio Spiritus sancti est interius movere voluntatem; unde sequitur neminem censeri Spiritui sancto resistere, cui data non fuerit inspiratio interior, quod idem similiter innuit duritia cordis, quæ non intelligitur nisi in eo cujus per interiores motus tactum fuerit cor.

2. Homines vocatos a Deo per legem & doctrinam sibi annuntiatam, habere præterea gratiam interiorem ad agendum, ex eo evincitur, quod vocati sunt alii ad pœnitentiam, alii ad fidem, alii ad mandatorum observationem: atqui dici non potest homines a Deo vocari ad fidem, pœnitentiam & ad alia bona opera, quin Deus simul iis auxilia conferat, quibus ita possint divinam vocationem sequi, ut eam non sequendo reddantur inexcusabiles: ergo præfata Scripturæ loca modo evincunt hominem resistere vocationi exteriori sed & interiori quæ fit per veram interiorem gratiam.

Hanc eandem objectionem proposuerat Calvinus his verbis, *Resistere Spiritui sancto dicuntur qui eum in Prophetis loquentem contumaciter rejiciunt. Neque enim de arcanis revelationibus his agitur quas Deus cuique intus inspirat, sed de externo ministerio*. Cui docte respondet Stapletonus in antidot. Apost. in Act. Apost. cap. 7. certissimum esse *de interna inspiratione loqui Stephanum; nam, ait sanctus Stephanus, Spiritui sancto resistitis, opus autem Spiritus sancti proprium est intus commovere. Sane in solo externo ministerio nisi Spiritus sanctus cor tangat, Spiritus sanctus in ipso audiente nihil operatur: ubi autem nihil operatur, ei nec resistitur, nec obeditur. Deinde hæc resistentia de qua hic Stephanus loquitur, ex cordis duritie oriebatur. Dura, inquit, cervice, incircumcisis cordibus & auribus. Atqui cordis durities circa ea proprie versatur, quibus cor movetur, tangitur, afficitur. Tales sunt inspirationes internæ, quæ in materia salutis & cultus divini nonnisi a divino Spiritu promanant*.

His accedit quod ita Calvini responsio non parum favet Pelagio, qui de vocatione externa & de prædicatione Evangelii præfata Scripturarum loca interpretari solebat, nullum proinde admittens gratiam interiorem, nullum Spiritus sancti interius moventis afflatum, nullam internam inspirationem; quapropter ex illis omnibus adductis Scripturæ testimoniis hunc hæreticum impugnat S. Augustinus, probatque gratiæ interioris existentiam, uti potissimum videre est in libro de gratia Christi.

Respondent insuper adversarii duplicem esse Christi gratiam, aliam quæ imperfectum duntaxat consensum seu velleitatem producit, aliam quæ perfectum consensum &, ut ajunt, plenum velle elicit; utraque vero gratia est

 effi-

efficax, quia cum producit effectum ad quem producendum a Deo destinata est. Porro homines aliquo sensu, inquiunt, gratiæ resistere dicuntur, non quod detur gratia quæ non sit efficax, ut mox dictum est; sed quia primam tantum habent gratiam, quæ scilicet consensum nonnisi imperfectum producit. Atque ita peccator v. g. qui habet solummodo suæ conversionis desiderium, non habet nisi gratiam desiderii, quæ est efficax hujusce desiderii, & dicitur tamen resistere gratiæ excitanti & moventi illum ad propriam conversionem; quia videlicet imperfecte tantum suæ conversioni consentit.

Sed vana prorsus & omnino futilis est hæc responsio, quæ præfatis Scripturarum locis nequaquam accommodari potest. 1. enim constat ex illis autoritatibus homines divinis inspirationibus persæpe resistere: sed si quælibet gratia a Deo data suum consequitur effectum, ad quem videlicet a Deo destinata est, jam nemo divinis inspirationibus resistit; quandoquidem quævis Dei gratia eum semper effectum habet quem efficere ipsa potest; quivis igitur in illa sententia divinæ gratiæ semper consentit, nemo voluntati divinæ unquam reluctatur, voluntas Dei nunquam frustratur; quod his Scripturæ locis manifeste adversatur.

2. Illa responsio falsum aperte supponit, nimirum gratiam semper aliquem consensum perfectum vel imperfectum ab humana voluntate exprimere. Namque in principiis Jansenii tunc solum gratia aliquem a voluntate nostra consensum exprimit, quando vincit concupiscentiam: sed illa gratia debilior quæ nonnisi imperfectum consensum elicere dicitur, nunquam vincit concupiscentiam, sed a concupiscentia vincitur: ergo nequidem imperfectum a voluntate nostra consensum elicit.

Probatur 2. ex SS. Patribus. Qui omnes ac singuli una voce admittunt gratiam aliquam pure sufficientem; seu dicant homines gratiæ Dei non obtemperare sed resistere, quos ideo ut culpabiles redarguunt, seu declarent eos inexcusabiles esse, quod sibi data ad salutem necessaria Dei gratiæ auxilia spreverint, seu denique contendant hominibus plerumque dari potestatem bene agendi, si velint; hæc enim potestas bene agendi qua plerumque abutuntur, gratia est pure sufficiens.

S. Justinus Dialogo cum Tryphone sub finem sic scribit: *Itaque si omnes, qui misericordiam a Deo consequi volunt, superioris vitæ pœniteat, id præstare possunt*. Profecto omnibus communis potestas pœnitendi, est gratia sufficiens.

S. Irenæus lib. 4. adversus hæres. cap. 71. *Hi*, inquit, *qui non operantur bonum, judicium justum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum cum possent operari illud*. Et cap. 76. *si non credideris ei*, inquit, *& fugeris manus ejus, erit causa imperfectionis in te qui non obedisti, sed non in illo qui vocavit; ille enim misit qui vocaret ad nuptias; qui autem non obedierunt ei, se ipsos privaverunt regia cœna; non igitur ars Dei deficit, potest enim de lapidibus suscitare filios Abrahæ, sed ille qui non consequitur eam sibimet imperfectionis est causa, nec enim lumen deficit propter eos qui semetipsos excæcaverunt, sed illo perseverante, quale est excæcati per suam culpam in caligine constituuntur, neque lumen cum magna necessitate subjiciet sibi quemquam, neque Deus cogit eum qui nolit continere ejus artem; qui igitur obstiterunt a paterno lumine & transgressi sunt legem libertatis per suam obstiterunt culpam liberi arbitrii*. Ubi docet S. Irenæus posse homines bonum operari quod non operantur; ideoque juste a Deo judicandos, lumen hominibus non deficere, atque in culpam eorum esse quod non videant; quæ quidem aperte significant dari gratiam sufficientem.

Se-

Sequitur S. Clemens Alex. qui lib. 2. Stromatum circa medium sic habet: *Divinum Verbum clamavit omnes simul vocans, eos quidem vel maxime cognoscens qui non erant parituri; & tamen quoniam est in nostra potestate parere & non parere, ut nulli possint causari prætextum ignorantiæ, justam fecit vocationem.*

S. Ambros. in Psal. 118. ad illum versiculum *Prope es tu Domine*, hæc scribit: *Numquid si quis ostia domus suæ clauserit, solis est culpa, quod non illuminat domum ejus? ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam judicaverit, ut Verbi splendorem a se stultus avertat, ac sibi inferat insipientiæ cæcitatem, causari poterit, quod sol justitiæ noluerit intrare, aut infirmitatem luminis cœlestis arguere, pulsat januam tuam Dei Verbum, si quis mihi aperuerit, intrabo; si quis ergo non aperuerit, nunquid non ingredienti & non magis non aperienti est culpa?* Quibus profecto verbis haud scio, an aliquid hac in causa luculentius afferri possit. Consule & lib. 6. in Lucam & lib. 2. de Cain & Abel cap. 7.

Idem docet passim S. Hieron. in Psal. 140. ubi sic disserit: *o infelicissimum humanum genus qui peccata excusamus dicentes, victus a natura cum in potestate nostra sit & peccare & Domino adjuvante non peccare, &c.* Commentario in Isavam ad illud capitis quinti *& nun ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ*, notat hæc ad animæ statum pertinere quam Deus gratia primum excolit, & fructus non ferentem deinde deserit. *Cuncta*, inquit, *quæ dicuntur de vinea, possunt & ad animæ humanæ referri statum quæ a Deo plantata in bonum non uvas attulerit, sed labruscas .... tollitur autem Dei auxilium ab his qui indigni sunt, ut quia non senserunt Deum per beneficia, sentiant per supplicia.*

Quod idem Scripturæ testimonium simili plane modo interpretatur S. Basilius in cap. 5. Isayæ: *Quando vineæ istius*, inquit, *germina improbanda veniunt, ab ea tollitur pluvia, quandoquidem auxiliari gratia Dei sibi prærogativa, non ut conveniebat, usa est. Itaque etiam nos, si quando deprehendemur, minus recte usi occasione rei bene gerendæ indulta nobis a Deo, tunc nobis adimitur cœleste præsidium.*

Ita S. Cyrill. Alex. in eundem locum, qui & clarius adhuc hanc sententiam confirmat lib. 1. in Joan. c. 11. *Non verbum Dei*, inquit, *& æternam hanc lucem, sed imbecillitatem suam mundus accuset, illuminat enim filius, repellit autem gratiam creatura. Neglexit ulterius currere, suffodit illuminationem ex desidia, & contempsit hanc gratiam.*

Omnium vero disertissime S. Chrysostomus homil. 7. in Joan. his verbis: *Gratia in omnes diffusa est, non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem excipit aut dedignatur: omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat; qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent; cum enim detur omnibus, omnibus pateat & a nemine prohibeatur, perditi quidam & nequam homines propria dumtaxat malitia ingredi recusant.* Et homil. 45. in Math. exponens parabolam seminis, *cujus rei causa*, inquit, *major seminis pars amissa est? Non seminantis quippe causa, sed suscipientis culpa terræ, hoc est propter reluctantem atque repugnantem animam.* Idipsum habet homil. 13. in eundem Evangelistam, homil. 9. in Genesim homil. 2. in Psal. 50. homil. 41. ad populum Antioch. & aliis infinitis in locis.

Atque idipsum, & certo certius non uno in loco docuit S. Augustinus, quem proinde tanquam suæ sententiæ defen-

so-

forem & patronum falso jactitant adversarii. Ac 1. quidem gratiæ Dei interdum resistere hominem testatur sanctus Doctor lib. 83. q. q. q. 68. *Ad illam cœnam*, inquit, *nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire possent nisi vocati. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui voluerunt venire debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera potestate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur, qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit*. Lib. 2. de peccat. merit. c. 17. *Cum voluntate humana*, inquit, *gratia adjuvante divina sine peccato in hac vita homines possint esse, cur non sint, possem facillime ac veracissime respondere, quia homines nolunt*. Tractatu 2. in Joan. *Si autem tu stas*, inquit, *præsens est tibi, sed non stetisti, recordare unde cecideris, unde te dejecit, qui prior te cecidit. Dejecit enim te non vi, non impulsu, sed voluntate tua; si enim malo non consentires, stares, illuminatus maneres*. Epistola 15. *Deus ergo*, inquit, *singulariter bonus est .... illius enim spiritu boni fiunt, quicumque boni fiunt, cujus capax creata est nostra natura per propriam voluntatem. Pertinet ergo ad nos ut boni simus accipere & habere quod dat, qui de suo bonus est, quo quisque neglecto, de suo malus est*. Lib. de natura & gratia cap. 6. *Vitia sane nostra quæ sanat*, inquit, *non divino operi sed humanæ voluntati justæque illius vindictæ tribuamus, sed ut in nostra potestate fuisse ne acciderent, confitemur; ita ut sanentur in illius magis esse misericordia quam in nostra potestate fateamur*. Et cap. 67. citato lib. 3. de libero arbit. ubi hæc dixerat, *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis*. Sic prosequitur hæc præfata confirmans, *ita & exhortatus sum quantum potui ad recte vivendum & gratiam Dei non evacuavi, &c*. In quibus locis docet aperte S. Augustinus gratiæ Dei interdum mala sua voluntate resistere homines, vocanti Deo non obtemperare, sanctas inspirationes contemnere, & alia id genus.

2. Occurrunt & alia passim loca apud eundem S. Aug. quibus significat, nullam esse peccatoribus excusationem, sed eos vituperio & correptione dignos, cum mandata non servant & in peccata prolabuntur; unde concludi posse mihi videtur illis a Deo dari auxilia sufficientia quibus bene agere possint, quantumvis non agant; lib. de corrept. & grat. cap. 7. *Quæ cum ita sint*, inquit, *corripimus tamen eos, justeque corripimus, qui cum bene viverent, non in eo perseverarunt .... justior enim videtur excusatio dicentium, Non accepimus audientiam, quam dicentium, Non accepimus perseverantiam, quoniam potest dici, Homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles; nullo modo autem dici potest, id quod non audieras, crederes si velles*. In Psal. 91. perversos homines false ridet, quod se nullius peccati reos dicant: *Si non est*, inquit, *valde impius ad manum habet Satanam quem accuset: Satanas fecit, dicit, ipse mihi persuasit, quasi Satanas habeat potestatem cogendi: astutiam suadendi habet, sed si Satanas loqueretur, & taceret Deus, haberes unde te excusares, modo aures tuæ positæ sint inter monentem Deum & suggerentem serpentem .... si aliquid persuadente Satana mali feceris, dimitte Satanam, accusa te, ut accusatione tua Dei misericordiam merearis*. In Psal. 32. concione secunda: *Nec se excuset*, inquit, *qui audire non vult, quasi non sit quod ab illo exigatur, idipsum enim exigitur, quia*

quia noluit accipere cum daretur ; aliud est enim non posse accipere , aliud est nolle , illic excusatio necessitatis est , hic reatus voluntatis .

3. Demum & videtur S. Augustinus gratiam quandam omnibus communem admittere , quæ profecto non alia est a gratia sufficiente , lib. 3. de libero arbit. cap. 19. *Recte enim* , inquit , *fortasse quererentur si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret ; cum vero ubique sit præsens qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocat , doceat credentem , consoletur sperantem , diligentem adhortetur , conantem adjuvet , exaudiat deprecantem , non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras , sed quod negligis quærere quod ignoras . Neque illud quod vulnerata membra non colligis , sed quod volentem sanare contemnis , ista tua propria peccata sunt . Nulli enim homini ablatum est scire utiliter quæri quod inutiliter ignoratur , & humiliter confitendam esse imbecillitatem , ut quærenti & confitenti ille subveniat , qui nec errat dum subvenit nec laborat .* Ubi licet loquatur de gratia exteriori qua Deus adhortatur , consolatur , adjuvat , is tamen gratiam interiorem adjunctam supponit , vult enim eo loci querimoniam hominum compescere qua dicunt: *Si Adam & Eva peccaverunt , quid nos miseri fecimus , ut cum ignorantiæ cæcitate & difficultatis cruciatibus nasceremur ?* Cui respondet , *ut quiescant & adversus Deum murmurare desistant . Recte enim fortasse , &c.* quæ responsio ab omni ratione foret aliena , nisi Deus gratiam interiorem sufficientem daret hominibus .

Est porro iste locus ad hanc rem nostram tam appositus , ut respondere cogantur adversarii hæc scripsisse Augustinum eo tempore quo non erat plene de mysterio divinæ gratiæ eruditus : quæ responsio merum esse mihi videtur subterfugium , quia isthæc nuspiam retractavit , sed potius confirmavit aperte libro de natura & gratia , ut mox ostendimus .

Quibus testimoniis addere merito possumus alia pene innumera in scriptis S. Augustini passim & ubique respersa . 1. enim duarum delectationum , cœlestis nimirum & terrestris conflictum in homine admittit ; ita ut persæpe gratiam vincat concupiscentia ; ita sermone 17. de verbis Apostoli . 2. ait non uno in loco Deum exhortari nos ad petendum , qui paratus est ad exaudiendas hominum preces ; ita Serm. 19. de verbis Domini , & enarrat. in Psal. 57. 3. huc pertinent ea testimonia in quibus docet possibilia esse mandata Dei , quæ quidem paulo post adducentur .

Sancti Augustini sententiam facile amplexi sunt clarissimi ejus discipuli Paulus Orosius , Prosper & Fulgentius .

Orosius quidem in Apologetico sic scribit : *Mea* , inquit , *semper hæc est fidelis atque indubitata sententia Deum adjutorium suum , non solum in corpore suo , quod est Ecclesia , cui specialia ob credentium fidem gratiæ suæ dona largitur , verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui æternamque clementiam subministrare , non ut tu asseris cum discipulo tuo Cælestino , cui tamen apud Africanam Synodum occulta impiorum dogmatum natura contusa est , in solo naturali bono & in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam attributam , sed specialem quotidie per tempora , per dies , per momenta , per atomos & cunctis & singulis ministrare ; dicit enim Scriptura , Qui facit solem suum oriri super bonos & malos .*

Hanc Apologiam composuerat Orosius , ut accusatus a Joanne Jerosolimitano , quod dixisset , neminem posse implere legem Dei etiam cum gratia , fidem suam hac in parte vindicaret ; ibi vero , ut nemo non videt , disertissime astruit gratiam sufficientem , gratiam

tiam scilicet quæ omnibus datur, & cui vocanti omnes non obtemperant.

S. Prosper resp. ad capitula Gallorum cap. 3. *Igitur*, inquit, *sicut bona opera ad inspiratorem eorum Deum, ita mala ad eos sunt referenda qui peccant. Non enim relicti sunt a Deo, ut relinquerent Deum: sed reliquerunt & relicti sunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt*. Et ad objectiones Vincentianas responsione ultima: *Quod si*, inquit, *per generalitatem vocationis & per abundantiam bonitatis Dei etiam non perseveraturi perseveraturis admixti sunt, hi cum a pietate deficiunt, non ex Dei opere sed ex sua voluntate deficiunt*. Et postea, *qui enim voluntatem Dei spreverunt invitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem*.

S. Fulgentius Epistola 7. ad Venantiam cap. 8. *Sicut ergo*, inquit, *medico nostro nulla est incurabilis plaga, ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore cœlestis potest deficere medicina. Ideo ipse medicus semper se posse converso salutem donare testatur dicens: Cum conversus fueris & ingemueris, salvus eris. Propter quod duritiam quorumdam sic per Jeremiam Deus non definit*. Cap. 10. *in quacunque igitur quis ætate vocatur, si benignitatem vocantis Domini non spernat, necesse est denarium vitæ perennis accipiat.... propter quod Apostolus Paulus duritiam cordis increpat in his qui pœnitentiam suorum negligunt agere peccatorum; dicit enim, propter quod inexcusabilis es o homo omnis qui judicas*. Sicque tota hac in Epistola hominem carpit Fulgentius quod gratiæ Dei resistat, misericordiam contemnat, pœnitentiam agere nolit, & alia id genus, quæ manifeste gratiam sufficientem designant, gratiam scilicet cui voluntas humana resistit, ac proinde suum non habet effectum.

Idem reperias apud S. Gregorium M. lib. 53. Moral. cap. 20. *Idcirco*, inquit, *nequaquam cœlestis gratiæ præmia æterna percipiunt; quia ea nunc, dum promereri poterant, libero arbitrio contempserunt*. Et Homil. 34. in Evang. *sed ecce adhuc post tergum sequitur & monet, quia jam & a nobis contemptus est, tamen nos adhuc vocare non cessat. Quasi dorsum ei in faciem dedimus, cujus verba despicimus, cujus præcepta calcamus. Sed stans post tergum nos aversos revocat, quia & videt quod despicitur, & tamen per præcepta clamat, per patientiam expectat*. Quod idem docet lib. 16. Moral. cap. 4. & in Ezechiel. cap. 11.

Quin & S. Bernardus hæc scribit Sermone 5. de Quadragesima: *In nobis est*, inquit, *si vinci nolumus, & nemo nostrum in hoc certamine dejicitur invitus: sub te, o homo, appetitus tuus est, & tu dominaberis illius. Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est, si volueris, dare vel negare consensum*. Hanc porro Sanctorum Patrum doctrinam amplexi sunt omnes Theologi Scholastici, vel & ipse S. Thomas 1. p. q. 4. art. 2. item 1. 2. q. 98. item quæst. 24. de verit. art. 11. in corpore & art. 3. ad secundum. Item 1. 2. q. 109. art. 4. item lib. 3. contra gentes c. 159. item lectione prima in c. 15. primæ Epist. ad Corinth. & in aliis infinitis locis. Sic & Hugo Victorinus in prioribus annotationibus ad cap. 9. Epist. ad Roman. hæc scribit: *De duobus quæritur æqualiter in peccato jacentibus, quibus gratia Dei æqualiter proponitur & offertur; unde fit quod alter ei consentiat, & ab altero respuatur: solutio, utrique data est gratia, qua potuit consentire, alterius tamen mens mota est & consensit*.

Probatur 3. ex nonnullis Conciliis.

Concilium quidem Arelatense tertium anno 475. approbavit Epistolam Fausti Reiensis Episcopi, in qua damnabat errorem Lucidi Presbyteri dicentis, *eos qui perierunt non accepisse quo salvi esse possent*. Quod & ipsum resipiscens damnavit Lucidus; hæc porro omnia non esse

esse ficta & supposita paulo infra demonstraturi sumus.

Favet & Consilium Arausicanum secundum anno 529. celebratum, hæc definiens cap. 25. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante quæ ad salutem pertinent, possent ac debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Quod si autem possint omnes baptizati mandata Dei adimplere, si voluerint; dubio procul necesse est, ut illis suppetant gratiæ sufficientes, quibus interdum multi resistunt. Quandoquidem non omnes baptizati mandata Dei omnia adimplent.

Addimus autoritatem Concilii Valentini tertii canone 2. definientis, *malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt.* Et can. 5. *firmissime tenendum credimus ex ipsa multitudine fidelium & redemptorum alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, alios quia noluerunt permanere in salute fidei quam initio acceperunt, redemptionis gratiam potius irritam facere.* Ex quibus manifeste colligitur Patres illius Concilii, quod ex Episcopis trium provinciarum, videlicet Lugdunensis, Viennensis & Arelatensis, conflatum erat, aliquam Dei gratiam agnoscere, quæ datur malis & ab iis rejicitur.

Quin & Concilium Senonense habitum anno 1528. præside Antonio a Prato Senonensi Archiepiscopo & Franciæ Cancellario, quod quidem parte prima decreto 15. sic pronuntiat: *Neque enim liberum arbitrium asserentes divinam excludimus propterea gratiam, quo illi falso* (Lutheranos intelligit) *toties non verentur; atque hoc fumo credulorum animos perstringere; sed juxta sacram Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interim quodam & occulto secretioris inspirationis afflatu contracta se se convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam se præparet, qua tandem accepta fit ad vitam æternam. Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio; cum illa sit semper in promptu, nec momentum quidem prætereat in quo Deus non stet ad ostium & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo; vel denique tale sit ejusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare Filios Jerusalem sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluerunt? Frustra certe Stephanus Judæos duræ cervicis & incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.* Quibus verbis nihil ad asserendam gratiam sufficientem aptius desiderari potest, loquitur enim Concilium de auxilio gratiæ interioris, *de occulto secretioris inspirationis afflatu*, aitque ejusmodi gratiæ homines sæpissime resistere, quod ipsum probat multis Scripturarum testimoniis.

Sequitur Concilium Coloniense celebratum anno 1536. part. 7. cap. 32. sic habet: *Quanquam nemo convertatur ad Dominum nisi tractus per Patrem; attamen nemo hic excusationem prætexat, quod non trahatur; cum ille semper stet ad ostium pulsans per internum & externum verbum, commonens ut convertamur a via nostra pessima.* Ubi certe gratiam interiorem cui resistitur, admittunt illi Patres.

Denique idem docet Concilium Tridentinum multis in locis sess. 6. cap. 5. aperte pronuntiat hominem posse gratiam abjicere, *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem; neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest.* Cap. 11.

hæc leguntur, *Deus impossibilia non jubet sed jubendo monet, & facere quod possis & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*. Unde sequitur justos qui mandata non servant resistere gratiæ qua poterant facere & petere. Cap. 13. *Nemo*, inquiunt Patres, *sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilium firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet*. Ubi manifeste supponitur homines interdum gratiæ deesse seu resistere. Et Sess. 24. can. 9. *Si quis dixerit posse omnes matrimonium contrahere qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit: cum Deus id petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari*, Quæ verba similiter indicant dari gratiam quæ semper suum non habet effectum; adeoque gratiam sufficientem.

Probatur 4. ex Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. qui suis in constitutionibus contra Jansenium Iprensem Episcopum editis, quinque condemnarunt propositiones, quarum secunda hæc est, *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*. Quarta vero sic concepta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare*. Quæ propositiones ab iis damnantur ut falsæ & hæreticæ.

Neque ut hanc censuram a præfatis propositionibus quis amoliatur, respondere potest illas esse maxime æquivocas, secundum aliquem sensum falsissimas, & secundum alium verissimas; ita ut omnis gratia interior vel sit habitualis vel actualis: si sermo sit de gratia habituali, propositiones veræ sunt; qui enim peccat mortaliter, is gratiæ habituali resistere censetur: si sermo sit de gratia actuali, vel illa est intellectus vel voluntatis; porro &. resistitur gratiæ intellectus, quando scilicet sola est, & non habet sibi adjunctam & comitem gratiam voluntatis, & aliquo etiam sensu resistitur gratiæ voluntatis, quatenus nempe in hoc statu naturæ lapsæ concupiscentia semper pugnat cum gratia; sed in alio sensu *gratiæ interiori nunquam resistitur*, quatenus gratiæ non resistitur cum victoria, sed concupiscentia semper vincitur a gratia, & quatenus eum semper sortitur effectum ad quem destinata est ex intentione Dei. Atque adeo hic sensus, qui scilicet a Jansenio intentus est, nulla plane censura dignus.

Verum ista interpretatione quantumvis ingeniosa, summorum Pontificum censuræ vis nequaquam eludi potest; quia nempe eo sensu præfatas propositiones condemnant Summi Pontifices, quod in iis asseratur nulli gratiæ interiori actuali voluntatem resistere resistentia proprie dicta, qualis reperitur in homine qui ita gratiæ resistit, ut illa suo careat effectu; non autem resistentia quæ solum consistat in pugna quadam concupiscentiæ cum gratia.

Et ratio est, quia in ejuscemodi propositionibus verba sumi debent in sensu obvio: atqui in sensu obvio & genuino gratiæ resistere idem est, ac ita reluctari ut illa suum non habeat effectum, ad quem scilicet destinata est.

Præterea suis in constitutionibus de ea resistentia agunt summi Pontifices, de qua esse potest aliqua difficultas: atqui de illa resistentia, qua quidem concupiscentia nonnihil pugnat cum gratia, nulla suboriri potest quæstio, nulla difficultas; nemo enim unquam negaverit concupiscentiam hoc sensu resistere gratiæ, sed difficultas esse potest de resistentia quæ ita fit ut repellatur gratia & illum non habeat effectum, ad quem destinata est: ergo in illis Jansenii propositiones

posi-

positionibus asseritur gratiæ interiori nunquam resisti, eo sensu quod gratia quælibet interior suum semper obtineat effectum ad quem destinata est, qui sensus merito condemnatur in constitutionibus summorum Pontificum. Hæc porro fusius explicabuntur in objectionibus.

Probatur denique nonnullis rationibus, quæ manifeste ostendunt dari gratias quæ propter voluntatis contumaciam suo careant effectu.

Prima est, quia facile non intelligitur quomodo vel malitiæ vel torporis & ignaviæ insimulari possint multi homines, immo & corripi quod mandata non servarint, tentationes non superaverint, ac demum secuti non fuerint bonos motus & inspirationes sanctas; nisi revera gratiam interiorem persæpe irritam faciant.

Secunda est, quia vix etiam intelligitur quomodo Deus censeatur velle omnes homines salvos fieri, & Christus mortuus sit pro omnibus & singulis hominibus, quæ ambo postea demonstraturi sumus; nisi detur gratia quædam sufficiens quæ suum non habeat effectum, certum est enim non omnes revera salvari homines, certum est non omnes Christi mortis beneficium recipere.

Tertia est, quia mandata Dei sunt omnibus & singulis possibilia, Deus enim impossibilia non jubet; atqui nisi daretur gratia sufficiens, mandata Dei, meo privato judicio, forent impossibilia multis ea non implentibus, qui omni nempe carerent gratia qua possibilia fierent: certum est enim multos carere gratia efficaci: igitur alia gratia præter efficacem nimirum gratia sufficiens admittenda est.

Solvuntur objectiones.

Objicies nonnulla Scripturæ loca quæ indicant manifeste omnem Dei gratiam esse efficacem. Joan. 6. cap. *Omnis qui audivit a Patre*, inquit Christus, *& didicit, venit ad me*. Ad Rom. 9. cap. *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*. Ad Philipp. 2. cap. *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere*. Eodem modo loquitur Deus apud Prophetas, Ezechiel. cap. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri*, inquit, *& faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia custodiatis & operemini*. In iis certe omnibus locis asseritur gratiam Dei esse efficacem, gratia enim operationis, gratia quæ dat velle & perficere, gratia demum quæ miserentis est Dei non volentis, hoc est, quæ vim suam non mutuatur a voluntate hominis, est gratia efficax: sed talis est gratia de qua fit sermo in præfatis Scripturæ locis: igitur.

Respondeo id unum constare ex istis & similibus locis, dari aliquam gratiam per se efficacem, quæ nempe ducit ad Patrem æternum, quæ miserentis est Dei, & quæ dat velle bonum & perficere; quod ultro nos fatemur; sed nego inde colligi posse nullam dari gratiam pure sufficientem quæ suo careat effectu, cui voluntas humana resistat; hanc quippe gratiam asseruimus luculentissimis momentis ex ipsa etiam Scriptura desumptis. Hæc porro loca, quæ nunc objiciuntur, quoniam nihil virium habent, majori non egent explicatione.

Instabis, primæ ad Corinth. cap. 4. ait Apostolus, *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti?* Atqui si daretur gratia sufficiens duobus hominibus communis, cui unus obtemperaret, alter vero resisteret; profecto qui obtemperaverit, dicet se ab eo se discernere qui gratiæ resisteret: ergo non datur gratia sufficiens.

Dist. min. cui unus obtemperaret sine gratia efficaci, C. cum gratia per se efficaci, N. quantumvis igitur gratiam admittamus sufficientem, cui nem-

pe mali pro sua contumacia resistunt, non ideo tamen contendimus cum Molina eandem gratiam reddi efficacem per consensum voluntatis sine alia gratia, & manere in aliis inefficacem; sed gratiam dicimus sufficientem cui humana resistit voluntas & suo caret effectus; ita ut quicunque bonum operatur, præter gratiam sufficientem, aliam habuerit gratiam per se efficacem; quo fit ut nemo consentiens gloriari possit, quasi ab alio non consentiente se discernat.

Instabis: in illa hypotesi homo se discerneret per non resistentiam ab eo qui resisteret; sed illa non resistentia opus esset liberi arbitrii; neque enim singulis instantibus in quibus homo non peccat, non censetur habere gratiam actualem ad resistendum: ergo.

Dist. maj. se discerneret negative, quo pacto qui non peccat se discernit ab eo qui peccat, C. positive per opus bonum & meritorium, N. porro constat Apostolum loqui de discretione positiva quæ fit per bonum aliquod opus meritorium, ut constat ex verbis immediate sequentibus, *quid habes quod non accepisti?* Adeoque in systemate gratiæ sufficientis nemo se ab alio discernit, qui enim se ab alio discernit negative, non se ullo modo discernit, si proprie loqui velimus.

Objicies autoritatem S. Augustini qui lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. in eo discrimen constituit inter statum naturæ innocentis & statum naturæ lapsæ, quod in statu naturæ innocentis data fuerit primo homini gratia sufficiens, seu, ut ait S. Doctor, adjutorium *sine quo*; in hoc vero statu naturæ lapsæ detur solum gratia efficax seu adjutorium *quo*, cap. 11. *Quid ergo*, inquit, *Adam non habuit gratiam, immo vero habuit magnam sed disparem ..... istam gratiam non habuit primus homo qua nunquam vellet esse malus, sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset ..... tale quippe erat adjutorium quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet; hæc prima est gratia quæ data est primo Adam, sed hac potentior est in secundo Adam*. Capit. 12. *ista adjutoria distinguenda sunt, aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, aliud est adjutorium quo aliquid fit ..... primo itaque homini datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset; nunc non tantum tale adjutorium datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur*. Ergo existimavit sanctus Augustinus nullam dari gratiam sufficientem hoc in præsenti statu naturæ lapsæ.

Nego ant. & dico sanctum Augustinum in eo constituere discrimen utriusque status, quod in statu naturæ innocentis data fuerit gratia sufficiens, in statu vero naturæ lapsæ detur gratia efficax; non autem quasi velit sanctus Doctor in hoc præsenti statu naturæ lapsæ dari *solum* gratiam efficacem; ita ut præter gratiam efficacem, alia nulla detur quæ sit pure sufficiens. Atque hanc fuisse mentem S. Augustini constat.

1. Ex iisdem verbis mox citatis a cap. 12. facta enim divisione utriusque status, & cum cuilibet statui suum assignasset adjutorium, loquens de statu præsenti naturæ lapsæ ait diserte, *nunc non tantum tale adjutorium*, hoc est adjutorium *sine quo* seu gratiam sufficientem; *sed tale ut & ipsa donetur perseverantia*, hoc est gratia efficax; porro, qui dicit nunc non tantum dari gratiam sufficientem sed & efficacem, manifeste supponit dari nunc gratiam sufficientem.

2. Idipsum evincitur ex proposito sancti Augustini, qui quidem eo loci totus est ut gratiæ per se efficacis existentiam & necessitatem commendet ad-

adversus Monachos Adrumetinos, qui vix intelligere poterant ejusmodi gratiam victricem dari secundum propositum Dei uni potius quam alteri; quod ut ostendat sanctus Doctor duplicem distinguit hominis statum, & fassus datam solummodo fuisse gratiam sufficientem in statu naturæ innocentis, contendit in hoc præsenti statu naturæ lapsæ aliam dari gratiam quæ per se efficax est; sed neutiquam in votis habet aliam quamcunque gratiam excludere.

3. Demum id manifestum est ex locis superius adductis, quæ doctrinam sancti Augustini hac in parte abunde patefaciunt.

At inquies, S. Augustinus ibidem supponit gratiam illam Adami quæ nostra est sufficiens, non dari omnibus hoc in præsenti statu; sic enim differit cap. 11. loquens de gratia Angelis data, *nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur; non secundum debitum*. Ergo nullam admittebat gratiam sufficientem pro statu naturæ lapsæ.

Nego consequentiam, ad summum enim ex illis verbis colligi debet S. Augustinum existimasse gratiam sufficientem non dari omnibus & singulis in statu naturæ lapsæ quod quidem recte dici potest, quia cum per gratiam sufficientem hic intelligat auxilium sine quo perseverare non poterant Angeli & primus homo, quod auxilium est motio interior, & posse agere, profecto verissimum est ejusmodi gratiam deesse infantibus qui moriuntur sine baptismo, infidelibus qui de Christo nihil quicquam audierunt, vel etiam quandoque nonnullis obduratis, ut postea dicemus; adeoque non omnibus & singulis dari; sed inde non sequitur sanctum Augustinum nullam omnino admisisse gratiam sufficientem, quin immo id aperte ibidem supponit his verbis *quibus autem datur*.

Præterea non omnino constat sanctum Augustinum ibi loqui præcise & determinate de gratia sufficiente, mihi probabilius videtur illum differere de gratia in genere, ut ostendat in nullo statu hominem potuisse perseverare sine gratia; unde nihil inferri potest ex illis S. Augustini verbis. Et certe vel loquitur de gratia sufficiente vel de gratia efficaci: si de gratia efficaci, adimit solum quibusdam efficacem, quod nemo negaverit; si de gratia sufficiente sermonem habet, profecto dum ait, *quibus tale adjutorium deest*, cum statim addat *quibus autem datur*, aperte significat ejusmodi gratiam non omnibus deesse.

Objiciuntur ab adversariis innumera alia sancti Augustini testimonia; quæ quidem singula præsenti loco adducere non vacat, quoniam in iis nulla occurrit difficultas, hæc ad instar cæterorum proferemus. Libro de Prædest. SS. cap. 6. quærens cur annuntiato Evangelio alii credant, alii non credant, respondet *id venire de misericordia Dei*, qui aliis præparat voluntatem credendi, aliis non præparat. Et cap. 8. *quid est*, inquit, *omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me; nisi nullus est, qui audiat & discat a Patre & non veniat ad me: Si enim omnis qui audivit a Patre & didicit, venit: profecto omnis, qui non audivit a Patre, nec didicit. Nam si audivisset & didicisset, veniret: neque enim ullus audivit, ac didicit & non venit*. Lib. de corrept. & grat. cap. 14. *Deus*, inquit, *cui volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium*. Lib. de gratia Christi cap. 14. *Qui ergo*, inquit, *non venerit, non de illo recte dicitur, audivit quidem & didicit sibi esse veniendum, sed facere non vult quod didicit: prorsus non recte dicitur de isto docendi modo quo per gratiam docet Deus: si enim, sicut veritas loquitur, omnis qui didicit venit; quisquis non venit, profecto*

profecto non didicit. Ex quibus videtur merito posse colligi nullam dari gratiam interiorem quæ suo careat effectu.

Verum meo quidem judicio nihil plane difficultatis est in his & similibus locis, unde enim solummodo sequitur dari aliquam gratiam efficacem, hominis arbitrium non resistere Deo volenti *efficaciter*, ad Deum venire quisquis didicit *efficaciter*, Deum semper facere quod vult *efficaciter*, non autem propterea nullam dari gratiam sufficientem, hoc est cui voluntas resistat, suumque non habeat effectum, vel etiam illum ad quem ab ipso Deo destinata erat.

Atque eodem plane modo respondetur his versibus qui objiciuntur ex S. Prospero de ingratis cap. 15.

At vero omnipotens hominem cum gratia solvat,
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest quæ gesta velit, non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.

Tum & canoni 4. Concilii Arausicani II. sic concepto, *Deus non expectat voluntatem nostram, ut a peccato purgemur*. Hæc enim testimonia dari gratiam per se efficacem probant, aliam vero nullam esse pure sufficientem nec leviter quidem innuunt.

Instabis: eam sententiam non admisit Augustinus, quam ipse diserte impugnavit in Pelagio, atque ut hæreticam damnavit Ecclesia: atqui sententiam de aliqua gratia interiori quæ suum non habeat effectum, quæ leviter tantum præveniat voluntatem, neque det velle & facere, in Pelagio impugnavit S. Augustinus & tanquam hæreticam condemnavit Ecclesia: si enim penitius attendatur ad statum controversiæ quæ mota est Pelagium inter & S. Augustinum, facile intelligetur nonnisi de gratia efficaci disputatum fuisse; Pelagium nullam aliam negasse gratiam; adeoque de alia nunquam disseruisse S. Augustinum. Scilicet Pelagius fatebatur per legem, doctrinam & Christi exemplum juvari nonnihil nostram liberi arbitrii voluntatem, contentus modo si diceretur esse in potestate hominis consentire vel dissentire; atque in eo admittebat gratiam sufficientem; putabat enim fieri aliquam impressionem in ipsis hominum cordibus per ejuscemodi gratias, quæ vulgo dicuntur externæ, quapropter in eo solum peccabat Pelagius, quod diceret voluntatem hominis juvari ad agendum & habere per gratiam posse agere, sed non habere actu velle & perficere; quod cum intelligeret S. Augustinus, id solum urget, ut illam quoque admittat gratiam quæ dat velle & facere, per quam actu credimus, speramus, diligimus. Consuli potest super ea re liber de gratia Christi, in quo fuse describitur systema Pelagii, cap. 10. postquam descripsit gratiam in lege & doctrina positam, qualem admittebat Pelagius, sic habet: *Sed nos eam gratiam volumus, iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur; nec solum revelatur sapientia, verum & amatur; nec solum suadetur omne quod bonum est, verum & persuadetur .... Hanc debet Pelagius gratiam confiteri si vult non solum vocari, verum etiam esse Christianus*. Ergo nullam gratiam agnoscebat S. Augustinus præter gratiam efficacem, idemque fuit apud illum probare Pelagio dari gratiam, & dari gratiam efficacem.

Nego min. & dico Pelagio id vitio vertisse S. Augustinum, & cum Augustino universam Ecclesiam, quod nullam omnino gratiam interiorem sive nullam voluntatis inspirationem agnosceret. Scilicet, ut jam a nobis dictum est, in eo erravit Pelagius, quod aliam Christi gratiam excitantem & illuminantem non admitteret præter legem

legem & doctrinam; ita ut pias voluntatis actiones, pios motus, exclusa qualibet alia Dei ope & gratia, soli libero arbitrio tribueret; unde nullam admittebat gratiam interiorem positam in occulta Dei inspiratione quæ detur homini, præter illam impressionem quam concipimus proficisci posse per exterius ministerium legis & doctrinæ; in quo nempe præcise positus est in materia gratiæ error Pelagianorum.

Porro quamlibet gratiam interiorem negasse Pelagium manifeste docet Augustinus libro de gratia Christi, quem hic nobis objiciunt adversarii; in Pelagio enim id impugnat quod nullam admitteret gratiam præter legem & doctrinam, cap. 10. *Quid manifestius est*, inquit, *nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem atque doctrinam?* Ex eo infert Augustinus futurum, ut salus hominis non sit operatio Dei, ait enim postea; *Nam & sanctæ Scripturæ & docent & exhortantur, & potest esse in docendo & exhortando etiam hominis operatio*. Igitur gratiam nostram interiorem sufficientem non admittebat Pelagius; adeoque non eum propterea passim impugnavit sanctus Augustinus quod admitteret gratiam sufficientem, sed quod nullam esse gratiam interiorem contenderet.

Quod autem in illis cum Pelagio concertationibus volens ostendere gratiæ alicujus interioris necessitatem, iis utatur solum momentis & Scripturæ locis quæ gratiam efficacem indicant; non inde sequitur illum non admisisse gratiam pure sufficientem, quæ sit vera gratia interior præter legem & doctrinam, quam nimirum gratiam colligimus ex innumeris aliis locis; sed in causa fuit quod longe felicius hoc pacto pugnaverit contra Pelagium, quia gratia efficax quæ dat velle & quæ est motus Dei persuadentis & trahentis voluntatem, opponitur e diametro gratiæ externæ legis & doctrinæ quam solam admittebat Pelagius.

Ex quibus facile colligitur graviter hallucinari adversarios, cum dicunt hanc nostram gratiam sufficientem quæ tribuit solum posse & non dat agere, nihil aliud esse quam adjutorium possibilitatis quod admittebat Pelagius & acriter redarguebat S. Augustinus; quia nempe hoc adjutorium possibilitatis ad bonum agendum constituebat Pelagius in sola natura per legem exterius excitata sine ope cujuscunque alterius gratiæ interioris; ut a nobis ostensum est, ubi de hæresi Pelagiana differuimus.

Objicies: gratia sufficiens est ea cui voluntas humana ita resistit, ut illa suum non habeat effectum: atqui non datur ejusmodi gratia cui voluntas humana ita resistat, ut suum non habeat effectum: quia gratiæ interiori semper obtemperat voluntas, per illam semper vincitur concupiscentia: ergo nulla datur gratia sufficiens, si per gratiam sufficientem intelligatur ea quæ suum non habet effectum.

Nego min. & dico gratiæ interiori voluntatem interdum resistere, eo sensu quod suum, ad quam nempe ordinata est, non habeat effectum. Ratio est, quia voluntas humana gratiæ interiori resistit ea resistentia quæ culpabilis est; ea enim ex causa redarguuntur, corripiuntur peccatores quod gratiæ restiterint, ut ostendimus ex Scripturis. Atqui sola resistentia qua voluntas per consensum proprie dictum rejicit gratiam, resistit gratiæ, est culpabilis; resistentia vero quæ in mera voluntatis pugna cum rebellante concupiscentia, non est culpabilis, ut fatentur omnes; idem est enim ac suggestio ad malum cui voluntas non consentit: ergo gratiæ interiori plerumque resistit voluntas, eo sensu quod gratia suum non habeat effectum propter ejusmodi resistentiam.

Instabis: si qua in occasione homo censeretur habere gratiam sufficientem cui

cui resisteret ; maxime quando excitatus a Deo ad aliquod præceptum adimplendum , hæret in solo præceptum adimplendi desiderio, & actu illud non adimplet : atqui homo tunc temporis nulli gratiæ interiori resistit ; ideo enim hæret in solo præceptum adimplendi desiderio , quia habuit solum gratiam desiderii , fecitque quicquid per gratiam sibi datam facere poterat : ergo proprie loquendo homo non resistit gratiæ , quasi gratia non habeat effectum ad quem ordinata est .

Nego min. quia nisi dicatur hominem impedire sua malitia & resistentia effectum ad quem destinata erat gratia, falso utique clamant Scripturæ hominem gratiæ Dei resistere, Spiritum sanctum extinguere, cor suum obdurare; frustra & absurde corripiuntur & puniuntur peccatores; is enim gratiæ Dei & Spiritui sancto non resistit , adeoque non est corripiendus, qui accepta Dei gratia facit id omne ad quod destinata est , & quicquid per illam gratiam Deus intendebat; sed in illo systemate adversariorum homo faceret quicquid potest facere & per illam gratiam intendebat Deus, haberet nempe desiderium adimplendi præceptum : ergo homo resistit gratiæ, non tantum quia ejus voluntas pugnat cum rebellante concupiscentia, sed quia impedit sua malitia ne gratia eum habeat effectum ad quem erat a Deo destinata . Quamobrem falsum est quod dicunt adversarii, ejusecmodi gratiam quæ solum excitat desiderium observationis mandatorum non esse sufficientem & ordinatam a Deo ad ulteriorem effectum, puta ad ipsam observationem mandatorum , aliter enim voluntas non censeretur resistere gratiæ .

Instabis : gratia actualis interior nihil aliud est quam motio voluntatis : sed actualis motio voluntatis non potest suum non habere effectum; non potest enim esse in voluntate quin moveatur ipsa voluntas : ergo implicat dari gratiam interiorem quæ suum non habeat effectum .

Dist. maj. nihil aliud est quam motio voluntatis per modum actus indeliberati, C. per modum actus deliberati & consensus, N. jam explicuimus quid sit gratia actualis, ubi de gratia efficaci dictum est; porro actualis motio voluntatis non potest quidem suum non habere effectum formalem & primarium, qui sit ipse actus voluntatis indeliberatus ; sed potest suum non habere effectum secundarium quem producit per modum causæ efficientis , nempe consensum liberum & deliberatum voluntatis , quem voluntas scilicet denegat excitata per gratiam , & in quo præcise posita est resistentia gratiæ, de qua nunc agitur .

Instabis : posita illa sententia , nempe si detur gratia sufficiens cui possit homo consentire , si velit ; jam gratia Christi non erit per se efficax sed per consensum voluntatis; tum vero erit inefficax & pure sufficiens per ejusdem resistentiam : absurdum consequens; ejusemodi enim doctrina quæ Molinæ est, abunde fuit superius confutata : ergo non datur gratia sufficiens cui humana voluntas resistat pro nutu & arbitrio .

Nego maj. etiamsi enim detur gratia sufficiens cui possit homo consentire si velit , & cui interdum resistat , impediens ne illa suum habeat effectum ; tamen certum est hominem nunquam ei consensurum nisi accipiat a Deo aliam gratiam fortiorem , quæ dicitur gratia victrix & per se efficax . Quamobrem duo hæc inter se non pugnant , & quod detur gratia per se efficax , & quod alia detur pure sufficiens quæ suum non habeat effectum ; adeoque hæc nostra sententia de gratia sufficiente , necessario non est cum Molinæ opinione conjuncta .

Instabis : si gratiæ sufficienti nemo possit actu consentire sine alia fortiori gra-

gratia, profecto ejuscemodi gratia quæ dicitur sufficiens est illusoria, erit nempe sufficiens & non erit sufficiens; erit quidem sufficiens ex hypothesi, & non erit sufficiens; nam illud neutiquam dici potest ad agendum sufficiens, præter quod aliud absolute necessarium requiritur: atqui præter gratiam illam quæ dicitur sufficiens, requiritur alia quæ sit fortior & per se efficax: ergo.

Nego maj & dico ejuscemodi gratiam proprie loquendo fore sufficientem; ad probationem vero dist. ma. illud non est sufficiens præter quod aliud requiritur necessarium, si requiratur per se & ratione principii agentis, C. per accidens & ratione subjecti, N. Porro præter gratiam sufficientem necessaria quidem est ad agendum alia gratia fortior; quæ nempe per sese sit efficax, sed illud se tenet ex parte subjecti; adeoque per accidens, in quantum gratia illa quæ ex se & ex natura sua virtutem habet operandi effectum, hunc tamen non operatur quia resistit subjectum, quia reperitur in subjecto nimium obsistente; delectatio est nempe quæ per se & ex natura sua absolute sufficientem habet virtutem trahendi voluntatem, sed quæ tamen rebellem concupiscentiam non vincit propter nimiam resistentiam actualem & contumaciam voluntatis; unde fit ut secundum se spectata possit & debeat dici gratia sufficiens, tametsi cum ea homo non agat actu, quod quidem per accidens se habet ad ipsam gratiam, potest enim agere.

Instabis: sequitur ex illa responsione gratiam hanc sufficientem, vero nomine dici non posse sufficientem, habita saltem ratione præsentis status naturæ lapsæ & consequenter ad peccatum originale; siquidem ut foret sufficiens in præsenti statu talis esse deberet, ut posset vincere concupiscentiam, ut fortior esset concupiscentia: atqui ex concessis ejuscemodi gratia non est fortior concupiscentia, vincere non potest concupiscentiam sine alia gratia quæ sit per se efficax: ergo habita ratione præsentis status naturæ lapsæ non esset vero nomine sufficiens. Cum porro quærimus, utrum detur gratia sufficiens, id intelligitur non de gratia quæ fuisset sufficiens & suum habuisset effectum in statu naturæ innocentis, in quo nulla debellanda fuisset concupiscentia; sed an sit hoc in statu naturæ lapsæ gratia proprie loquendo sufficiens.

Nego sequelam, ad cujus probationem nego min. & dico ejusmodi gratiam sufficientis esse virtutis, ut per eam vinci possit concupiscentia etiam habita ratione præsentis status naturæ lapsæ & consequenter ad peccatum originale, quantumvis sine alia gratia per se efficaci hominis conversionem non operetur quam operari potest. Videlicet eo fine data est a Deo ut per eam homo in præsenti naturæ corruptæ statu positus possit servare mandata, tentationes superare &c. quæ quidem ipsi forent absolute loquendo impossibilia, nisi præditus esset gratia vere sufficiente quæ veram agendi potentiam conferret, unde per accidens est & propter liberam voluntatis humanæ resistentiam quod ejusmodi gratia suo, ad quem destinata est, careat effectu.

Instabis: supponit illa responsio, quæ totius systematis fundamentum est, hominem proprie loquendo resistere gratiæ, & culpabiliter impedire ne gratia suum habeat effectum: atqui proprie loquendo dici non potest hominem resistere gratiæ & culpabiliter impedire, ne gratia suum habeat effectum; ille enim proprie loquendo & ex culpa sua non resistit gratiæ, in cujus potestate non est gratiæ non resistere nisi per gratiam aliam fortiorem & efficacem, quam Deus non largitur omnibus: atqui non est in potestate hominis non resistere gratiæ nisi per gratiam aliam fortiorem, nempe per gratiam efficacem quam Deus

non largitur omnibus: ergo proprie loquendo, homo non censetur resistere gratiæ; eique culpabiliter non resistit.

Nego min. nisi enim homo interdum resistat gratiæ, falso dicitur in Scripturis hominem resistere Spiritui sancto, Deo vocanti renuere, cor suum obdurare, &c. quæ quidem & similia in sacris codicibus passim leguntur.

Quod vero subjungitur, non esse in potestate hominis absque aliqua gratia efficaci non resistere gratiæ, omnino falsum est. Siquidem potest homo saltem per aliquod tempus non rejicere actu aliquo formali & positivo voluntatis gratiam sufficientem, nulla ex necessitate illi resistit, illi ponit obicem; ideoque, licet ad obtemperandum ejusceemodi gratiæ alia quædam gratia nempe efficax requiratur, est tamen in potestate hominis sine gratia efficaci illam non respuere; quo fit ut homo censeatur ex culpa sua gratiæ sufficienti resistere, & libere peccare.

Atque hinc colligere est quam a vero alienum sit dicere, gratiam sufficientem, quæ scilicet suum nunquam obtinet effectum, nonnisi augendis hominum peccatis inservire, quia bonum cum ea nunquam operantur, eique resistendo evadunt sceleratiores & majori damnatione digni. Certe si quid virium haberet istud argumentum, probaret etiam conciones, exhortationes, correctionem fraternam, aliasque gratias externas omnino contemnendas, velut scelerum incitamenta quæ majorem nobis accersunt damnationem; ii enim gravius peccant qui ejuscemodi auxiliis legem infringunt, tametsi ad bene agendum præter illa requiratur gratia efficax: atqui nec ipsi volunt adversarii gratias externas esse propterea contemnendas; ergo nec rejici debet gratia sufficiens, tametsi suum non habeat effectum; nimirum id contingit per accidens & præter ipsius gratiæ exigentiam, quia volumus nos a gratia deficere, eique resistere. Quemadmodum igitur nonnisi absurde diceretur concionator nos ad peccatum propellere, ita ut causa sit nostræ damnationis; sic divina gratia tametsi pure sufficiens male dicitur in perniciem nostram data, quæ videlicet per se & ex natura sua impellit nos ad bene agendum. Unde non est quod Deum hac in parte accusemus, quem immo exorare debemus humiliter, ut, qui gratiam sufficientem largitus est, uberiorem & per se efficacem subministret.

Neque etiam audiendus hic Jansenius Iprensis qui ait nihil monstro similius esse, quam istud adjutorii genus quod suum effectum habere potest, quem tamen ab initio lapsus primi hominis usque ad ultimum judicii diem non habuit aut habebit: namque ejuscemodi gratia sufficiens, licet suum propter malitiam hominis non obtineat effectum; tamen eo fine datur a Deo, ut illum tandem consequatur; quo fit ut monstrum dici non debeat illud auxilium, cui etiam nisi ex parte hominis ponatur obex, semper conjungitur gratia efficax.

Objicies: ea gratia admitti non debet quæ homini prorsus inutilis est: sed gratia sufficiens homini plane inutilis est, saltem in systemate superius asserto, quo nimirum dictum est præter gratiam sufficientem, quæ solummodo dat posse agere, non dat ipsum velle & perficere, necessariam esse quandam gratiam per se efficacem, cum præsertim addatur hanc gratiam per se efficacem non dari meritis hominum, non labori, non conatibus, non dispositionibus, non denique ipsius gratiæ sufficientis cooperationi, sed ex mero & gratuito Dei beneplacito: his enim positis, quæ apud Theologos certissima sunt, gratia sufficiens est omnino inutilis & otiosa: igitur rejicienda est.

Respond. hanc ratiocinationem, quæ prima fronte aliquid roboris & momenti ha-

habere videtur, ruere penitus, si dicatur ex defectu & culpa hominis esse, quod, qui habet auxilium sufficiens ad bene agendum, non habeat gratiam illam efficacem insuper necessariam ad quodlibet opus bonum. Est aliquo sensu, ut opinor, in potestate hominis habere gratiam efficacem, non quod illa gratia detur meritis, gratia enim non ex operibus: sed eo sensu quod quandoquidem gratiæ sufficientis motioni resistit, Deus qui sincere vult illum salvare, aliam gratiam nempe per se efficacem; hæc hujus opinionis sunt momenta.

Primum petitur ex illis omnibus quæ ad probandam hanc nostram conclusionem de gratia sufficiente adduximus; vix enim aliter intelligi posset, quomodo redarguuntur homines quod gratiæ resistant sufficienti, quorsum enim gratiæ sufficienti obtemperarent, nisi consequenter Deus gratiam efficacem ipsis largiretur? Quomodo Deus censeatur velle omnes homines salvos fieri, & Christus dicatur mortuus pro omnibus & singulis, nisi postquam Deus dedit gratiam sufficientem vi illius voluntatis antecedentis, det quoque gratias efficaces gratiæ sufficienti cooperantibus. Denique vix intelligitur, ut opinor, quomodo Deus non jubet impossibilia, si cum semel justificati bene utuntur illa gratia sufficiente, qua mandata Dei ipsis possibilia fiunt, Deus illis non impertiat gratiam efficacem.

Secundum momentum petitur ex S. Augustino qui, uti & alii SS. Patres, quorum loca supra commemoravimus, in culpam & vitium hominis refundit quod non bene operentur, peccatorum quod non convertantur, & justorum quod non perseverent: insigne est quod scribit lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 17. his verbis: *Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat... ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam superbiam judicandi & erudiendi, si filii sint misericordiæ. Unde Jeremias cum dixisset, Scio Domine quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos, continuo subjunxit, Corripe me Domine, veruntamen in judicio non in furore tuo. Tanquam diceret, scio ad corruptionem meam pertinere, quod minus abs te adjuvor, ut perfecte dirigantur gressus mei, &c.* Ubi docet S. August. culpæ hominis esse, quod per gratiam efficacem non adjuvetur, *qua ut non adjuventur in ipsis itidem* hominibus *causa est*. Quod iterum manifeste inculcat his verbis, quibus mentem Jeremiæ interpretatur, *tanquam diceret, scio ad corruptionem meam pertinere quod minus abs te adjuvor*.

Idem probatur ex S. Thoma qui l. 3. contra gentes c. 159. scribit hominum culpæ imputandum, quod non habeant Dei gratiam, tametsi illam nec mereri nec acquirere possint: *Licet aliquis*, inquit, *per modum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, neque acquirere possit, potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat: dicitur enim de quibusdam Job 21. dixerunt Deo, Recede a nobis & scientiam viarum tuarum nolumus*. Et Job. 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini, & cum hoc sit in potestate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. ad Timoth. 2. sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant, sicut sole mundum illuminante in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod* ma-

malum sequatur, *licet videre non possit, nisi lumine solis sit præventus*.

Rem adhuc clarius & in propriis terminis exprimit quæst. 3. de malo dicens, *Quod ex indispositione hominis provenit, ut motio primi moventis non sit perfecta, ita ut perfectam operationem producat, quæ indispositio vel est præcedens peccatum, vel est error, ignorantia vel saltem inadvertentia, propter quorum aliquod motio Dei moventis sufficienter ad bonum non fit ita efficax, ut perfectam in homine operationem producat, quæ omnia relata ex culpa hominis sunt*. Consuli etiam potest t. 2. q. 112. art. 3.

Legitur eadem doctrina in Concilio Tridentino sess. 6. c. 13. ubi testantur expresse Patres Tridentini, spem firmam debere omnes justificatos habere, sibi non defuturum gratiæ perseverantis donum, si prius ipsi non defuerint gratiæ: *Quamvis*, inquiunt, *nemo sibi aliquid de eo absoluta certitudine sibi polliceatur, tamen in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent, Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere*. His verbis, Deus dabit *velle & perficere*, manifeste significatur gratia efficax; sed ex Concilio Tridentino Deus operabitur illud velle & perficere in iis qui gratiæ non defuerint: igitur habentibus gratiam sufficientem ad perseverandum, idcirco gratia a Deo denegatur qua perseverent, quia gratiæ sufficienti ipsi defuerunt.

Ex his autem momentis recte intellectis facilius solvitur argumentum quod hoc in negotio proponi solet; non potest, inquiunt, legitime imputari hominibus quod bonum non operentur, quod urgentibus tentationibus non resistant, quod mandata Dei non impleant, quod denique in bono non perseverent; quandoquidem ea præstare non possunt sine auxilio gratiæ efficacis, quam homines in sua potestate non habent: atqui certum est hominem in sua potestate non habere gratiam efficacem quæ nec datur meritis, nec denegatur propter demerita, sed a sola Dei voluntate & arbitrio dependet: igitur, inquiunt, homines in illo systemate nullo modo sunt culpabiles.

Respondetur enim in hac nostra sententia, revera neminem mereri posse vel acquirere gratiam efficacem, gratia enim non datur meritis, gratia non ex operibus; legitimum tamen nobis videri locum affirmandi fore ut homini denegetur a Deo gratia efficax, quia gratiæ sufficienti resistit; quod sufficit, ut ipsi merito imputetur, quod gratia efficaci careat.

At, inquies, homini imputari non potest id quod ab alterius voluntate dependet: sed a voluntate Dei dependet dare gratiam efficacem: igitur.

Dist. maj. si ille a quo dependet hoc beneficium non sit paratus illud dare homini nullum impedimentum apponenti, C. si sit paratus, N.

Aut aliter, homo cui datur gratia sufficiens, non habet propterea in sua potestate gratiam efficacem quæ tamen necessaria est ad bene operandum, non habet, inquam, in sua potestate, ita ut per actum aliquem illam mereatur aut sibi acquirat, C. quasi denegaretur a Deo gratia efficax si non resisteret sufficienti, N. solutio satis superque patet ex dictis.

Instabis, oppositum manifeste docet S. Augustinus Epist. 217. quæ est ad Vitalem ubi sic habet: *Quomodo dicitur omnes homines gratiam fuisse accepturos, si non illi quibus non donatur, eam sua voluntate respuerent, quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri, cum multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriantur qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur*. Lib. 2. de peccatorum meritis & re-

remiss. cap. 5. *Cur illum*, inquit, *Deus adjuvet, illum non adjuvet, illum tantum, illum autem non tantum, istum isto, illum illo modo, penes ipsum est, & æquitatis tam secretæ ratio & excellentia potestatis*. In primo loco August. aperto marte hanc nostram sententiam impugnat, qua dicimus homines gratiam fuisse accepturos, nisi illam respuerent, illi resisterent. Ait insuper in alio loco non esse aliam causam cur Deus gratia quosdam adjuvet, alios vero non adjuvet, præter ipsius voluntatem & potentiam: igitur fallo præsumitur futurum ut, qui gratiæ sufficienti non resisteret, gratiam postea efficacem haberet.

Respondeo hunc priorem S. Augustini locum non adversari nostræ sententiæ; verum enim & certissimum manet quod diximus, gratiam dari iis qui nullum ipsi ponunt impedimentum, quia adulti acta per voluntatem contrariam resistunt, infantes vero per culpam originalem; scilicet Augustinus illorum videtur sententiam impugnare qui dicebant omnes universim homines gratiam fuisse accepturos, qui contrariam non habent voluntatem, quasi nulla haberi deberet ratio parvulorum; unde hoc exemplo utitur, ut ostendat illorum propositionem esse falsam.

Quod spectat alium locum e libro de peccat. merit. depromptum, hoc unum ibi docet S. Augustinus nullam esse causam ex parte hominis, cur ex duobus unum vocet, alium non vocet, illudque in solam Dei voluntatem refundendum, sed inde non sequitur falsum esse quod dicimus Deum dare gratiam efficacem iis qui gratiæ sufficienti non resistunt, hac enim posita nostra sententia adhuc in potestate Dei est gratiam suam dare ad nutum uni potius quam alteri, uno aut altero modo, saltem si supponatur duos esse homines æqualiter dispositos; immo in tali hypothesi quod Deus gratiam suam largiatur uni potius quam alteri, nulla est causa præter absolutam Dei voluntatem.

Instant quidam Theologi, resistentia gratiæ sufficienti non est causa cur denegetur gratia efficax, si talis resistentia sequatur negationem gratiæ efficacis: atqui resistentia qua respuitur gratia sufficiens, sequitur negationem gratiæ efficacis; quisquis enim haberet gratiam efficacem ad obtemperandum gratiæ, eo ipso obtemperaret, & ideo gratiæ sufficienti resistit, quia non habet gratiam efficacem necessariam ad obediendum: igitur resistentia qua resistitur gratiæ sufficienti causa non est cur Deus deneget gratiam efficacem.

Dist. maj. si propterea negatio gratiæ efficacis sit causa proprie dicta resistentiæ qua respuitur gratia sufficiens, C. si proprie non sit illius causa, N. revera resistentia qua respuitur gratia efficax, sequitur negationem gratiæ efficacis, & quicunque habet gratiam efficacem ad obediendum gratiæ, ipsi obedit; quicunque non habet, infallibiliter resistit; sed non inde sequitur negationem gratiæ efficacis quatenus fit a Deo, causam esse cur homo resistat graiæ sufficienti. Et ratio est quia prima ac proprie dicta causa resistentiæ qua quis gratiæ sufficienti resistit, est prava ipsius resistentis voluntas; Deo autem imputari non debet ejusmodi resistentia, eo præcise quod gratiam non dedit efficacem ad non resistendum: quia universim loquendo, causæ non aliter operanti quam non removendo prohibens effect s non debet imputari, modo aliunde non teneatur removere prohibens; sed in isto casu Deus est solummodo removens prohibens, & aliunde non tenetur ex officio removere prohibens, nemini enim tenetur dare gratiam efficacem, ut fatentur omnes Theologi; igitur denegatio gratiæ efficacis non est causa resistentiæ quæ fit gratiæ sufficienti; sed contra resisten-

ſtentia qua reſpuitur gratia ſufficiens, cauſa eſt cur denegetur gratia efficax.

Quamobrem veriſſimum eſt univerſim loquendo de omnibus & ſingulis hominibus, ſive de pueris qui nondum ſuſcepto baptiſmate moriuntur, ſive de adultis, juſtis vel peccatoribus, ſive demum de infidelibus, in culpa eorum eſſe non autem in Deum eſſe refundendum quod carent gratia efficaci; quanquam impedimenta hæc quæ ponuntur ab hominibus, diverſa ſint pro diverſa eorum conditione, infantibus denegetur gratia efficax propter peccatum originale, adultis propter contrariam voluntatem & actualem reſiſtentiam, uti jam expoſitum eſt.

Objicies denique, non alia admitti debet gratia quam quæ petitur a Deo in precibus Eccleſiæ: ſed ſola efficax a Deo petitur in precibus Eccleſiæ: igitur.

Neg. min. Non modo enim petimus a Deo illud gratiæ genus, ſed etiam aliud quo poſſimus bene agere, ut patet ex nonnullis Eccleſiæ precibus.

Quid ſit gratia ſufficiens.

CUm gratiæ ſufficientis exiſtentiam demonſtravimus præcedenti articulo, eam ſpectavimus ſolum prout eſt gratia quædam cui voluntas humana reſiſtit, quæque propterea ſuum non habet effectum, videlicet eum ad quem deſtinata erat. Nunc autem inquirimus quid aliunde ſit illa gratia quæ ſuo careat effectu, quænam ſit ejus natura, quæ ſit ejus virtus & efficacia, quem denique illa producat effectum.

Variæ ſunt ſuper illo negotio Theologorum opiniones, quemadmodum & diverſæ ſunt in explicanda natura & eſſentia gratiæ efficacis; hæc enim duo maxime conjuncta ſunt.

Prima ſententia eſt Molinæ, qui quidem, ut jam diximus, docuit gratiam ſufficientem per ſe, proxime & ſine alio quovis divinæ gratiæ adjumento ita complere potentiam ad agendum, ut alia gratia fortiori & per ſe efficaci opus non ſit ad quoslibet pietatis actus producendos, immo & ad actum perſeverantiæ finalis; ita ut hæc gratia perſæpe ſuum habeat effectum, accedente videlicet voluntatis noſtræ conſenſu; aliquando autem ſuo careat effectu propter diſſenſum & reſiſtentiam voluntatis; in quo differt a gratia per ſe efficaci quam admittunt alii Theologi, gratia enim per ſe efficax certo & infallibiliter operatur, ſecus autem gratia ſufficiens.

Secunda ſententia, huic non parum affinis, eſt quorumdam Theologorum qui naturam gratiæ ſufficientis eodem modo explicant, ac Molina, ita ut tamen putent eam ſolummodo concedi a Deo ad actus aliquos faciles immediate producendos, & inſuper ad impetrandam uberiorem gratiam per orationem; ad cæteros vero omnes pietatis actus requiratur gratia per ſe efficax.

Tertia ſententia eſt Thomiſtarum qui contendunt gratiam ſufficientem natura & ſpecie differre a gratia per ſe efficaci. In illa ſententia gratia ſufficiens dat ſolum poſſe agere, non dat ipſum agere; illa quidem habere poteſt effectum, ſed illum de facto nunquam habet, idque defectu gratiæ efficacis phyſice prædeterminantis.

Si autem quæratur a Thomiſtis utrum ejuſmodi gratia ſufficiens conferat proximam & completam potentiam ad agendum, quidam reſpondent affirmative, & gratiam ſufficientem ſecum importare potentiam agendi perfectam & completam in genere potentiæ, quia homini talem gratiam habenti nihil deeſt ex parte potentiæ ſeu actus primi, auxilium enim prædeterminans phyſice neque ſe tenet ex parte potentiæ, ſeu actus primi, neque ex parte actus ſecundi, eſt enim cauſa quare

vo-

voluntas actu operetur, datur h mini ut agat; gratia autem sufficiens ut possit agere. Alii autem negant per gratiam sufficientem dari potentiam agendi proximam & completam; quatenus præter ejusmedi gratiam, necessarium est auxilium prædeterminans, quod ultimum complementum dat potentiæ; facit enim ut actus ponatur; qua in re aut nihil aut parum differunt inter se illi Theologi, qui hoc unum docere volunt præter gratiam sufficientem; ad singulos pietatis actus necessariam esse gratiam per se efficacem in motione quadam physica positam.

Quarta sententia est aliorum communiter Theologorum qui hoc idem sentiunt quod Thomistæ, hoc excepto quod non admittunt gratiam per se efficacem physice prædeterminantem. Scilicet ajunt gratiam sufficientem dare solum posse agere; non ipsum agere. In illa sententia gratia sufficiens dat potentiam agendi perfectam, proximam, completam in genere potentiæ, id est homini talem gratiam habenti nihil omnino deest ex parte potentiæ, quanquam ex parte actus secundi, hoc est ut ponatur actus, requiratur gratia per se efficax, quæ quidem gratia nonnisi moraliter agendo voluntatem nostram determinat, quam sententiam nos amplectimur.

Prætetire hic non possum non ita pridem prodiisse quemdam libellum gallico idiomate scriptum; cujus autor novum systema protulit de gratia sufficiente; nimirum ait præter gratiam per se & ab intrinseco efficacem ad singulos pietatis actus necessariam, admittendam esse quandam gratiam sufficientem quæ omnibus & singulis datur; eaque posita est in cognitione primorum legis naturalis principiorum in cordibus omnium hominum impressa; quam sententiam de natura gratiæ sufficientis probat ille Scriptor ex his Scripturæ testimoniis. Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Et Joan. 1. cap. *Et lux in tenebris lucet & tenebræ eam non comprehenderunt*. Tum vero ex SS. Patribus qui hoc generale & omnibus hominibus commune lumen haud dubie agnoverunt.

Hac certe sententia nihil fingi potest absurdius. Quia nempe gratia sufficiens intelligitur ab omnibus & juxta communem omnium Theologorum notionem; donum esse quoddam supernaturale præter dona creationis, naturam scilicet, potentias, & vim agendi cuibet homini insitam, donum vero fluens a meritis Christi: sed in isto systemate gratia sufficiens est mere naturalis, ut per se patet; est enim posita in lumine naturali omnibus a natura insito, est, ut ait hic Theologus, in Americano qui de Christo nihil quicquam audivit; quatenus rationem habet naturalem qua turpe discernit ab honesto, bonum a malo: igitur absurde omnino gratiam sufficientem designat ac definit hoc recens systema.

His positis antequam nostram super ea re sententiam stabiliamus, aliæ primum paucis rejiciendæ sunt.

Prima Conclusio.

Rejici debet sententia Molinæ dicentis gratiam sufficientem dari ad quoslibet pietatis actus immediate producendos; ita ut præter illam non requiratur gratia per se efficax.

Patet hujus conclusionis veritas ex iis omnibus quæ a nobis adducta sunt ad probandam gratiæ per se efficacis necessitatem, quæ quidem hic repetere nihil necesse est.

Secunda Conclusio.

Rejicienda quoque est sententia eorum qui dicunt, gratiam sufficientem ex se interdum suum consequi effectum

sine

sine adjumento gratiæ per se efficacis, tum ad facilia quædam implenda, tum ad uberius Dei auxilium implorandum.

Ratio est, quia in ista sententia gratia per se & ab intrinseco efficax, non est necessaria ad singulos pietatis actus, sed per se sola sufficit gratia sufficiens, tum ad facilia quædam adimplenda, tum ad implorandum uberius Dei auxilium: sed ejusce modi sententia admitti nequaquam potest; quæcunque enim attulimus tum ex Scripturis sacris, tum ex SS. Patribus ad evincendam gratiæ per se efficacis existentiam, manifeste probant hanc gratiam efficacem ad omnes & singulos pietatis actus, nullo excepto, esse necessariam; de illa distinctione observatu faciliorum & orationis qua imploretur Dei gratia efficax, ab aliis omnibus pietatis & justitiæ actibus ne minimum quidem habetur verbum.

S. Paulus ad Rom. cap. 9. *Non est volentis neque currentis sed miserentis est Dei*. 1. ad Cor. 4. *Quis te discernit, quid habes quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et cap. 12. *Deus qui operatur omnia in omnibus*. Ad Philippenses cap. 2. Deus est enim, *qui operatur in vobis velle & perficere*. Certe si homo cum gratia mere sufficienti sine gratia per se efficaci facilia adimplet, si orat Deum ejusque uberiorem gratiam implorat, jam volentis est hominis & currentis, jam Deus non operatur omnia in omnibus, jam Deus non operatut velle & perficere, nisi addatur in difficilibus, quod certe non addit Apostolus qui generaliter pronunciat in his locis omnem bonam voluntatem nostram esse a Deo, & consequenter bonam voluntatem in facilioribus adimplendis & in oratione quæ ipsa est quoque gratiæ per se efficacis effectus.

Hoc loco non urgemus ista Scripturarum testimonia adversus Molinam, ut gratiæ efficacis existentia & necessitas evincatur, quod certe abunde a nobis supra præstitum est, sed eo fortius est hoc ratiocinium in præsenti controversia, quod rem habemus cum Theologis qui fatentur dari gratiam per se efficacem ad omnes pietatis actus difficiliores necessariam, iisdemque Scripturæ locis quæ mox adduximus, utuntur adversus Molinam; sic autem invicte, ut puto, argumentari juvat adversus illos Theologos, aut ista Scripturæ testimonia, nihil omnino efficiunt ad probandam gratiæ efficacis necessitatem; aut ex iis conficitur talem gratiam esse ad singulos omnino pietatis actus necessariam, gratis enim fingitur ea distinctio quam apponunt actionum faciliorum ac difficiliorum, ubi Scripturæ loquuntur generatim & nulla facta restrictione: sed fateri non audent isti Theologi præfata Scripturæ testimonia non probare gratiæ efficacis necessitatem; iisdem enim utuntur, cum disputant adversus Molinam, & gratiæ per se efficacis necessitatem ad plurimos pietatis actus probant: ergo fateantur necesse est vanam esse hanc distinctionem quam apponunt, & revera gratiam per se efficacem esse necessariam ad omnes & singulos pietatis actus, vel etiam ad faciliora quævis adimplenda & ad implorandum uberius Dei auxilium.

Secundo, fundatissimum est in doctrina S. Augustini discrimen quod statuit inter gratiam quæ fuit Adamo ante lapsum & gratiam quæ datur in hoc naturæ corruptæ statu, positum nempe in eo quo satis erat Adamo in statu naturæ innocentis ad bene agendum & perseverandum habere gratiam sufficientem, in statu autem hoc naturæ lapsæ necessaria est gratia per se & ab intrinseco efficax, satis erat in illo statu habere adjutorium *sine quo*, in isto autem requiritur adjutorium *quo*: hanc fuisse constantissime doctrinam S. Doctoris

ctoris abunde ostendimus ex lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. sed in ista sententia ruit penitus hæc S. Augustini doctrina, totum hoc discrimen gratiæ utriusque status; quandoquidem pleraque bona opera, nimirum facilia, & orationes fiunt sine auxilio gratiæ per se efficacis in hoc statu naturæ lapsæ: igitur hæc Theologorum sententia omnino rejicienda est tanquam sancti Augustini doctrinæ opposita.

His adde alia ejusdem S. Doctoris testimonia quæ ad asserendam gratiæ per se efficacis existentiam adduximus, ea quippe manifeste denotant gratiam per se efficacem absolute necessariam esse, non ad quosdam tantum sed ad omnes & singulos pietatis actus; non solum ad difficiliora sed ad faciliora quævis adimplenda, & nominatim ad initium fidei, ad orationes quibus imploratur divinum gratiæ efficacis auxilium, uti videre est in libris de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ, quod certe in præsenti controversia peremptorium est.

Consuli etiam potest quod scribit Epistola 194. alias 105. ad Sixtum, *Etiam*, inquit, *ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur; quid enim oremus, ait Doctor gentium Rom. 8. sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; quid est interpellat, nisi interpellare nos facit?* Unde sequitur gratiam per se efficacem peræque necessariam esse ad orandum, uti & ad alios pietatis actus; adeoque non admittendam esse hanc sententiam quæ asserit gratiam per se & ex natura sua efficacem, non esse semper necessariam tum ad facilia quædam adimplenda, tum ad uberius Dei auxilium implorandum.

Objicies: ex iis ipsis Scripturæ testimoniis quæ adducta sunt ad probandam gratiæ sufficientis existentiam cui nempe homo interdum resistit, manifeste sequitur hominem eidem gratiæ aliquando non resistere, hoc evincit v. g. testimonium Isayæ, cap. 5. *Quid est*, inquit Deus, *quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Quod certe non diceret Deus, si præter gratiam sufficientem efficax fuisset absolute necessaria ad bonum fructum faciendum.

Dist. ant. aliquando non resistere beneficio gratiæ efficacis, C. sine auxilio gratiæ efficacis, N. quomodo explicandæ sint ejusmodi exprobrationes quibus utitur Deus in Scripturis adversus peccatores, quantumvis gratia efficax admittatur necessaria ad singulos pietatis actus, supra videre poteris, ubi de gratia efficaci disputavimus.

Objicies: multa sunt testimonia apud S. Augustinum, quæ huic systemati apertissime favent.

1. Ea testimonia quibus docet hominem cum gratia aliquid posse & aliquid non posse, posse quod facile est, non posse quod difficile. Nimirum id quod facile est, immediate potest per solam gratiam sufficientem, quod autem difficile est, potest tantum mediante gratia efficaci: sic loquitur v. g. lib. de natura & gratia cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis*. Cap. 69. *eo ipso quo firmissime creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*. Lib. de diversis quæstionibus ad Simplicianum quæstione prima sic habet, *hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam possit implere*. Igitur inquiunt isti Theologi, licet homo cum sola gratia sufficiente totam justitiam adimpleat, id est, omnia Dei mandata non observet, quia nempe in iis observandis graves ut plurimum occur-

runt

runt difficultates, quibus superandis necessaria est gratia efficax, potest tamen semper supplici pietate, id est, oratione petere uberius auxilium.

Idem docet lib. de gratia & libero arbitrio cap. 16. *Ideo jubet Deus aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab eo petere debeamus, ipsa est fides quæ orando impetrat, quod lex imperat. .... certum est enim nos mandata servare si volumus, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus.* Et lib. de corrept. & gratia cap. 2. *Ad hoc eis ostenditur*, inquit, *quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est .... accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt sive omnino non faciendo, sive non ex caritate faciendo, orent, ut quod nondum habent accipiant.*

2. Extant alia passim testimonia quibus sanctus Doctor duplicem distinguit bonam voluntatem, unam parvam & invalidam, aliam magnam & robustam, libro v. de gratia & libero arbitrio cap. 17. sic loquitur: *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam sed adhuc parvam & invalidam, poterit autem, cum magnam habuerit & robustam.* Et lib. 1. ad Simplicianum quæst. 1. *Quid*, inquit, *facilius homini sub lege constituto quam velle bonum & facere malum, nam & illud sine difficultate vult, quamvis non tamen facile faciat quam facile vult.* Ex quibus colligitur voluntatem illam bonam etsi parvam esse a gratia sufficiente; non autem a gratia efficaci, alias robustam & magnam efficeret in homine voluntatem. Porro gratia illa sufficiens in homine infirmo parvam quidem voluntatem & invalidam excitat, qua vellet observare mandatum Dei, sed quia infirmus est, nondum illud reipsa observat, unde sequitur gratiam sufficientem suum interdum consequi effectum.

3. Ex eodem S. Augustino patet homines idcirco peccare, quia non adhibent omnes voluntatis vires, ut peccatum fugiant. Addit aliquando totis viribus voluntatis opus esse ad ea superanda quæ difficultatem aliquam habent adjunctam, lib. 2. de peccatorum meritis cap. 3. *Sed hoc non vident quod ad nonnulla superanda vel quæ male cupiuntur, vel quæ male metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfecte in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridice dici voluit, Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Supponit itaque S. Augustinus aliquando in rebus facilibus opus non esse omni conatu; si enim id non supponeret, non diceret aliquando totis viribus voluntatis opus esse ad difficilia superanda; unde sequitur per solam gratiam sufficientem hominem posse aliquando bonum aliquod operari.

4. Demum objiciunt celebrem illum S. Augustini locum e lib. 12. de civit. Dei cap. 6. desumptum, ubi sanctus Doctor ponit duos æqualiter affectos animo & corpore videre unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicite perfruendum movetur, alter vero stabilis perseverat in voluntate pudica; unde manifeste sequitur gratiam dari in duobus hominibus æqualem, cui unus consentit, alter autem reluctatur: sed ejusmodi gratia est sufficiens quæ suum aliquando habet effectum.

Respondeo universim hoc unum colligi posse ex istis omnibus locis, S. Augustinum admisisse gratias sufficientes simul & gratias per se efficaces, gratias parvas & gratias magnas, gratias quæ dant posse, & gratias quæ dant ipsum agere, neutiquam vero illum existimasse ullam gratiam sufficientem fieri aliquando efficacem, & per eam solam sine gratiæ alicujus efficacis adjutorio actum poni, quod idem est ac si di-

si dicatur gratiam sufficientem per se solam immediate suum producere effectum, quosdam nimirum producere pietatis actus: id certum atque indubitatum manet factis nonnullis observationibus.

Prima est, quia revera ne minimum quidem verbum pronunciat S. Augustinus, quo significet illam gratiam efficacem, quam toties ubique prædicat in illis omnibus libris quos conscripsit adversus Pelagianos, non esse tamen necessariam ad certos actus faciliores producendos tum & ad orandum & implorandum Dei auxilium, sed solummodo necessariam ad actus difficiliores eliciendos, & ad finaliter perseverandum, de his inquam diversis actibus, de illa distinctione nulla mentio apud S. Doctorem, qui passim & ubique declarat generatim & nulla facta restrictione gratiam efficacem, gratiam nempe quæ datur ad actum, gratiam actionis, gratiam qua datur ipsum velle, gratiam quæ est ipsa bona voluntas, charitas &c. hanc inquam gratiam necessariam esse ad singulos pietatis actus nullo excepto.

Secunda est, quia si S. Augustin. existimasset gratiam quandam sufficientem quæ dat solummodo posse agere, non dat ipsum actum, adeoque libero voluntatis nostræ arbitrio quadantenus mancipatur, per se solam immediate producere quosdam pietatis actus, puta faciliora quædam & orationem, nec nisi ad difficiliora opera & finalem perseverantiam requiri gratiam per se, & ex natura sua efficacem, certe hoc non semel respondisset Pelagianis ad compescendas eorum querelas adversus gratiam efficacem; scilicet aiebant illi, posito gratiæ efficacis systemate, absurdas esse increpationes & exhortationes, neminem legitime corripi quod bonum non faciat, quod mandata non observet, quod idem dicebant Monachi Adrumetini, ut constat ex libro de correptione & gratia, & rursus contendebant Massilienses, si hæc gratiæ per se efficacis doctrina locum haberet, studium omne virtutis retundi, laudem detrahi bonis operibus, ac denique sollicitudinem ac zelum salutis penitus evelli. At si existimasset sanctus Doctor, uti pertendunt adversarii, gratiam efficacem, cujus virtute & efficacia illi omnes erant perterriti, non esse necessariam, nisi ad difficilia quæque opera, satis esse habere gratiam sufficientem ad facilia quædam adimplenda, & ad orandum: profecto cum in se suscipit præfatis respondere objectionibus, quæ certissime graves continent difficultates, hanc distinctionem faciliorum & difficiliorum actuum apposuisset, ut hanc de gratia Dei doctrinam illorum hominum captui facilius accommodaret. Verum in iis libris quos composuit præfatis respondens querelis, pergit semper gratiam per se efficacem ejusque ad singulos pietatis actus necessitatem commendare, ad ejusmodi distinctionem actuum faciliorum & difficiliorum nunquam recurrit, immo fatetur persæpe incomprehensibiles esse illas quæstiones, atque exclamandum esse Apostolo, *o altitudo divitiarum & scientiæ Dei, &c.* Non putabat igitur dari ad multos pietatis actus gratiam sufficientem, quæ per se sola, sine ullo gratiæ efficacis adjumento ageret ad facilia quædam implenda, & ad implorandum uberius Dei auxilium.

Tertia observatio quæ, ut jam monuimus, hoc recentiorum Theologorum systema funditus evertit, ex eo petitur quod initium fidei v.g. desiderium salutis, & orationem qua petitur Dei gratia ad aliquod bonum opus perficiendum, expresse & nominatim ab eodem S. Augustino dicuntur effectus gratiæ per se efficacis, gratiæ nimirum quam ubique tanquam donum Dei insuperabiliter movens prædicat; legantur integri libri de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ, quos scripsit ad finem vitæ adversus Massilienses. Cer-

te si quid sit facile observatu inter varios qui ad salutem ordinantur actus, maxime initium fidei & desiderium salutis, tum vero & oratio qua imploratur divinæ gratiæ auxilium; sed utrumque nonnisi per gratiam per se efficacem fieri posse contendit totis viribus sanctus Doctor in duobus supra citatis libris.

Quoad initium quidem fidei totus est in libro de prædestinatione Sanctorum, ut ostendat illud esse a gratia & a gratia quidem efficaci: *Hæc itaque gratia*, inquit cap. 8. *quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Et cap. 9. *Fides igitur & inchoata & perfecta donum Dei est, & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare.* In his verbis quis non agnoscit gratiam per se efficacem?

Quod orationem spectat qua uberius imploratur Dei auxilium, scribit etiam Augustinus illam esse gratiæ divinæ & quidem per se efficacis munus & beneficium, lib. de dono persever. cap. 23. postquam & Scripturis & constanti Ecclesiæ praxi ostendit continuo orandum esse Deum, docet orationem ipsam esse & fieri per gratiam: *Ubi intelligimus*, inquit, *& hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde, & spiritaliter clamemus ad Deum. Attendant ergo quomodo falluntur qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus, & hoc esse dicunt quod gratia præceditur nostro merito, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est petamus, quæramus, atque pulsemus. Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater, quod vidit & beatus Ambrosius, ait enim, & orare Deum gratiæ spiritalis est; sicut scriptum est, Nemo dicit Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.*

Neque dicas ex illis testimonis colligi tantum posse, S. Augustinum agnoscere cujusdam gratiæ vel sufficientis, vel efficacis necessitatem tum ad initium fidei, tum ad orationem, quia nimirum disputat adversus Massilienses, qui hoc utrumque soli libero hominis arbitrio sine gratia operanti ascribebant, sed non inde sequi gratiæ per se efficacis necessitatem inibi probare sanctum Doctorem.

Huic certe adversariorum evasioni nullus esse potest locus, apertum est enim sanctum Augustinum, cum in his duobus libris de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ necessitatem gratiæ probat adversus Massilienses, hanc eandem gratiam iis denotare caracteribus, quibus gratiam per se efficacem agnoscere necesse sit, nam libri de prædestinatione Sanctorum c. 2. loquitur de ea gratia, *quæ efficit omnia bona merita*. Cap. 5. de gratia, *quæ bonos discernit a malis, non quæ communis est bonis & malis*. Et ibidem de gratia ad quam pertinent hæc Apostoli verba: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* Cap. 8. de gratia, *quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Denique de gratia ad quam pertinent hæc Scripturarum testimonia, quæ ad illius necessitatem probandam adhibet sanctus Doctor toto in libro passim, Ezechiel 36. *Ego faciam ut faciatis*. Rom. 9. cap. *Deus, cujus vult miseretur, & quem vult indurat... nam voluntati ejus quis resistit?* Joan. 6. *nemo venit ad me nisi Pater qui misit me, traxerit eum*. 1. Corinth. 3. *non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Quæ quidem Scripturarum loca, etiam fatentibus adversariis gratiam per se ef-

se efficacem manifeste denotant.

Idem vero colligitur ex libro de dono perseverantiæ, ubi enim loqnitur S. Augustin. de gratia ad orandum & implorandum divinæ gratiæ auxilium necessaria, eam dubio procul intelligit, quæ per se & ab intrinseco est efficax, ut colligitur ex cap. 23. *Hæc igitur*, inquit, *quæ poscit a Domino*, *& semper ex quo esse cœpit*, *poposcit Ecclesia; ita Deus vocatis suis daturum se esse præscivit*, *ut in ipsa prædestinatione jam dederit*, *quod Apostolus sine ambiguitate declarat*, *scribens quippe ad Timotheum: Collabora*, inquit, *Evangelio secundum virtutem Dei salvos nos facientis*, *& vocantis vocatione sua sancta*, *non secundum opera nostra*, *sed secundum suum propositum & gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora æterna*, *manifestata autem nunc per adventum Salvatoris nostri Jesu Christi*. Gratia quæ datur a Deo secundum propositum, in mente Apostoli, est gratia per se efficax, ut alibi ostendimus.

Hæc certe abunde sufficiunt ut ostendatur constantem fuisse S. Augustini doctrinam, ad quoslibet pietatis actus producendos & nominatim ad facilia quæque adimplenda, & ad implorandum uberius Dei auxilium, necessariam esse gratiam per se efficacem, sed ne quid hoc in negotio desideretur ab adversariis, juvat ad singula quæ objiciuntur ex eodem sancto Doctore sigillatim respondere.

Ad primum quidem ubi objiciuntur ea testimonia, quibus docet hominem cum gratia aliquid posse & aliquid non posse, non video quid ex ejusmodi locis colligere possint adversarii: inde enim solummodo sequitur nobis adesse gratiam sufficientem qua possumus aliquid, puta petere quod non possumus, quod certe non negamus; sed non sequitur ejusmodi gratiam sufficientem per se solam immediate actus pietatis producere sine adjutorio gratiæ efficacis. Nimirum, ut centies diximus, gratia sufficiens dat posse, ita ut ex parte potentiæ nihil desit, sed non dat agere ipsum, hoc enim pertinet ad gratiam per se efficacem, sic plerique omnes Theologi eum integra divi Thomæ schola loquuntur.

Quod secundo loco opponitur plane nullius momenti est, ex eo quod enim S. Augustinus duplicem agnoscit gratiam, unam parvam, aliam vero magnam; non sequitur gratiam illam parvam, quam placet supponere, gratiam esse sufficientem, suum interdum per se & immediate consequi effectum sine adjumento gratiæ efficacis. Quin potius testatur sanctus Doctor lib. citato *de libero arbitrio*, eum, qui vult facere Dei mandatum & non potest, quique consequenter non habet nisi parvam & invalidam voluntatem, hanc potestatem non habiturum, nisi cum magnam habuerit voluntatem, *poterit autem*, *cum magnam habuerit*, *& robustam*. Quod idem est ac si diceret, hominem in illo casu habere gratiam sufficientem, quando habet voluntatem parvam, sed quæ gratia suum non obtinebit effectum, nisi cum Deus illi dabit voluntatem robustam, hoc est gratiam per se efficacem.

Plus virium non est in tertio momento quod proponitur, fatemur enim majori conatu opus esse in rebus difficilibus & cum occurrunt graves superandæ difficultates, minori autem opus esse labore & conatu in facilioribus, sed non video ex eo colligi posse gratiam sufficientem per se & immediate sine gratia efficaci producere actus faciliores, contrarium enim supra demonstravimus.

Denique quod spectat ultimum argumentum ex lib. 12. de civitate Dei depromptum, lectorem remittimus ad præcedentem dissertationem nostram de gratia efficaci, ubi hunc locum fuse satis & ut par est explicuimus.

Objiciunt insuper adversarii, cum gratia sufficiens veram ac propriam agen-

di potentiam homini conferat, non potest intelligi quomodo effectum suum potest semper producere, & tamen illum nunquam producat; ergo hæc tenenda est sententia quæ docet ejusmodi gratiam aliquando suum producere effectum, aliquando vero non producere.

Respond. 1. ex ejusmodi argumentis in mero & vano ratiocinio fundatis judicandum non esse, gratiam sufficientem per se & immediate quosdam pietatis actus producere sine ullo gratiæ cujusdam efficacis adminiculo, cum aliunde tot validissimis Scripturarum & Patrum autoritatibus evincatur gratiam efficacem ad omnes & singulos pietatis actus esse necessariam. Certe non audiuntur Jansenii Iprensis defensores, eum eandem gratiam sufficientem alio prope simili ratiocinio eliminant, ajunt scilicet quamlibet gratiam esse efficacem & suum proprium habere effectum, quia, inquiunt, datur a Deo sincere volente hanc gratiam talem producere effectum; hæc inquam & similia ratiocinia respuunt adversarii cum aliis Theologis, quia nimirum ex Scripturis, Patribus & Conciliis manifeste constat quandam dari gratiam quæ suo privatur effectu, & cui voluntas hominis resistit; scilicet in istis rebus quæ religionem spectant, autoritati cedere debet ratio.

Respondeo 2. negando antecedens, idque confirmari posse nonnullis exemplis quæ retulit S. Augustinus quæstioni prope simili respondens libro de spiritu & littera cap. 1. ubi cum docuisset hominem sine peccato mediante divina gratia vitam integram transigere posse sine ullo peccato, quamvis id nemini concessum fuerit præter Christum, & B. V. eidem objectioni sic respondet: *Qua ratione aliquid esse possit, cujus tamen exemplum deest, quod nunquam factum est vel fiet, absurdum inquit tibi videtur, cum, sicut credo, non dubites nunquam esse factum, ut per foramen acus camelus transiret, & tamen ille hoc quoque dixit Deo esse possibile, legas etiam duodecim millia Angelorum pro Christo, ne pateretur, pugnare potuisse, &c.* Igitur, licet gratia sufficiens dicatur veram ac plenam agendi potentiam conferre, non inde colligi debet eam per se & immediate suum quandoque consequi effectum absque gratiæ alicujus adminiculo.

Objicies: quælibet actio bona adjunctam semper non habet aliquam gravem difficultatem: ergo saltem ad ejusmodi actionem producendam satis erit, si detur a Deo gratia sufficiens, nec requiritur gratia per se efficax.

Nego conseq. ostendimus enim & validissimis quidem momentis ad singulos pietatis actus sive faciles sive difficiles necessariam esse gratiam per se efficacem. Certe præfato ratiocinio utebantur Semipelagiani, ut probarent saltem ad initium boni operis & ad orationem seu desiderium salutis gratiam Dei non esse necessariam; facile est enim, inquiebant, homini velle & desiderare salutem, non potest quidem ægrotus sibi procurare sanitatem sine medici adjutorio, sed potest saltem propriis viribus desiderare sanitatem & quærere medicum. Quid respondet S. Aug. libris de prædestinat. SS. & de dono perseverantiæ? Respondet & ipsum salutis desiderium & ipsam orationem qua interpellatur medicus, ipsam primam cogitationem de sua salute, esse a Deo per gratiam Jesu Christi, id nimirum declarante Scriptura quæ docet omnem sufficientiam nostram ex Deo esse, ita ut non simus idonei cogitare quidquam ex nobis; quæ docet Deum misereri cujus vult, & indurare quem vult; quæ denique docet Deum operari omnia in omnibus, velle nimirum & perficere; quod dubio procul intelligit S. Doctor de gratia per se efficaci, quæ tribuitur ut duritia cordis auferatur.

TER-

Tertia Conclusio.

Non placet etiam sententia Thomistarum qui dicunt gratiam sufficientem effectum suum nunquam habere defectu auxilii physice prædeterminantis. Eum tamen modum explicandi naturam gratiæ sufficientis idcirco tantum rejicimus, quod desiderant auxilium gratiæ physice prædeterminans propter rationes jam a nobis adductas, quibus prædeterminationem Thomisticam supra refellimus disputando de essentia gratiæ efficacis.

Quarta Conclusio.

Admittenda est sententia quæ docet gratiam sufficientem posse quidem habere effectum, sed nunquam habere defectu gratiæ efficacis moraliter moventis ac determinantis voluntatem nostram.

Patet hujus conclusionis veritas ex iis omnibus quæ supra diximus, tum de gratia sufficienti, tum de gratia efficaci, fulti nimirum autoritate Scripturarum, Patrum, & Conciliorum, quæque conciliari non possunt, nisi dicamus hanc esse gratiæ sufficientis essentiam. Scilicet invicte demonstravimus gratiam per se & ab intrinseco efficacem ad singulos pietatis actus nullo excepto esse necessariam; hinc ergo sequitur quamlibet aliam gratiam suo privari effectu: hæc gratia quæ suo privatur effectu, est gratia sufficiens, quam aliunde diximus, nobis videri a Deo dari, ut possibilia fiant Dei mandata, & facilius explicentur objurgationes quibus persæpe onerantur homines in Scripturis: igitur necesse est ut illa gratia sufficiens dicatur plenam & perfectam agendi potentiam conferre, quæ potentia nunquam reducatur ad actum, nisi gratia efficax interveniat.

2. Hanc sententiam eo lubentius amplectimur, quod omnium fere Theologorum esse videtur: sane gratiæ sufficientis naturam non aliter explicat tota S. Thomæ Schola, hoc solum excepto, ut supra monuimus, quod gratiæ sufficienti addunt auxilium physice prædeterminans, sed in eo consentiunt omnes quod gratia sufficiens detur tantum ad posse agere, non ad ipsum agere.

Ita unus ex recentioribus Joannes Baptista Gonetus tom. 6. in Manuali Thomist. tract. 7. de gratia cap. 15. *Respondeo*, inquit, *gratiam quæ dat posse, tametsi non inferat actum, sufficientem appellari, idque duplici titulo. 1. Quia sufficienter excitat voluntatem ad agendum. 2. Quia dat illi totum complementum & totam virtutem sufficientem quæ requiritur ex parte actus primi, quamvis non det applicationem, actualitatem, seu complementum se tenens ex parte actus secundi.*

Pater Massoulié, insignis Dominicanus, eodem modo loquitur tom. 2. dissert. 3. q. 1. art. 1. *Constat*, inquit, *in natura ordine duo distinguenda esse, quæ in re qualibet agente reperire est, potentiam scilicet agendi ipsamque actionem, seu posse & agere ... atque ita videre est in omni prorsus natura etiam Angelica, etiam divina, Deoque ipso autore naturæ, quia ipsa rei natura ita constitutum est, ut actionem antecedat potentia agendi, & potentiam agendi actio consequatur. Ergo etiam in supernaturali ordine hæc duo auxiliorum genera naturæ superaddita distinguenda sunt, quorum alterum potentiæ agendi correspondeat, alterum vero actioni, & primum quidem ex consensu Theologorum & usu jam recepto auxilium sufficiens nuncupatur, postremum vero auxilium.*

Sic etiam & antiquiores Thomistæ, Lemos v.g. tractatu 3. de divinis prædefinitionibus c. 16. *Non deest*, inquit, *habenti auxilium sufficiens aliquid ex parte potentiæ ad operandum.* Et Alvarez respons. l. 3. c. 5. *per auxilium gratiæ sufficientis habet eadem voluntas potentiam*

tiam proximam & facultatem expeditam, qua possit converti, si velit.

Hanc doctrinam acceperant a Magistro sancto Thoma qui quidem in c. 3. Epistolæ ad Ephesios ad hæc verba, *cujus factus sum ego minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus*, duplex illud gratiæ adjutorium, unum quod dat posse, alterum quod dat ipsum agere, his verbis distinguit: *Hujusmodi autem auxilium duplex fuit, unum quidem ipsa facultas exequendi, aliud ipsa operatio actualis, facultatem autem dat Deus infundendo virtutem & gratiam, per quas efficitur homo potens & aptus ad operandum, sed ipsam operationem confert, in quantum operatur in nobis interius movendo, &c.*

Hinc tametsi fateamur aliunde gratiam per se efficacem ad quoslibet pietatis actus esse necessariam, dicimus tamen hominem gratia sufficienti instructum non remotam modo sed & proximam habere agendi potentiam, quæ nimirum est plena & completa in ratione potentiæ, licet non sit completa in ratione actus, & ut ait Gonetus supra citatus, *quamvis non det applicationem, actualitatem, seu complementum se tenens ex parte actus secundi.*

Hinc etiam opinamur rejiciendum esse sermonem eorum qui dicunt, Patres soli gratiæ efficaci tribuere perfectam operandi potentiam, uti fusius mox sumus demonstraturi ex ipsorum Patrum testimoniis, qui possibilia esse Dei mandata docent, *Quis non clamet stultum esse*, inquit S. Augustinus lib. de fide contra Manichæos c. 10. *præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere, & iniquum esse Deum eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere.*

Jam vero nihil necesse est huc iterum adducere argumenta, quæ proponi solent adversus hoc nostrum systema circa essentiam gratiæ sufficientis, ut cum v.g. dicunt futurum ut possibilia non sint mandata Dei in hac hypothesi, quandoquidem per gratiam sufficientem sic expositam, homo non redditur vere ac proprie potens adimplere mandata; cui objectioni faciemus satis in disputatione sequenti quæ erit de possibilitate mandatorum. Item quod objiciunt illusoriam esse hujusmodi gratiam sufficientem quæ dicitur conferre plenam & perfectam agendi potentiam, tametsi præter eam requiratur ad agendum aliud auxilium, nempe gratia efficax. Et rursus quod objiciunt in hac nostra sententia culpæ hominis imputari non posse, quod peccet & gratiæ sufficienti resistat, quia nimirum gratia per se efficax quam nemo mereri potest, necessaria est ad non peccandum & gratiæ sufficienti obtemperandum. His quippe objectionibus jam supra respondimus ubi de gratia efficaci & postea de sufficiente disputavimus.

Cæterum si quæratur quid sit gratia sufficiens, sumpta per se, in se & formaliter: Respondeo eam positam esse in motione quadam voluntatis quæ in ea est per modum actus vitalis indeliberati, cui motioni semper resistit voluntas: consule quæ diximus de essentia gratiæ efficacis.

Utrum gratia sufficiens detur omnibus & singulis hominibus.

QUatuor sunt hominum genera de quibus hic movetur controversia inter Theologos. 1. Justi & nullo peccato mortali obstricti. 2. Infideles qui de Christo Salvatore nihil unquam audiverunt. 3. Peccatores excæcati & indurati. 4. demum, infantes nondum suscepto baptismate morientes in utero materno, de quibus sigillatim nobis agendum est.

Utrum

Utrum justis hominibus detur semper gratia sufficiens : adeoque illis possibilia sint præcepta.

JUsti dicuntur ii qui gratia sanctificante instructi sunt, nullo peccato mortali irretiti.

Certum est justis, cum in peccatum mortale prolabuntur, deficere gratiam per se efficacem; in statu enim gratiæ sanctificantis permanerent, nisi urgente tentatione ipsis deesset gratia illa quæ indeclinabiliter suum consequitur effectum, res est manifesta.

Sed quæritur utrum in iisdem occasionibus justi semper habeant gratiam sufficientem, quæ ipsis plenam & completam conferat potentiam perseverandi, abstinendi a peccato, & præceptum adimplendi.

Hæc porro quæstio proxime conjuncta est, aut potius fere omnino coincidit cum alia inter Theologos percelebri, utrum justis semper possibilia sint mandata, quod utrumque nunc sedulo ac diligenter pro gravitate argumenti examinaturi sumus.

Lutheri hic fuit damnabilis error, Deum jubere impossibilia, ait enim: *Quicunque negat Deum impossibilia jussisse, pessime facit; & qui hoc falsum esse dicit, plusquam pessime facit;* Quod quidem cum censura notassent Theologi Lovanienses, his verbis postea defendit in confutatione adversus Latomum, *aliquot meos articulos opponi dicit principiis fidei. Primus est, Deus præcipit impossibilia, quærimus autem quodnam sit illud tam rigidum & inclemens principium fidei quod neget nobis a Deo præcipi impossibilia? An Paulus? An Christus? An Moses hoc condidit? Non, sed decretellum quoddam humanum ex Hieronymo sumptum quod est ejusmodi, Qui dixerit Deum præcepisse impossibilia, anathema sit. Hoc verbum hominis ambiguum & obscurum sic jactatur a Sophistis, ut omnibus sensibus clausis nonnisi vociferantur, anathema, anathema, anathema, ut eos furere ipsa voce judices. Huic verbulo humano cedere oportet & silere, quicquid Scripturæ evidentissimæ & clarissimæ & copiosissimæ controvertunt.*

Eundem errorem sæpius inculcat Calvinus, nam lib. 2. Institut. cap. 5. sic habet: *Præcipuum robur locant Catholici, in præceptis quæ putant facultatibus nostris sic attemperata, ut quicquid ab illis exigi probatum sit, his præstari posse necessario consequatur.* Cui quidem rationi respondet, *vulgare id quidem jamdiu esse cœpit, & nonnullam speciem habet, sed a rudissima legis ignorantia prodiit. Nam qui pro ingenti piaculo ducunt, si dicatur legis observationem esse impossibilem, validissimo scilicet argumento insistunt, frustra alias datam esse legem.* Et cap. 7. *quod autem impossibilem legis observationem diximus, id est paucis explicandum simul & confirmandum; solet enim vulgo absurdissima sententia videri, ut Hieronymus non dubitaverit illi anathema denuntiare, quid visum Hieronymo nihil moror, nos quid verum sit, inquiramus.*

In cap. 12. sess. Concilii Tridentini sic pronunciat idem hæresiarcha: *Capite duodecimo vetus illud anathema renovant, Patres, scilicet Tridentini, ne quis Dei præcepta homini justificato ad observandum impossibilia dicat .... sed insistunt Prophetæ verbis, quod conversionem a nobis exigendo liberum arbitrium, &c. Valde novitios esse oportet venerandos istos Patres, si ex præceptis æstimant, quid valeat homo.* Scilicet velut absurdum reputat quod catholici docent, frustra Deum nobis aliquid præcipere, nisi ad illud exequendum potentiam conferat.

Hanc feralem doctrinam ultro arripuerunt Calvinistæ, Petrus Molinæus Anatom. Armin. pag. 299. *Non semper* inquit, *verum est frustra dari præcepta quæ non*

non possunt impleri. Non est dubium quin diabolus necessario malus & inhabilis ad obsequendum Deo, teneatur Deo obsequi, alioquin nequidem peccaret, cum Deo adversatur. Ita Chemnitius in seff. 6. Concil. Trident. de lib. arb. Chamierus tom. 3. lib. 3. cap. 5. & alii quorum doctrina super hoc argumento ad hæc duo capita revocatur. 1. Quod docent justos etiam cum bene operantur, perfecte Dei mandata non adimplere, sed in omnibus suis actionibus peccare, quia nonnulla semper concupiscentiæ labes ipsis adhærescit. 2. Quod docent peccatores ex ineluctabili necessitate agere quando peccant.

Jansenius Iprensis suo quoque modo pronunciat impossibilia plerumque hominibus justis Dei mandata; nam l. 3. de gratia Christi cap. 13. prolixe differens de possibilitate & impossibilitate præceptorum, & primum adductis e sancto Augustino quammultis locis, ut ostendat persæpe non adesse hominibus gratiam quà possint tentationes superare, sic loquitur: *Hæc igitur omnia plenissime planissimeque demonstrant nihil esse in sancti Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis volentibus, conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam qua fiant possibilia, hoc enim sancti Petri exemplo aliisque multis quotidie manifestum esse qui tentantur ultra quam possint sustinere; nec illam implendi talia præcepta difficultatem inde proficisci, quod actus implendi debeat esse supernaturalis vel meritorius, vel aliquid simile (quæ Augustino nunquam in mentem venerunt,) sed ex eo quod vires voluntatis infirmæ sunt propter concupiscentiam a volendo bono retrahentem, cujus renisu fit, ut vires voluntatis distrahantur*. Ubi diserte docet Jansenius mandata Dei esse justis possibilia, non eo quidem sensu quo præfati supra hæretici, non quod putet justos quantumlibet gratia instructos nunquam posse mandata perfecte adimplere, sed eo sensu quod justi quandoque privantur omni gratia qua possibilia fiant.

Scilicet fundatur illa Jansenii doctrina in eo quod nullam admittit gratiam sufficientem quæ plenam & perfectam agendi potentiam conferat, quod quidem præcedenti dissertatione abunde impugnavimus: hinc enim sequitur in justis, quibus aliquando deesse gratiam efficacem fatentur omnes, veram esse impotentiam adimplendi præcepta, defectu nimirum gratiæ sufficientis.

Addunt Jansenii defensores ejusmodi impotentiam adimplendi præcepta in homine esse culpabilem, quia ex solo voluntatis defectu oritur; si enim inquiunt, tanta esset hominis voluntas quanta esse deberet, eo ipso præceptum adimpleretur. Quando autem ipsis reponitur Deum in illa hypotesi jubere impossibilia, quod quidem dicere nefas semper reputatum est; Respondent Deum jubere posse impossibilia, modo impotentia illa adimplendi præcepta refundi possit in culpam hominis, quod utique contingit in hoc casu, homo enim propter primi parentis peccatum absolutam præceptis obediendi impotentiam contraxit. In eos omnes sit

CONCLUSIO.

Datur justis gratia sufficiens quà Dei præcepta possint observare, quæ proinde non sunt ipsis impossibilia.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ primum declarant gratiam semper dari ubi postulat rei necessitas, primæ Corinth. 10. cap. sic loquitur Apostolus, *fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Sed si Deus gratiam sufficientem non daret justis, cum urget aliqua tentatio, profecto in sua promissione deficeret, quia hominem

nem supra vires tentari utique finerit.

Hoc divi Pauli testimonio utitur Concilium Tridentinum sess. 24. can. 9. ut probet gratiam non deficere omnibus castitatem ex voto professis, cum eam recte petunt: *Si quis dixerit*, inquiunt Patres Tridentini, *posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit, cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari.*

Secundo, constat ex iisdem Scripturis Deum non jubere impossibilia. Deuteronomii cap. 30. *mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* Ecclesiastici cap. 15. *si volueris mandata servare conservabunt te ....appofui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Math. 11. *jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Primæ Joan. 5. *mandata ejus gravia non sunt.* Quæ quidem omnia conciliari neutiquam possunt cum eorum sermone qui affirmare non dubitant Deum jubere impossibilia.

Probatur deinde ex SS. Patribus.

Tertullianus l. 2. adversus Marcionem cap. 5. *Non poneretur*, inquit, *lex ei qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate, nec rursus comminatio mortis transgressioni ascriberetur, si non & contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Sic & in posteris legibus creatoris invenias, proponentis ante hominem bonum & malum, vitam & mortem, sed nec alias totum ordinem disciplinæ per præcepta dispositum, a vocante Deo, & minante, & exhortante, nisi & ad obsequium & ad contemptum libero & voluntario homine.*

S. Hieronymus in cap. 5. Matthæi, *Multi*, inquit, *præcepta Dei imbecillitate sua non Sanctorum viribus æstimantes putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos, cæterum diligere plus præcipi, quam humana natura patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere.*

S. Chrysostomus homil. 8. de pœnitentia, *Nequaquam*, inquit, *Dominum incuses, haud mandat impossibilia.*

S. Leo serm. 16. de Passione Domini cap. 6. *Nihil habemus*, inquit, *nisi quod accepimus, & jugiter admonemur, ut dona gratiæ Dei non negligenter habeamus. Juste enim nobis instat præcepto qui præcurrit auxilio.*

Astipulatur S. Gregorius M. lib. moral. cap. 25. his verbis: *Pius conditor cum viribus flagella moderatur, ne virtutem pœna transeat, & per astutiam fortium humana infirmitas excedat. Unde & bene per Paulum dicitur, fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra quam potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere.... si mensuram judex tentationibus non præbet, eo ipso protinus stantem dejicit, quo ultra vires onera imponit.*

Probatur 3. ex S. Augustino.

Is libro de fide contra Manichæos cap. 1. sic loquitur: *Quis non clamet stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere, & iniquum esse Deum eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere.*

Lib. 2. de peccatorum meritis cap. 5. *His*, inquit, *atque hujusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum, quo fiat quod jubet impossibile aliquid esse.*

In Psalm. 29. n. 27. *Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habuit curam, cum jam hoc es quod voluit ut esses, jam enim fidelis es, jam ambulas in vita justitiæ, curam tui non habebit.... te jam justum ex fide viventem negliget, deferet, dimittet? Imo vero & hic fovet, hic adjuvat, & hic necess-*

necessaria subministrat, & noxia resecat.

Item in Psal. 56. num. 1. *Neque imperares*, inquit, *hoc Deus ut faceremus* (*ut nos invicem diligamus*) *si impossibile esse judicaret, ut hoc ab homine fieret. Sed considerans infirmitatem tuam, deficis sub præcepto? Confortare in exemplo, sed etiam exemplum ad te multum est? Adest ille qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.*

His adde S. Augustinum hoc velut certum & indubitatum statuere passim in suis scriptis, neminem peccare in eo quod vitare non potest, lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Nemo peccat in eo quod nullo modo caveri potest*. Et libi de corrept. & gratia cap. 7. *Justior*, inquit, *videtur excusatio dicentium, Non accepimus audientium, quam dicentium; non accepimus perseverantiam: quoniam potest dici, homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles, nullo modo autem dici potest id quod non audieras, crederes si velles*. Quo quidem testimonio invicte ostenditur justum hominem posse, si velit, perseverare.

At insignis præ cæteris est locus qui legitur in libro de natura & grat. c. 26. ubi sic loquitur sanctus Doctor: *Ipse autem Deus cum per mediatorem Dei & hominum hominem Jesum Christum, spiritualiter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, id est justificat impium, & cum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur.*

Validissimo huic S. Augustini testimonio respondet Jansenius lib. de gratia Christi Salvatoris cap. 19. hoc effatum, *Deus neminem deserit nisi deseratur*; eo sensu intelligere sanctum Aug. quod Deus, si non deseratur, neminem deserit per substractionem justitiæ, seu gratiæ habitualis, nequaquam vero ibi sermonem esse de substractione gratiæ actualis, nam Augustinus, inquit, in illo ipso loco ponit differentiam inter animæ nostræ medicum Deum, & inter medicum corporum, quod medicus corporum, *cum sanaverit hominem, abscedit ab eo, ac Deo dimittit*; cum vero, *Deus*, inquit, *spiritaliter sanet ægrum, vel vivificat mortuum, id est justificat impium, non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur*. Quod idem probare conatur ex aliis S. Augustini testimoniis, puta ex lib. 8. de Genesi ad litt. cap. 12. ex comment. in Psalm. 70. Conc. 12. ex lib. 4. Confess. cap. 9. & alia ejusmodi.

Verum falsa est aperte hæc S. Augustini verborum interpretatio, uti cuilibet attendenti manifeste liquet; Primo, quia ibi sanctus Doctor Pelagium refellit dicentem, *non esse necessariam misericordiam Dei, ut non peccemus, sed quia peccavimus*, ubi certe controversia movetur de gratia actuali, non de habituali: quæstio non est, utrum Deus hominem justificatum deserat per substractionem gratiæ habitualis, quod nusquam affirmavit Pelagius; sed utrum illum deserat ipsi non conferendo gratiam actualem, qua nimirum adjuvetur ad pie vivendum.

Secundo, idem manifestum est ex ipsis S. August. verbis quibus probat Deum non deserere nisi deseratur: *Non deserit*, inquit, *si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere, sic homo etiam perfecte justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere*. Certe si quid roboris sit in illa comparatione, & si non est omnino inepta, ex ea efficitur necessariam esse gratiam actualem ad non peccandum in homine justificato, quemadmodum oculo per se sano, lux insuper necessaria est ad videndum; unde non semel repetit S. Augustinus justificatos per gratiam habitualem, debe-

re iterum adjuvari per gratiam, scilicet actualem.

Neque vero his opponi debet S. Augustinum aliis in locis eandem usurpare comparationem desumptam ex medico, ut ostendat Deum deserere per substractionem gratiæ habitualis, ut v. g. lib. 8. de Genesi ad litter. cap. 12. quam proinde eandem comparationem in eundem finem adhibet in præsenti loco quem exponimus. Ex hoc certe argumento nihil concluditur; eadem enim comparatio peræque usurpari potest ad probandam gratiam habitualem, & ad actualem: hic autem sermonem esse de actuali aliis momentis evincitur, quæ nulla solutione eludi possunt. Tandem illud confirmatur ex eo quod hoc idem effatum de gratia actuali explicat S. Prosper Augustini fidus interpres, nimirum responsione septima ad object. Vincent. ubi de iis loquitur: *Qui pietatem Christianæ conversationis & fidei deserentes in profanos errores prolabuntur*, *sed nullo modo*, inquit, *credendum est ejusmodi homines in hanc desperationem ex Dei voluntate cecidisse*, *cum prius allevet Dominus omnes qui corruunt & erigat elisos Nemo enim nisi illius gratia erigitur*, *nemo nisi illius gratia stabilitur*. *Dei ergo voluntas est ut in bona voluntate maneatur*, *qui & priusquam deseratur neminem deserit*, *& multos desertores sæpe convertit*.

Probatur 4. ex Concilio Tridentino rem ita definiente sess. 6. cap. 11. *Nemo autem quamvis justificatus*, *liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet*, *nemo temeraria illa & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti*, *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia*. *Nam Deus impossibilia non jubet*, *sed jubendo monet*, *& facere quod possis*, *& petere quod non possis*, *& adjuvat ut possis*. *Cujus mandata gravia non sunt*, *cujus jugum suave est & onus leve*. *Qui enim sunt filii Dei*, *Christum diligunt*; *qui autem diligunt eum*, *ut ipsemet testatur*; *servant sermones ejus*, *quod utique cum divino auxilio possunt*. Et postea, *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit*, *nisi ab eis prius deseratur*..... *unde constat eos Orthodoxæ religionis doctrinæ adversari*, *qui dicunt justum in omni bono opere saltem venialiter peccare*, *aut quod intolerabilius est*, *pœnas æternas mereri*. Et canone 18. *si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato*, *& sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia*, *anathema sit*.

Fatentur omnes his Concilii Tridentini decretis proscriptam fuisse præfatam Lutheranorum doctrinam, asserentium hoc sensu mandata Dei esse impossibilia, quod ne a justis quidem Dei gratia adjutis impleri possunt, quia videlicet arbitrantur illi hæretici justos in omnibus suis operibus peccare, quantumvis hæc peccata illis non imputentur.

Sed negant communiter Jansenii defensores iisdem Synodi verbis relatam supra Jansenii sententiam de impossibilitate præceptorum vel minimum tangi, idque probant.

Primo ex ipsius Concilii verbis; postquam enim, inquiunt, sancta Synodus probavit Deum impossibilia non præcipere, ita demum concludit: *Unde constat eos Orthodoxæ religionis doctrinæ adversari*, *qui dicunt justum in omni bono opere saltem venialiter peccare*, *aut quod intolerabilius est*, *pœnas æternas mereri*. Quod certe multum abest a Jansenii doctrina, sed ipsissimum est Lutheri dogma.

Secundo id evincere conantur ex testimonio Cardinalis Bellarmini, qui lib. 4. de Justificatione cap. 10. hanc quæstionem tractaturus, agnoscit eam moveri solum contra pestilentem Lutheri doctrinam, & eatenus autoritatem Concilii Tridentini & loci supra descripti admovet: *Est autem*, inquit, *his controversiæ status*, *utrum homines justi-*

justificati & gratia Domini adjuvante, possint ita legem Domini implere, ut opera ipsorum non modo non sint appellanda peccata, sed etiam vere ac proprie justa dici mereantur. At inquit, *legem Dei possibilem probamus primo his testimoniis quibus utitur Concilium Tridentinum. sess. 6. cap. 11. quæ non solum possibilia sed etiam facilia esse mandata*.

Verum apertum est quam quod apertissimum, non modo Lutheri sed etiam Jansenii Iprensis doctrinam hoc Synodi decreto fuisse condemnatam; idque vel ipsis Tridentinorum verbis manifeste liquet; sic enim habent loco supra laudato: *Nemo temeraria illa & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia*. Igitur existimabant doctrinam de impossibilitate præceptorum quam hoc suo decreto proscribebant, pridem fuisse a sanctis Patribus sub anathemate prohibitam: sed istud, ut puto, dici non potest de nefanda hoc in casu Lutheri doctrina; novus quippe ac inauditus fuit error Lutheri dicentis justos, etiam cum bene vivunt, non posse Dei mandata implere, sed in omnibus suis operibus peccare, uti testantur autores qui de hæresibus scripserunt, Jodocus Coccius, Gabriel Prateolus, Alphonsus a Castro, & alii: agnoscendum est igitur mentem Patrum Tridentinorum fuisse, illam universim sententiam damnare qui dicunt justis impossibilia esse Dei mandata.

Quamobrem Andreas Vega acutissimus Theologus qui Concilio Tridentino interfuerat, ut probet universim nunquam mandata Dei esse impossibilia, colligit lib. 11. de Justificatione cap. 9. ea omnia SS. Patrum testimonia qui sub anathemate prohibuerunt, ne quis diceret, Deum præcepisse aliquid impossibile, docentes, *Neminem peccare in eo quod vitare non potest*; additque ibidem, *Doctores sancti quos citavimus, universaliter & generaliter interdixerunt, ne quis diceret præcepta Dei esse homini impossibilia*. Unde randem concludit, *tam peccatoribus quam justis concedendum esse simpliciter præcepta Dei & omnia & singula esse possibilia*.

Accedit insuper sic statuere Patres Tridentinos Dei mandata esse possibilia, ut non modo Lutheri, sed & Jansenii doctrinam funditus evertat; ajunt enim ex ea causa justum hominem posse implere præcepta, quod præsto sit semper auxilium quo adjuti possint agere, aut saltem illud auxilium quo possint petere & quo adjuventur ut possint, *Nam Deus*, inquiunt, *impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*. Quod certe e diametro opponitur systemati Jansenii, qui quidem putat ob id præcepta Dei nonunquam justis impossibilia, quod deest eis gratia qua fiant possibilia.

Quod autem in primo suæ objectionis momento dicunt Jansenii defensores, neminem alium præter Lutherum condemnari in hac Synodi Tridentinæ sanctione, propter ista verba quibus laudatum caput undecimum concluditur, *Unde constat eos Orthodoxæ, &c.* profecto nullius omnino momenti est; hinc enim solum inferre licet in Lutherum insurgere Patres Tridentinos, quod nemini dubium esse potest; sed inde non sequitur ab omni anathemate immunem esse Jansenii doctrinam, quandoquidem certum est sic eo loci censuram suam accommodasse Synodum, ut eos omnes percellat qui universaliter pronunciant, *Impossibilia esse Dei mandata*, hocque tritum apud antiquos Patres axioma, *Deus impossibilia non jubet*, tanquam suæ & catholicæ doctrinæ fundamentum stabiliat.

Plus virium non habet quod Jansenii defensores eruunt ex Cardinalis Bellarmini auctoritate; tametsi enim hoc Syno-

Synodi Tridentinæ decretum dedita opera emissum fuerit adversus Lutheri errores, nihil impedit tamen quominus & adversus alios minus errantes usurpari possit. Unde totus est Bellarminus, cum præsentem quæstionem tractat loco supra citato, ut ostendat universaliter mandata omnia esse possibilia, *Alia*, inquit, *immediate*, *alia mediate*, *id est mediante oratione*, juxta illud Concilii, *Deus impossibilia non jubet*, *sed jubendo monet*, *& facere quod possis*, *& petere quod non possis*, *& adjuvat ut possis*.

Respondet insuper Jansenius his verbis Concilii Tridentini, *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit*, *nisi ab eis prius deseratur*, non probari, præsto semper adesse gratiæ sufficientis auxilium ad implenda præcepta, quia ibi agitur de gratia habituali & sanctificante, non de gratia actuali. *Objici & illud solet*, inquit lib. 3. de gratia Christi cap. 19. *quod Deus non deserat si deseratur: ergo nemini denegat auxilium sufficiens*, *si non ante desertus fuerit*. *Respondetur sententiam illam habere in Concilio Tridentino & ex divo Augustino desumptam esse*. *Tam vero Tridentinum quam Augustinus perspicue indicant se sic illam intelligere*, *quod Deus neminem deserit ab eo discedendo ipsa scilicet substractione justitiæ*, *nisi homo prius Deum per inobedientiam deserat*. Hanc fuisse mentem S. Augustini ostendit ex multis locis ab eodem desumptis, uti supra observavimus, ex lib. 8. de Genesi ad litteram, ex commentario in Psal. 70. conc. 2. & ex lib. 13. de Civit. cap. 15. ex quibus sic concludit: *Hunc ergo verum sensum esse Concilii*, *maximeque S. Augustini*, *ex quo phrasis ista & verba derivata sunt*, *facile judicabit quisquis consideraverit eum hoc loquendi modo significare voluisse differentiam quæ est inter Deum bonum animæ nostræ*, *& inter alia creata bona quæ ab hominibus diligi solent*. Et postea, *Nam si desertionem Dei*, *quæ fit actualis gratiæ substractione*, *spectare voluerimus*, *nimis enormiter ab Augustini mente discedunt*, *qui ei istud paradoxum*, *& quidem postquam per Adami lapsum in statum damnationis & iræ Dei præcipitati sumus*, *imponere volunt*. *Tota quippe molle doctrinæ hoc agit*, *Deum adjuvare & non adjuvare hominem*, *hoc vel illo modo*, *plus aut minus deserere aut non deserere*, *prout ei visum fuerit*, *quia Spiritus ubi vult spirat*. *Nihil enim celebrius in Augustino quam quosdam a divino adjutorio deseri etiam justos ex occultis judiciis Dei*.

Verum frivola omnino est hæc Concilii Tridentini interpretatio; apertum est enim ex ipsis Patrum verbis hanc sententiam, *Deus justificatos non deserit &c.* non esse intelligendam de ea desertione quæ fit per substractionem gratiæ habitualis; nimirum ibidem ajunt, *Qui autem diligunt Deum ut ipsemet testatur*, *servant sermones ejus*: *quod utique cum divino auxilio præstare possunt*. Quasi dicant ideo mandata Dei non esse impossibilia, quia divinum auxilium ipsis nunquam deest. Unde ejusdem sessionis cap. 13. loquendo de perseverantiæ dono, manifeste declarant gratiam non deesse justis, nisi ipsi gratiæ defuerint, & ibi certe agitur de gratia actuali, *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent*. *Deus enim*, *nisi ipsi illius gratiæ defuerint*, *sicut cœpit opus bonum*, *ita perficiet operans velle & perficere*. Profecto gratia qua Deus operabitur velle & perficere, est gratia operans, gratia actualis non habitualis.

Certum est insuper hoc eodem sensu præfatam Concilii Tridentini sententiam explicari a Theologis, ita Bellarminus hac in materia minime suspectus lib. 1. de gratia & libero arbitrio c. 11. *Hinc sequitur*, inquit, *omnes justificatos habere auxilium sufficiens ad per-*

perseverandum. Et ibidem ait, *Concilium Tridentinum hoc loco apertissime docere, Deum non deserere, quia non denegat auxilium*. Ita etiam Andreas Vega insignis Theologus qui Synodo Tridentinæ interfuerat, lib. de Justif. 11. cap. 11. rem sic exponit: *Patres non simpliciter & absolute dixerunt justos posse servare mandata, sed adjecerunt hoc temperamentum, cum auxilio divino; & ut sciremus hoc auxilium tam potens quam necessarium, nulli deesse justorum, mox subjecta sunt illa verba totius suavitatis plena, Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. Quibus & alii pene omnes subscribunt Theologi.

His accedit quod definit eadem Synodus Tridentina sess. 24. cap. 9. his verbis: *Si quis dixerit posse omnes matrimonium contrahere, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id quod possumus, tentari*. Quod quidem ut melius intelligatur, sciri debet hunc fuisse Calvinistarum errorem uti & Lutheranorum, neminem posse sine magna temeritate perpetuæ continentiæ votum emittere, quia gratia non datur semper omnibus, sic v. g. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 13. num. 17. *Virginitatem Deo perpetuam promittunt, quasi cum Deo ante pepigerint ut se a conjugii necessitate liberaret. Non est quod causentur, sed nonnisi gratia Dei fretos votum hoc nuncupare; nam cum ipse non omnibus dari pronunciet, fiduciam specialis doni concipere nostrum non est. Qui habent eo utantur. Si quando se a carne sua inquietari sentiunt, confugiant ad ejus opem, cujus sola virtute possunt resistere*.

Quamobrem in præfato suo decreto definiunt Tridentini Patres nec illicitum nec temerarium esse Continentiæ votum, tum quia Deus gratiæ auxilium, quo rebellantis concupiscentiæ motus refrænari possint, nemini illud recte petenti denegat; tum quia non patitur nos supra id quod possumus tentari: quæ quidem rationes manifeste supponunt præsto semper adesse gratiam sufficientem, qua quis matrimonii vinculo obligatus castitatem servare possit.

Hanc esse veram ac genuinam Concilii Tridentini mentem contra Calvinum & ejus asseclas acriter defendit Bellarminus tom. 2. lib. 2 cap. 31. ubi illius hæresiarchæ adductam supra objectionem solvit his verbis, *respondemus continentiam & donum esse Dei, & tamen in arbitrio & potestate hominis positam .... Notandum est unum auxilium sufficiens, quod omnibus datur, saltem pro loco & tempore, quo auxilio non tam fit ut operemur, quam ut operari possimus; aliud autem efficax, quo reipsa operamur. Atque hoc posterius est donum singulare quod non omnibus datur; soli enim illi donum habent continentiæ, qui reipsa continent quos notum est non esse multos*.

Probatur insuper autoritate summorum Pontificum Pii V. & Greg. XIII. qui hanc Baii propositionem, quæ quinquagesima quarta est, *definitiva hæc sententia Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit*, proscripserunt. Certe ab opinione Lutheri multum aberrat Bajus qui hoc solum spectare voluit, ut duplicem hominis statum distingueret, naturæ scilicet innocentis, & naturæ lapsæ, diceretque homini in statu naturæ innocentis posito mandata non fuisse impossibilia, secus autem homini lapso; ita libro de peccato originali cap. 12. *Dico igitur*, inquit, *communem animi conceptionem qua dicitur Deus homini nihil impossibile præcepisse, de homine recto, qualis erat cum Deus ab initio mandata & præcepta illi apposuit, esse verissimam. Quia in illo statu ex viribus sibi in sua creatione donatis absque omni impedimento & difficul-*

facultate præstare poterat quicquid Deus illi præceperat, & quod vetuerat vitare. Sicut etiam significat Scriptura quæ dicit, Si volueris mandata servare, conservabunt te; nihil enim aliud fuit ei mandata servare, quam velle servare. Et postea, *quod igitur consideratione prima integritatis & respiciendo ad vires homini in sua creatione collatas, verissime dicitur, Deum nihil homini præcepisse impossibile, hoc de homine corrupto dici non potest.*

Probatur denique ex constitutionibus summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII, qui hanc condemnarunt propositionem, inter famosas quinque Jansenianas primam, *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia qua possibilia fiant.* Quam quidem propositionem declarant temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt adversarii Pelagianum esse hoc effatum, *Deus impossibilia non jubet*: ergo falsum est justis semper possibilia esse Dei mandata.

Dist. ant. Pelagianum est, si intelligatur ad sensum Pelagii, C. ad sensum catholicum, N. Scilicet in eo errabat Pelagius quod diceret præcepta semper esse possibilia, quatenus potest quispiam solis naturæ viribus sine gratiæ auxilio divina mandata implere, ut constat ex S. Augustino qui lib. de prædest. Sanctorum, cap. 19. sic loquitur de Pelagianis, *ipsi putant acceptis præceptis jam per nosmetipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos.* Idem testatur S. Prosper Epistola ad S. Augustinum his verbis: *Consequens putant* ex divinis præceptis, *ut quia prævaricator ideo dicitur non obedisse, quia noluit, fidelis quoque ob hoc non dubitetur fidelis fuisse, quia voluit, & quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum, parique momento animum se ad vitia, vel ad virtutes movere.*

At certe ab illa Pelagianorum sententia vehementer distant Catholici cum Dei mandata docent possibilia; sic enim ea posse impleri contendunt, ut tamen gratiæ divinæ necessitatem agnoscant, uti ex professo probavimus initio hujusce tractatus. Aliter Pelagianum esset quod scribit Augustinus absolute & sine ulla restrictione lib. de natura & gratia cap. 13. *Non igitur Deus impossibilia jubet.* Quod scribit lib. 2. de peccatorum meritis cap. 6. *Dubitare non possunt, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse.* Pelagianum esset quod scribunt alii e SS. Patribus supra citati, S. Hieronymus dialogo 1. contra Pelagianos, *fatemur possibilia Deum dedisse mandata.* S. Chrysostomus homil. 8. de pœnitentia, *Dominus non mandat impossibilia.* Denique Pelagianum esset quod legitur sess. 6. c. 11. Concil. Trident. sumptum ex Augustino, *Deus impossibilia non jubet.* Quod certe nemo unquam sanæ mentis dixerit.

Objiciunt 2. hoc effatum, *Deus impossibilia non jubet*, locum proprie non habere pro hominibus in hoc statu naturæ lapsæ viventibus, quia nimirum hæc impotentia implendi mandata Dei qua laborant, profluit ex Adami peccato, adeoque illos reddit inexcusabiles.

Nego propositionem & validis quidem rationibus.

1. Quia hæc verba, *Deus impossibilia non jubet*, quæ S. Augustini sunt, homines in præsenti naturæ lapsæ statu constitutos respiciunt; vult enim admonere homines necessitatis qua tenentur recurrere ad orationem, qua divinæ gratiæ auxilium impetrent, *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet*

monet & facere quod possis , & petere quod non possis . Monet ibi S. Doctor eos omnes quibus modo aliquid imperatur, ut faciant quod possunt, & petant quod non possunt.

2. Totus est in illo libro de natura & gratia, ut refellat Pelagianos qui solis naturæ viribus ascribebant præceptorum possibilitatem, in illo autem conflictu quæstio erat de præsenti statu, adeoque luce meridiana clarius est S. Augustinum statuere ne iis etiam hominibus qui post Adami peccatum vivunt, impossibilia esse mandata.

3. Hanc nostram responsionem nonnulla illustrare possunt exempla; si herus v. g. servo, qui sibi culpa sua pedes fregisset, imperat tamen ut currat, eumque quod non currat nec possit currere, velit severe castigare, profecto iniquus omnino & crudelis habendus est. Unde sequitur Deum juste non posse infringere pœnas ob ea peccata quæ vitari non possint, tum vero ob inobedientiam præceptorum quæ sunt impossibilia.

Instant, S. Thomas quæst. 16. de malo, art. 5. ad 11. ait debere diabolum converti ad Deum, quamvis hoc ipsi sit in eo statu in quo est, plane impossibile : *dicendum*, inquit, *quod sicut ebrius tenetur non peccare, non quidem considerato præsente statu, sed considerata ebrietatis voluntaria causa secundum quam imputatur ei aliquid ad culpam; ita etiam potest intelligi, quod diabolus tenetur converti ad Deum, quamvis ei sit impossibile secundum præsentem statum, quia in hunc statum ex voluntaria causa devenit*. Ergo tametsi præcepta sint impossibilia hominibus in statu naturæ lapsæ constitutis, quia tamen illa impotentia ea adimplendi in culpam eorum, saltem originalem, refundi merito potest, inde a peccato non excusantur.

Respondeo non dicere S. Thomam, diabolum peccare quod non convertatur; non ait, *diabolum teneri converti ad Deum*, significaret enim his verbis novum esse in diabolo peccatum, quod non convertitur; sed ait *posse intelligi, quod diabolus tenetur converti ad Deum*, quæ duo sunt magnopere diversa. Atque id illustrat comparatio ebrietatis quam affert ibi Doctor Angelicus; ebrius enim non peccat, ita ut distinctum a voluntaria ebrietate peccatum committat; sed in eo solum quod ebrietatem non vitavit quam vitare tenebatur; ac proinde eo tantum sensu diabolus tenetur ad Deum converti, quod non debuit ab eo deficere. Eandem tuetur sententiam S. Thomas 2. 2. qu. 150. art. 4. ubi ait incestum quem Loth perpetravit, distinctam non habuisse malitiam ab ebrietate.

Objicies: gratia omnino defuit S. Petro, cum tentatione pulsatus Christum negavit, idque manifeste docent multi ex SS. Patribus.

S. Augustinus non semel illud asseverat verbis expressissimis, sermone olim 124. de tempore, & in editione nova PP. Benedictinorum serm. 79. in appendice : *Quid est homo*, inquit, *sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum? ideo beatum Petrum Dominus paululum subdeseruit, ut in illo totum hominum genus posset agnoscere nihil se sine gratia prævalere*. Et in alio sermone qui olim erat 127. de tempore, & similiter rejectus nunc primum in appendicem ab iisdem Benedictinis, ibique est 149. hæc leguntur : *Dicit ei Petrus, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Videte fratres responsionem discipuli, & intelligite dilectionis esse quod dixit. Sed quia per solum sui amoris studium non addito etiam adjutorio Domini voluit esse promissum, stare non potuit per hominem, quod sub divinitate pendebat. Fuit quidem in voluntate, sed non fuit in virtute, sicut ipse Dominus dicit, Spiritus promptus est, caro autem infirma*. Et iterum, *Sine me nihil*

hil potestis facere. Usque ad mortem promisit & in timore negavit, habuerat confessionem mirabilem, si habuisset in consummatione virtutem.

Tractatu 92. in Joan. loquens de charitate, *quæ*, inquit, *Petro defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus non potuit verum testimonium perhibere.* Libro de gratia & lib. arb. c. 17. *Charitatem Apostolus Petrus non habuit, quando timore Dominum ter negavit, & tamen quamvis parva & imperfecta non deerat quando dicebat ad Dominum, animam meam pro te ponam, putabat enim se posse quod se velle sentiebat.* Lib. de correptione & gratia cap. 9. *quia David*, inquit, *filius erat promissionis non perditionis, expertus Deo paululum deserente quid esset ipse... hæc & vox Apostoli Petri esse potuit, dixerat quippe in abundantia sua, animam meam pro te ponam, sibi festinando tribuens quod ei fuerat a Domino postea largiendum; avertit ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus.*

Idem docet multis etiam in locis S. Chrysostomus, homil. 83 in Matth. *Petrus etsi bene animatus fuerat, divino tamen subtracto auxilio cecidit.* Homil. 72. in Joan. *casus Petri non frigiditate, sed superni auxilii derelictu contigit.* Homil. 31. in Epist. ad Hebræos; *negatio Petri non tam erat socordiæ & negligentiæ, quam ex eo quod Deus eum deseruerat, erudiens ut humanam sciret mensuram, & non repugnaret iis quæ dicebantur a magistro, neque ejus quam aliorum essent elatiores spiritus, sed sciret quod absque Deo nihil potest fieri, & quod nisi Dominus ædificaverit domum frustra laborant qui ædificant eam.* Denique Homil. mox citata in Joan. *quid dicis Petre? dicenti non potes, te posse dicis? experientia cognosces nihil esse dilectionem tuam sine gratia divina. Unde constat hunc casum Jesum pro ipsius utilitate permisisse; nam cum assertionis suæ favore quodam non staret Petrus, non quidem impulit ad negandum, sed desertum reliquit, ut suam ipse intelligeret imbecillitatem.*

Fuit pene & eadem sententia S. Basilii qui homil. 22. de humilitate, *sine hoc quidem intelligis*, inquit, *quod gratiam assecutus es, sed gratiam Dei præ nimia stupiditate propriam reputans virtutem, non es honoratior B. Petro Apostolo; neque enim Christum plus potest diligere quam ipse illum dilexit, ut & mori pro illo voluerit; verum quoniam arrogantius dixerat, &c. humanæ traditus est pusillanimitati & prolapsus est in negationem, lapsu institutus ad pietatem.*

Item Victor Antiochenus in cap. 14. Marci hæc scribit, *Dominus nimiam illam quam præ se ferebant Apostoli audaciam animique fiduciam nonnihil comprimere & castigare volens, Petrum quidem in trinam negationem prolabi, cæteros vero omnes per fugam dispergi, passus est.*

Theodoretus in Psal. 118. *Sæpius*, inquit, *divina gratia nonnullos ad breve tempus deserit, utilitatem illis hinc procurans. Sic magnus Elias derelictus cum esset, in timiditatis affectum incidit, & humanæ naturæ imbecillitatem didicit, sed confestim divinam iterum nactus est gratiam. Sic divus Petrus negando prolapsus est, sed protinus Deus eum suffulsit.*

Et Arnobius junior in Psal. 29. *In voluntate sua*, inquit, *Dominus præstat decori nostro virtutem, nam si averterit faciem suam, quantumvis amemus Dominum, non eum plus Petro amabimus, etsi ei dicamus, Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo, poterit nobis negandi eum evenire perfidia, si averterit se nobis.*

Theophilactus in Lucæ cap. 22. *Petrus a Domino parum relictus.*

Ex quibus manifeste colligitur communem fuisse Patrum doctrinam (multa enim alia testimonia citari possent)

B. Petro uti & aliis justis hominibus defuisse gratiam.

Ab his vero non recesserunt quam multi Theologi, ut Hugo a S. Victore qui annot. in Joan. sic habet, *qui tantam charitatem in proposito habent, sic videlicet ut proponant se prius mori velle quam Christum negare, cum perveniunt ad experimentum deficiunt; non enim possunt perferre quod promiserunt, & sunt similes Petro, qui ut dicit Hieronymus, erat quasi avis sine pennis, quando se pro Christo moriturum promisit, avis enim sine pennis volare vult, sed non potest.*

Cajetanus in Matth. cap. 26. *tunc cœpit*, inquit, *Petrus detestari & jurare: considera & treme, o vir juste, Petrus ipse Jesu attestante mundus, ac per hoc in charitate existens sacramentis corporis & sanguinis Christi digne communicans præmonitus de futura tentatione, paratus potius mori quam negare Christum, ad unius ancillæ vocem illum negavit & successive addidit perjurium; quare hoc? quia magna differentia est inter gratiam habitualem & illius usum, quia non sumus sufficientes ex nobis ad usum charitatis & gratiæ quam habemus in anima infusam a Deo, sed egemus ad utendum illa, continuo & gratuito Dei auxilio, quo quia caruit Petrus tunc, quia Deus reliquit Petrum tunc sibi ipsi prædito charitate & gratia habituali, ideo cecidit & perdidit charitatis gratiam, sic Moyses, sic David cecidit.*

Cardinalis Toletus rem eandem non minus diserte docet in cap. 13. S. Joan. *permisit autem*, inquit, *Dominus Petrum ad tempus cadere, ut non suis viribus, sed divinæ virtuti & gratiæ, qua non juvante necesse est vinci & cadere, confidere disceret.*

Ita demum Estius non infimæ notæ Theologus in hæc verba 2. Paralip. cap. 32. *dereliquit eum Deus*, non de Petro quidem nominatim, sed de justo cadente sic pronunciat: *hic locus ostendit Deo deserente, id est gratiam non dante, hominem non posse superare tentationem, non ita tamen ut necessario in illud peccatum incidat ad quod tentatur; fieri enim potest ut tentatio tentatione repellatur, sicut clavus clavo pellitur, sed ita ut ab ea salubriter & secundum Deum, sine Dei gratia se expedire non possit.*

Igitur & gratia defuit sancto Petro quando Christum Dominum negavit, & nihil est reprehensione dignum in eo quod dicatur eandem gratiam nonnunquam deesse justis urgente præcepto, quo sensu impossibilia sunt justis mandata Dei.

Huic argumento respondent nonnulli ex præfatis Patrum & Theologorum testimoniis nihil quicquam inferri posse, quia tunc Petrus justus non erat, cum sibi ipsi derelictus Christum negavit; huic porro tria solent peccata ascribere: 1. quod Christi verbis non acquievit: 2. quod cæteris se proposuit: 3. quod de suis viribus nimium præsumpserit.

Verum etsi fateremur quandam leviorem culpam admisisse B. Petrum, seu cum viribus suis nimirum tribuit, seu cum cæteris se prætulit, uti placuit SS. Augustino & Chrysostomo; non est tamen quod dicatur eum in graviora seu mortalia peccata prolapsum fuisse; ita ut justus tunc non fuerit, cum ancillæ voce perterritus Christum abnegavit; & illud quidem constat,

1. Ex ipsis Evangelistis, ubi cum Christus Dominus lavare pedes discipulorum incepisset, in hunc modum eos alloquitur, *qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet; vos autem mundi estis, sed non omnes, sciebat enim quis esset eum traditurus.* Quæ verba aperte significant discipulos omnes, excepto Juda, mundos & justos fuisse.

2. Ex multis Patribus qui B. Petrum nonnisi leviter & ex magno erga Christum amore peccasse testantur.

S. Hilarius in Math. can. 30. *Petrus pro fidei suæ calore respondet cæteris licet scan-*

scandalizantibus nunquam se scandalizatum iri ; tantum enim & affectu & charitate Christi efferebatur , ut & imbecillitatem carnis suæ & fidem verborum Domini non intueretur, quasi vero dicta ejus efficienda non essent . Sed tam ille quam cæteri ne mortis quidem metu decessuros se de confessione nominis sui pollicentur ; ad omnem enim se ministerii constantiam intrepida fidei voluntate firmaverant .

S. Ambrosius in Lucæ cap. 22 *Quid negavit Petrus ? quod promisit incaute , devotionem consideravit , non respexit conditionem* . Et paulo post , *error Petri doctrina justorum est , & titubatio Petri omnium petra est ... unde etiam lapsus Sanctorum utilis .*

Hieronymum & Chrysostomum laudat Bellarminus cum Petri Sedisque Romanæ Primatum asserit : *Audi*, inquit, *Hieronymum in hunc locum* , etiamsi oportuerit me mori tecum , non te negabo ; *non est temeritas neque mendacium , sed fides est Apostoli Petri & ardens affectus erga Salvatorem* . Audi Chrysostomum , *unde* , inquit , *id sibi accidit ? ex multo certe amore & multa voluntate . Itaque aut nullus hic lapsus fuit, aut certe amoris & pietatis excessus fuit .*

Idem docent Theologi , Hugo a S. Victore annot. in Joan. *Petrus* , inquit , *ex nimio charitatis affectu & ardore & se positurum animam & non negaturum pro morte promiserat , sed quia virtutem constantiæ cum hoc affectu non habebat , idcirco imminente periculo mortis metu deficit , & affectum charitatis , quem prius habuerat , amisit .*

S. Thomas 2. 2. q. 24. art. 12. cum sibi objecisset Petrum non amisisse charitatem quando negavit Christum , respondet ad secundum , *dicendum quod charitas amittitur dupliciter , uno modo directe per actualem contemptum , & hoc modo Petrus charitatem non amisit . Alio modo indirecte , quando committitur aliquid contrarium charitati propter aliquam passionem concupiscentiæ vel timoris . Et hoc modo Petrus contra charitatem faciens, charitatem amisit , sed eam cito recuperavit .*

Cajetani testimonio superius laudato nihil clarius desiderari potest : *Considera*, inquit , *& treme , o vir juste ; Petrus ipso Jesu attestante mundus* ; & postea *quia Deus reliquit Petrum tunc sibi ipsi prædito charitate & gratia habituali , ideo cecidit & perdidit charitatis gratiam* . Ita Jansenius Gandavensis, Cardinalis Toletus , Maldonatus & alii passim . Unde non videtur revocari posse in dubium quin S. Petrus tunc justus fuerit , cum Christum negavit . Quapropter spreta & omissa hac solutione ,

Respond. distinguendo propositionem, gratia omnino defuit S. Petro cum Christum Dominum negavit , gratia efficax , C. quælibet gratia vel etiam sufficiens , N. cum igitur dicunt Sancti Patres gratiam defuisse Beato Petro , id intelligunt de gratia efficaci , qua quidem licet caruerit, non omni tamen alia destitutus fuit gratia, sed eam certo habuit, qua poterat vel immediate urgentem tentationem superare , vel saltem mediate , quatenus confugere poterat ad orationem , cujus beneficio gratiam uberiorem & efficacem impetrasset .

Est autem hæc responsio valde consentanea doctrinæ S. Augustini ; sic enim v. g. loquitur lib. de nat. & grat. c. 69. *Et ipso quo firmissime creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere , hic admonemur & in facilibus quid agamus , & in difficilibus quid petamus* . Lib. de grat. & lib. arb. c. 16. *Ideo* , inquit , *jubet aliqua quæ non possumus ut noverimus quid ab eo petere debeamus , ipsa est enim fides quæ orando imperat* . Et lib. de corrept. & grat. c. 2. *Ad hoc ostenditur* , inquit , *quid agere debeant , ut quando id agunt , accepisse se gaudeant ; quando non agunt , orent ut quod nondum habent , accipiant* .

Hæc

Hæc revera propositio, de qua nunc quæstio est, *gratia defuit S. Petro*, vera est & maxime catholica, si intelligatur de gratia efficaci, quia verissimum est S. Petro, quando Christum negavit, gratiam efficacem defuisse, in systemate scilicet omnium Theologorum qui gratiam per se efficacem admittunt, putantque ejusmo i gratiam semper & infallibiliter suum sortiri effectum; sed eadem propositio universim & in genere offerri non debet, ne videatur hunc sensum inducere, quod nullam penitus gratiam habuerit S. Petrus ad superandam tentationem, eique defuerit etiam gratia sufficiens.

Atque hinc cum superiori sæculo D. Arnald s Doctor Sorbonicus hanc eandem propositionem sine ulla restrictione & modificatione protulisset in quadam epistola gallice scripta sub hoc titulo: *Seconde Lettre de M. Arnauld Docteur de Sorbonne à un Duc & Pair de France, pour servir de reponse à plusieurs Ecrits qui ont été publiés contre sa premiere Lettre, sur ce qui est arrivé à un Seigneur de la Cour dans une Paroisse de Paris; a Paris*, 1655. cum inquam hæc scripsisset: *Cette grande verité etablie par l'Evangile, & attestee par les Peres, qui nous montre un Juste en la personne de S. Pierre, à qui la grace sans laquelle on ne peut rien, a manqué dans une occasion où l'on ne peut pas dire qu'il n'ait point péché, &c.* sacra Facultas Parisiensis præfatam propositionem declaravit *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam*.

Objicies: Sanctus Augustinus lib. de dono perseverantiæ c. 9. quæstioni propositæ, cur ex duobus justis uni perseverantia detur, alteri vero non detur, recurrit ad inscrutabilia Dei judicia: sed si justis omnibus datur ratia sufficiens per quam impetrare possint donum illud perseverantiæ, necesse non est recurrere ad inscrutabilia Dei judicia, quia facilis & in promptu ratio est, ideo uni potius quam alteri dari perseverantiam, quia ille gratia sufficienti bene usus est, hic vero male usus: igitur falsum est dari omnibus justis gratiam sufficientem, qua vel immediate possint Dei mandata observare, vel saltem possint uberius Dei auxilium impetrare.

Nego min. & dico recte potuisse S. Augustinum recurrere ad inscrutabilia Dei judicia; tametsi detur omnibus & singulis justis gratia sufficiens modo supra exposito, scilicet in illa communi omnium justorum conditione, adhuc inscrutabilia sunt judicia Dei, cur è duobus justis qui æqualiter in peccatum prolabuntur, uni detur gratia efficax qua resurgat a peccato, alteri vero talis gratia efficax non detur. Item inscrutabilia sunt judicia Dei, cur è duobus justis, cum neuter gratiam efficacem petit, uni tamen non alteri confertur. Denique inscrutabilia sunt judicia Dei, cur e duobus justis æqualiter bene viventibus unus assumitur ex hac vita priusquam malitia eum pervertat, alter vero non assumitur, qui postquam malitia mutavit eum, tandem perit in æternum; quapropter diximus perseverantiam esse speciale Dei donum, quod, ut ait S. Augustinus libri citati c. 16. datur etiam non orantibus.

Objicies: Deus non censetur jubere impossibilia, tametsi justi qui cadunt non habeant gratiam sufficientem ad implenda præcepta; si idcirco justi non observant præcepta, quia nolunt ea observare; sed ideo justi peccant non observando præcepta, quia nolunt ea observare: itaque in illa Jansenii sententia quam supra exposuimus, Deus non censetur jubere impossibilia.

Dist. maj. si præterea cum nolunt observare præcepta, supponantur habere gratiam saltem sufficientem qua possint velle illa observare, C. si supponatur ipsis quamlibet gratiam deesse qua possibi-

ſibilia fiant; N. revera in culpam juſtorum refunditur quod nolint obſervare Dei mandata & ab omni peccato abſtinere, ſed aliunde ſupponendum eſſe mihi videtur, illis non deeſſe gratiam qua poſſint, ſi vellent, ea obſervare; aliter, ut opinor, certe culpari non poſſunt, quia nemo peccat in eo quod cavere non poteſt: ſed in iſta hypotheſi juſti peccata cavere non poſſent, urgente ſcilicet tentatione gravi, vel inſtante præcepto, quandoquidem, ut initio hujuſce tractatus probatum eſt, nemo poteſt ſine gratia graves ſuperare tentationes & mandata Dei obſervare.

Neque eſt quod dicant adverſarii tritum hoc effatum, *Deus impoſſibilia non jubet*, hoc ſolum importare quod reipſa nullum Dei mandatum in ſe ſimpliciter & abſolute ſit impoſſibile, quamvis reſpectu hominis ſit impoſſibile, quatenus ipſi deficiunt vires ad obſervanda mandata, quod arguit tantum defectum poteſtatis in homine, non malam voluntatem in Deo.

Hoc ſcilicet ratiocinio nihil omnino fingi poteſt abſurdius, quia cum Patres & Concilia ſtatuunt mandata Dei eſſe poſſibilia, non agunt de poſſibilitate mandatorum in ſe, ſimpliciter & abſolute ſpectata, ſed de poſſibilitate eorum reſpective ad hominem cui imponuntur; hæc poſſibilitas mandatorum in ſe & univerſim ſumpta, eſt aliquid mere fictitium.

Utrum infidelibus omnibus detur gratia ſufficiens.

HOc primum in iſta controverſia notandum eſt, nomine gratiæ intelligi gratiam actualem internam, ſeu motionem actualem infuſam a Deo in ordine ad ſalutem æternam. Ut video enim, nonnulli ſunt Theologi qui contendunt Deum nunquam defuiſſe infidelibus, infideles præſto habere ſemper auxilia gratiæ ſufficientia ad fidem Chriſti complectendam, qui tamen in decurſu diſputationis aperte ſignificant ſe per ejuſmodi auxilia gratiæ ſufficientia nihil aliud intelligere, quam gratias quaſdam externas, ſeu media quædam a Deo ſingulis hominibus præparata, qualia ſunt ſacramenta, prædicatio Evangelii, Chriſti exempla, & alia id genus quæ omnibus peræque hominibus offerri & dari poſſunt, nemini denegantur; immo quæ Chriſtus ſincere voluit, quantum in ipſo eſt, omnibus & ſingulis applicari, quandoquidem vult omnes homines ſalvos fieri.

Cum iſtis Theologis hic nulla movetur controverſia; lis enim foret de nomine, quia fatentur omnes Catholici Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & conſequenter intentionem Dei eſſe, quantum in ipſo eſt, merita Chriſti omnibus hominibus vel etiam infidelibus applicari, neminem poſitive & abſolute excludendo a fide & baptiſmo. Igitur quæſtio eſt de gratia ſufficiente proprie loquendo, prout eſt auxilium interius remote ſaltem ſufficiens ad credendum, aut ad immediate eliciendos alios actus ſupernaturales qui ad fidem recipiendam diſponant.

Nonnulli enim Theologi, quorum opinio eſt dari gratiam ſufficientem omnibus infidelibus, non audent quidem affirmare ipſis ſemper dari gratiam internam ſufficientem ad credendum, ſed aiunt dari infidelibus gratiam ad Dei leges, quas lumine naturæ cognoſcunt, obſervandas, quæ ſi bene uterentur, certiſſimam tum fidei tum ſalutis conſequendæ ſibi viam aperirent, quam opinionem mox ſumus impugnaturi.

Notandum inſuper infideles eſſe duplicis generis, infideles negative qui de fide Chriſti & religione ne verbum unquam audiverunt; infideles poſitive quibus Evangelium fuit prædicatum, & tamen non crediderunt. Trita eſt illa diviſio apud Theologos.

Porro hic quæſtio eſt de infidelibus infi-

infidelitate negativa laborantibus; alii enim quibus prædicatum fuit Christi Evangelium, etiamsi supponeremus iis datam non fuisse gratiam interiorem sufficientem ad credendum, tamen merito præsumuntur habuisse talem gratiam, quo ipso tempore ipsis annuntiabatur Evangelium; quapropter dicuntur infideles positive, vereque peccatum infidelitatis ipsis imputatur, quia fidei restiterunt. Ambigitur itaque de infidelibus negative, utrum habeant gratiam sufficientem immediate ad credendum, vel saltem ad alios actus supernaturales eliciendos quibus præparentur ad fidem suscipiendam.

CONCLUSIO.

Non datur semper gratia sufficiens infidelibus negativa infidelitate laborantibus.

Probatur 1. ex illo celebri Scripturæ testimonio quod legitur Math. 11. cap. *Væ tibi Corozain & Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*. Hinc enim manifeste colligitur Tyriis & Sidoniis denegatam fuisse gratiam sufficientem, eam nimirum gratiam quæ data fuit Corozaitis & Bethsaiditis, quæ certe gratia non erat efficax, pœnitentiam enim non egerunt. Certe si Deus fidem iis largiretur qui gratia sufficienti bene utuntur, debuisset eam Tyriis & Sidoniis conferre, cum de illis pronuntiet Christus Dominus futurum, ut si factæ fuissent apud illos virtutes quæ factæ sunt apud Corozaitas, pœnitentiam egissent.

Probatur 2. ex Actuum Apostolorum cap. 16. ubi legitur Apostolis volentibus pergere in Asiam, hoc vetitum fuisse a Spiritu sancto. Ex quo invicte concluditur Asiaticis datam non fuisse gratiam sufficientem ad credendum, uti nec alia sufficientia gratiæ auxilia quibus præpararentur ad fidem Christi suscipiendam; quorsum enim voluisset Deus homines illos Evangelii prædicatione privare, quibus inspirasset fidei desiderium?

Probatur 3. autoritate S. Augustini cujus in hoc argumento aperta est sententia. Is enim libro de correptione & gratia volens eorum objectioni occurrere, qui dicebant saltem corripiendos non esse eos homines qui a Deo nihil acceperunt & recte dicunt, *quid facimus qui non accipimus;* & rursus cap. 6. libri mox citati, *gratiam non accipimus, ut quid itaque corripimur*, varia distinguit hominum genera, & diversimode de singulis ratiocinatur, puta aliter de Adamo ante peccatum spectato, aliter de hominibus baptizatis; sic vero de iis qui non sunt regenerati, quales sunt infideles quibus nunquam annuntiatum fuit Christi Evangelium: *Qui hæc dicunt extra culpam se videri volunt, in hoc quod non obediunt Deo... Nec attendunt, si nondum regenerati sunt, primam esse culpam cur objurgati, quod sint inobedientes Deo sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas qua Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est*. Et cap. 7. *Si enim, sicut veritas loquitur, nemo liberatur a damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi, & tamen ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit. Quanto minus non se liberabunt, &c.*

Hic itaque manifeste docet Augustinus excusabiles non fore infideles qui damnabuntur etiam non audito Evangelio, tametsi aliunde dicere possint se nihil accepisse, *gratiam non accepimus, ut quid itaque corripimur?* In hoc ejus ratiocinio duo certissime prospiciuntur. Primum quidem existimasse sanctum Doctorem

ctorem primam gratiam esse fidem, ex qua impetrentur cætera.... in quibus juste vivitur, qua quidem manifeste supponit carere illos homines qui non regenerati sunt, *& qui poterunt dicere non se audisse Evangelium Christi cum fides ex auditu sit*. Hi itaque sunt infideles & infidelitate quidem negativa laborantes, qui consequenter carent prima gratia.

Alterum vero etiam certum est, nempe ejusmodi homines nullas habere gratias quibus disponantur ad fidem, hoc supponit S. Augustinus; aliter male responderet objectioni quam sibi proponit; in eo quippe est vis objectionis quod corripiantur qui nihil acceperunt, loquens autem de infidelibus non respondet illos accepisse aliquam gratiam, quod utique respondet de Adamo & de hominibus baptizatis, sed recurrit ad peccatum originale, aitque sibi hoc esse imputandum quod nihil acceperint, hoc est nullum beneficium, nullam gratiam, quod primi parentis peccatum contraxerunt; sentiebat itaque omnibus infidelibus non dari gratiam sufficientem.

Atque quod observatione dignum est, non modo loquitur sanctus Augustinus de adjutorio gratiæ quæ foret infidelibus sufficiens ad credendum, sed etiam de illa gratia quæ sufficiens esset ad obediendum Deo & servanda præcepta (præcepta inquam naturalia, neque enim infidelibus imputatur inobedientia quæ committitur contra alia præcepta) unde infideles in hujus sancti Doctoris sententia, carent gratia sufficiente non modo ad credendum, sed & ad Deo obediendum.

His accedunt alia ejusdem sancti Augustini testimonia dicentis gratiam & fidem, quæ humanæ salutis initium est, fundamentum & radix omnis justificationis, non dari omnibus & nominatim non esse in infidelibus. Lib. de gratia & libero arbitrio cap. 13. probat adversus Pelagium naturam non esse gratiam: *Sed non est hæc gratia*, inquit, *quam commendat Apostolus per fidem Jesu Christi. Hanc enim naturam etiam cum impiis & infidelibus certum est nobis esse communem; gratia vero per fidem Jesu-Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides; non enim omnium est fides*. 2. Thessalon. 3.

Lib. de Prædestin. &c. cap. 9. *Fides igitur & inchoata & perfecta donum Dei est, & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur fidem movere non debet, qui credit ex uno omnes isse in condemnationem sine dubitatione justissimam; ita ut nulla Dei esset justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur*. Eo loci docet Augustinus fidem inchoatam, quæ prima gratia est, donum esse Dei; & quærens cur omnibus non detur, quidve sentiendum de iis quibus non datur, affirmat confidenter illos æternum perituros propter peccatum originale; non ait autem ejusmodi homines ituros in condemnationem justissimam, eo quod gratiæ eos moventi ad credendum divinisque inspirationibus restiterunt, quod sane non omisisset, si talem gratiam omnibus infidelibus communem agnovisset.

Id insuper colligitur ex eo quod idem sanctus Augustinus frequentissime docet fidem esse quæ gratiam impetrat, cum ipsa fides sit prima gratia ex qua cætera impetrentur..... in quibus juste vivitur, lib. de spiritu & littera c. 30. *Ac per hoc*, inquit, *sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur, ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur*. Unde fidem præmittit cuicunque gratiæ etiam ei qua homo possit operari quod sibi præcipitur, lib. de gratia & libero arbitrio cap. 14. *Ergo*, inquit, *spiritus gratiæ facit ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere quæ jubemur. Ideo ipse Apostolus assidue le-*

gi præponit fidem, quia quod lex jubet facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus. Prius est igitur habere fidem quam aliam quamcumque gratiam qua præcepta serventur; adeoque infideles fide etiam inchoata destituti fidem non habent sufficientem ad orandum & servanda præcepta, *fides namque impetrat quod lex imperat*, inquit idem sanctus Doctor, Enchiridio cap. 117.

Denique in Psalmo 136. sic loquitur de infidelibus, ut aperte significet eos gratiam Dei nullam habere ad facienda præcepta, & implorandum Dei auxilium, qui nempe Deum verum non cognoscunt, neque ullum Liberatorem aut venisse aut venturum sciunt, nec de illa demum gratia adjutrice ejusque ad bene agendum necessitate quicquam audiverunt: *Quando illos videmus*, inquit, *& tam steriles eos invenimus, ut difficile nobis appareat in eis aliquid, unde duci possint ad fidem rectam vel ad bona opera, vel ad spem futuri sæculi, vel ad concupiscentiam liberationis a captivitate mortalitatis scripturas novimus quas eis dicamus. Sed quia nullum fructum in eis invenimus, avertimus ab eis faciem & dicimus, adhuc isti non sapiunt, non capiunt, quia quicquid illis dixeris, sinistrum & adversum habent*.

Probatur 4. ex S. Prospero qui magistri doctrinam aperte sequens, docet non omnibus universe hominibus dari auxilium gratiæ internum supernaturale sufficiens ad credendum responsione 4. ad capitula Gallorum: *Non omnes*, inquit, *vocari ad gratiam eos, quibus omnibus Evangelium prædicatur, non recte dicitur, etiamsi sint qui Evangelio non obediant, nisi ad eos respicitur, quibus nondum sacramentum crucis Christi & redemptio sanguinis ejus innotuit. Quia etiamsi constaret, quod jam in universis nationibus & omnibus finibus terræ totus mundus Evangelium recepisset, non esset tamen dubium a tempore resurrectionis Domini usque ad præsentem ætatem fuisse homines, qui ab hac vita sine Evangelii cognitione transierint, de quibus dici possit quod vocati non sint, quia nec spem vocationis audierint. Quod si quisquam hanc vocationis plenariam generalitatem ita semper asserit celebratam, ut ab Ascensione Domini in cœlum, ne unus quidem annus effluxerit, intra quem non ad omnes prædicatio missa pervenerit, videat quomodo tunc Asianos vocatos probet, quando Apostoli, sicut scriptum est, vetiti sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia, aut Bithinios, ad quos iidem Apostoli tentabant ire, & non permisit eos Spiritus Jesu ... Postremo respiciantur etiam inter Christianos populos tot millia parvulorum qui ab hac vita sine baptismo transierunt & aliquo modo probentur vocati, quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit subvenire*.

His verbis nihil omnino disertius afferri potest, ait enim S. Prosper eos non habere gratiam Dei vocantem quibus annuntiatum non fuit Christi Evangelium, atque item falsum esse verbi prædicationem ad omnes pervenisse. Ne quis autem reclamet adversus Deum, quod omnes non fuerint vocati, obtendit exemplum parvulorum *qui ab hac vita sine baptismo transierunt*, quibus nemo *potuit* subvenire.

Objectioni octavæ, *quod non omnes homines velit Deus salvos fieri*, respondet: *Si circa universitatem generis humani salvandam, & agnitionem veritatis vocandam ita indifferens per omnia sæcula asserenda est voluntas Dei, ut usquequaque neminem hominum prætermisisse monstretur, impenetrabilis judiciorum Dei altitudo pulsatur. Quare enim in præteritis sæculis dimiserit Deus omnes gentes ingredi vias suas, quando Jacob elegit sibi Dominus & non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis; & cur qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei sit, & quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur:*

& ubi

& ubi dictum est, non plebs mea vos, ibi vocentur filii Dei vivi, & quare quod quærebat Israel non sit consecutus, electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt, impossibile est comprehendere, & periculosæ curiositatis est quærere, cum tamen quod nulla sit apud Deum iniquitas, nemini liceat ignorare nec alia fide quemquam hominum sive ante legem, sive legis tempore justificatum esse credendum sit, quam hac eadem per quam Dominus noster Jesus-Christus secundum consilium voluntatis suæ in fine sæculorum venit quærere & salvare quod perierat.

In his itaque S. Prosperi principiis, si omnibus & singulis hominibus vel etiam infidelibus, gratiam sufficientem impertiret Deus, vel ad credendum, vel ad quærendam veram religionem, vel ad eliciendos quosdam actus supernaturales quibus præpararentur proxime ad fidem Christi suscipiendam; certe jam impenetrabilia non essent judicia Dei in eo quod quidam vocati sint, alii vero non sint vocati; sed immo recte intelligeretur ideo quosdam efficaciter vocatos, gratiæ sufficienti eos excitanti ad credendum non restiterunt; existimabat igitur S. Prosper non dari auxilia gratiæ internæ sufficientia infidelibus apud quos prædicatum non fuit Christi Evangelium.

Probatur 5. ex S. Fulgentio qui eandem doctrinam expresse tradit lib. de Incarnat. & grat. cap. 7. *Nos autem*, inquit, *incomprehensibilia credentis & demonstrantis judicia Dei ex una massa perditionis alios salvari dicimus, alios justo & occulto judicio derelinqui, ubi derelictos vere auxilio sufficienti privare, quia si illud haberent, nec ita proprie vocaret derelictos*. Et respondens semi-Pelagianis qui contendebant nemini denegatum sufficiens auxilium quo salvari possit, ex eo nimirum quod ex Scripturis Deus vult omnes salvos fieri, sic habet: *alioquin dicant si possunt ii, qui hoc divinæ justitiæ & bonitati contrarium affirmant cur is qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, tam multas virtutes fecit in Corozain & Bethsaida, & nullam harum in Tyro & Sidone facere voluit, ubi si factæ fuissent, sicut ipse testatur, forsitan in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*.

Ibi S. Fulgentius hoc nititur Scripturæ testimonio: *Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone facta fuissent signa & virtutes quæ factæ sunt in te, &c.* Lucæ 10. cap. Quo quidem hanc suam fulcire sententiam solent Theologi qui putant infidelibus omnibus non dari supernaturale sufficiens gratiæ adjutorium; aiunt enim liquido constare ex illo loco, non fuisse facta miracula in Tyro quæ facta sunt apud Judæos, adeoque nec eis datum fuisse ullum gratiæ interioris auxilium quo potuissent credere si voluissent; quibus enim denegatur Evangelii prædicatio, verisimiliter non datur auxilium internum credendi, quomodo enim credent sine prædicante?

His adde eundem Fulgentium non semel affirmare gratiam non dari omnibus, lib. 1. de veritate Prædest. cap. 14. *In cujus gratiæ largitate*, inquit, *quidam non leviter errant existimantes eam omnibus hominibus æqualiter dari*. Et cap. 20. *Non ergo putemus gratiam Dei omnibus dari*. Si qui sunt autem quibus denegatam & denegari gratiam merito possimus præsumere, maxime infideles quibus nunquam affulsit Evangelii lumen.

Egregie vero idem scribunt Africani Episcopi exules in Sardinia, Epistola nempe Synodica, *De gratia*, inquiunt, *non digne sentit quisquis eam putat omnibus hominibus dari, cum non solum non omnium sit fides, sed adhuc nonnullæ gentes inveniantur ad quas fidei prædicatio non pervenit; beatus autem Apostolus dicit, quomodo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* quo quidem testimonio nihil

nihil omnino præclarius desiderari potest.

Probatur denique nonnullis rationibus.

Prima est, gratia illa sufficiens, de qua movetur præsens quæstio, est vera Christi gratia; tametsi non sit gratia efficax; vera tamen est gratia ad salutem ordinata, quæ datur a Deo ex beneplacito & bona voluntate erga homines & ex meritis Christi: sed ex hoc ipso quod gratia est, dici non debet omnibus hominibus communis, dici non debet data omnibus cum gratuito detur, aliter non esset gratia; in hoc, inquiunt sancti Doctores, gratia monstratur esse vera gratia quod non omnibus sed quibusdam tantum datur; ita S. Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 7. *Nec beneficium*, inquit, *quod quibusdam gratis tribuitur*, *appareret*, *nisi Deus aliis ex eadem massa pariter reis justo supplicio condemnatis*, *quid utrique deberetur ostenderet*. Et lib. de dono perseverant. cap. 12. *Dando*, inquit, *quibusdam quod non merentur profecto gratuitam*, *& per hoc veram suam gratiam esse voluit*. *Non omnibus dando*, *quod omnes merentur*, *ostendit*.

Eodem modo ratiocinatur S. Thomas quæst. 24. de veritate, art. 15. his verbis: *Si autem nec ipsa præparatio ad gratiam sine aliqua gratia habituali esse potest; aut illa datur omnibus aut non; si omnibus datur*, *non videtur aliud esse quam aliquod naturale donum*. *Nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire nisi in aliquo naturali*. Porro si qui sunt inter homines quibus gratiam suam deneget Deus, hoc maxime, ut jam dixi, præsumere possumus de infidelibus infidelitate negativa laborantibus: Igitur gratia sufficiens non datur omnibus & singulis infidelibus.

Neque dicatur ex illo principio manifeste sequi, nec dari auxilium gratiæ sufficientis iis omnibus, in quibus nullum est peccatum vel originale vel actuale, quia etiam tunc cum omnibus daretur, vera gratia non esset: sed istud omnino dici non potest; diximus enim gratiam sufficientem non defuisse Angelis & primo homini ante lapsum considerato, tum nec deesse justis ad servanda mandata, quia in eis nullum est peccatum vel originale, vel actuale.

Scilicet longum latumque discrimen est inter infideles & induratos, quibus interdum denegari a Deo gratiam sufficientem existimamus, & alios homines in quibus nullum invenitur peccatum vel actuale, tametsi verum sit gratiam nemini dari ex meritis, non dari omnibus, non dari ex justitia, sed omnibus ex misericordia Dei & beneplacito. Et ratio est, quia cum peccatores excæcati & infideles sint inimici Dei, si Deus illis semper gratiam suam peræque largiretur ac justis, jam merito censeretur gratia dari ex justitia, quasi donum esset cuilibet homini debitum, quod tamen falsum est, ut manifeste colligitur ex autoritatibus mox allegatis. Sed quod Deus justis nunc hominibus, uti & Adamo ante lapsum, conferat gratiam sufficientem in omni necessitatis casu, nemo inde suspicari potest gratiam esse omnibus hominibus debitam, quia nempe hæc gratiæ collatio fundatur quodammodo in meritis illorum hominum qui per primam gratiam omnino indebitam meruerunt habere secundam, atque ita & hæc infusio gratiæ quæ justificatis nunquam deest, aliunde est gratia quia fundatur in prima gratia.

Secunda ratio est, quia ex consensu omnium Theologorum datur aliqua infidelitas negativa, quidam sunt infideles negative, qui nempe ne verbum quidem unum audierunt de Christo ejusque religione: hi censentur non peccare, quando non observant præcepta legis divinæ positivæ, & iis sola imputantur peccata quæ legi naturali adversantur: Atqui si detur gratia quædam sufficiens cunctis infidelibus, qua nimirum possit

etiam

etiam mediate per bona opera & rationes pervenire ad fidem Christi, in quantum, si his gratiæ auxiliis bene utantur, Deus alia aut proxime sufficientia aut efficacia subministraret, uti dicunt adversarii, profecto nulla jam daretur infidelitas negativa; omnes enim & singuli infideles suæ infidelitatis rei forent, in eorum culpa propria esset quod Christo non crederent, ut per se patet: Igitur ejuscemodi infidelibus non datur gratia sufficiens.

Atque hinc aperte colligitur illos nec ipsum præsentis controversiæ statum attigisse, qui docent gratiam sufficientem eatenus habere infideles omnes, quatenus Deum per creaturas cognoscere possunt, juxta illud Apostoli, *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt visibilia conspiciuntur;* atque ex ejusmodi fide excitari, Deo juvante ad adorandum, ut patet exemplo Cornelii Centurionis Act. 10. cap. & ita impetrare majus fidei lumen quod Deus ipsis communicat, id, inquam, hoc in negotio nullius plane momenti est.

1. Quia ejusmodi cognitio existentiæ Dei per creaturas mere naturalis est, tum in suo principio, quia lumine naturali parta est, tum in suo fine, quia per illam Deus attingitur solum prout est autor naturæ; ad quam proinde cognitionem non requiritur gratia sufficiens, quæ per se & ex natura sua auxilium est supernaturalis ordinis quo tendit homo & ordinatur ad salutem.

2. Quia si diceretur per illam cognitionem Dei naturalem posse gentiles mereri gratiam sufficientem, hoc aperte Pelagianum esset, gratia enim non ex operibus, gratia non datur ex meritis.

Tertia ratio est, quia nullo fundamento affirmatur talem gratiam sufficientem a Deo dari omnibus infidelibus, qui natura sunt filii iræ per peccatum scilicet originale; vel enim illud fundaretur in certa quadam lege a Deo facta; vel in aliquo hominis merito: sed neutrum dici potest; non primum, quia ejusmodi legem dandi infidelibus gratiam sufficientem nullibi reperire possunt adversarii; nec secundum etiam, quia, ut mox diximus, gratia non datur meritis: igitur gratia sufficiens non datur omnibus & singulis infidelibus infidelitate negativa laborantibus.

Quarta ratio est, quia *Fides*, inquit S. August. libro de gestis Pelagii c. 14. *est initium unde bona opera incipiunt*, ex quo sic argumentari juvat: Illi non habent gratiam qua possint converti, qui non habent fidem, qui non possunt credere Evangelio: sed infideles infidelitate negativa laborantes; is scilicet quibus nunquam affulsit lux Evangelii, credere non possunt Christo & ejus Evangelio: *Quomodo enim invocabunt eum in quem non crediderunt; quomodo credent sine prædicante, quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* inquit Apostolus ad Romanos cap. 1. Quod autem dicunt adversarii hos infideles non habere quidem fidem perfectam sed inchoatam; quatenus omnes excitantur & inspirantur a Deo ad cognoscendam infirmitatem suam, & ad implorandum medici alicujus præsidium, hoc certe gratis & sine fundamento affirmant.

Quinta denique ratio est, quia sanctus Augustinus recurrit sæpius ad inscrutabilia Dei judicia, volens hanc quæstionem solvere cur Deus unum potius quam alium infidelem vocet ad fidem; sed posita adversariorum sententia hæc difficultas explicari facillime posset, dicendo nempe eos infideles, qui gratia illa sufficienti omnibus communi bene & feliciter utuntur, gratiam abundantiorem accipere vel etiam ipsam fidem, aliis vero & gratiam & fidem quæ Dei donum est, denegari in pœnam illius contumaciæ qua gratiæ sufficienti resistunt: Igitur falsum est Deum dare omnibus & singulis

gulis infidelibus gratiam aliquam sufficientem.

Hoc argumento sic premuntur adversarii, ut cogantur respondere rarum esse infideles bene uti gratia generali, adeoque semper recurrendum esse ad inscrutabilia Dei judicia. Sic vero respondere nonne est causam suam deserere?

His adde non parum in hoc debilitari adversariorum sententiam, quod cum ab iis quæritur, in quo posita sit illa gratia sufficiens quam dicunt omnibus & singulis infidelibus dari, vacillant multum, dubitant quid respondeant, & in ista re assignanda nunquam fere inter se consentiunt: alii enim dicunt esse cogitationem aliquam ab objectis naturalibus suscitatam; alii dicunt esse insitam a natura supremi numinis rerum omnium parentis cognitionem; alii putant nihil aliud esse quam remotionem occasionum quibus tentarentur infideles, & consequenter peccarent; alii denique aliud esse censent, in quo certe vehementer decipiuntur, nomine enim gratiæ sufficientis intelligere debent supernaturalem aliquam voluntatis motionem & excitationem ad bene agendum.

Solvuntur Objectiones.

Objiciunt adversarii multa Scripturæ loca in quibus asseritur Deum non deesse hominibus, vocare omnes, eos semper movere & excitare ad salutem, nemini denegare auxilium sufficiens: quia neminem vult perire, quia venit salvum facere universum populum, & alia ejusmodi quorum nonnulla proferemus.

Isayæ 65. ait Deus, *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum & contradicentem mihi*. Quo quidem testimonio utitur Apostolus ad Rom. 10. dicens, *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in Cœlum?* Et postea, *prope est verbum in ore tuo & in corde tuo*. Quasi dicat impossibile non esse homini vitam æternam consequi, quia semper præsto est auxilium Dei.

Item Proverbiorum cap. 1. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, convertimini ad correctionem meam, en proferam vobis spiritum meum .... Vocavi, & renuistis, manus meas extendi*. Ezechiel. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dixit Dominus Deus, & non ut magis convertatur, & vivat?*

Item in novo Testamento Joan. 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. 1. ad Timoth. cap. 4. *Qui est Salvator omnium hominum maxime fidelium*. 2. Petri cap. 3. *Sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Igitur omnibus & singulis hominibus, vel etiam infidelibus datur gratia sufficiens.

Respondeo hæc Scripturæ loca, aliaque similia quæ plane innumera inibi leguntur, accipienda non esse litteraliter de omnibus omnino hominibus universim, quasi Deus omnes & singulos nullo excepto vocet, ad se trahat, illuminet: quasi omnes homines Deum agnoscant, confiteantur, adorent; sed illa demum omnia intelligi debent synecdochice, ita ut pars sumatur pro toto, omnes homines pro majori hominum parte; quomodo explicanda necessario sunt infinita Scripturarum loca, in quibus terra pro parte terræ, mundus pro mundi parte accipitur; duplici potissimum momento nititur hæc solutio.

Primum petitur ex eo quod falsa manifeste essent pleraque hæc loca, si hoc pacto intelligentur universaliter de omnibus hominibus, nullo excepto, si de universo mundo nulla ejus parte dempta: certum est enim v. g. Deum

non

non vocare omnes homines, ad omnes & singulos non extendere manum suam per auxilium scilicet sufficiens quod omnibus tribuat, per vocationem supernaturalem, cujus certe initium est fides quæ ad omnes & singulos homines non pervenit. Unde hunc locum Proverbiorum explicant vulgo Interpretes de Christo Domino quæ Dei sapientia, quæ foris prædicabat per Apostolos & in plateis; sed in omnem terram non exivit sonus eorum, quasi nulla sit terræ pars ad quam non pervenerit, quasi nullus homo hanc prædicationem ignoraverit: quamobrem merito concluditur in hominibus qui de Christo nihil audierunt, non datum auxilium internum supernaturale ad credendum.

Insuper cum dicitur Deus, Joannis primo, *illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum*, liquido patet omnibus, hanc propositionem non esse universaliter veram, si intelligatur de auxilio interno supernaturali gratiæ dato omnibus. 1. quia non datur ejusmodi auxilium infantibus. 2. quia non censentur illuminati a Deo qui illum non cognoscunt, qui de Religione Christiana nullum unquam audierunt verbum, quales sunt infideles multi. Quapropter hunc Scripturæ locum explicat S. Thomas Comment. in Joan. de naturali lumine rationis quod datum est omnibus hominibus ad cognoscendum Autorem naturæ & generalia morum principia. Vel si intelligatur de lumine gratiæ, sic, inquit, exponitur a S. Augustino ut ea vox *omnem* secundum distributionem accommodatam accipiatur; & sensus est, Deum illuminare omnem hominem qui illuminatur, quia nemo illuminatur nisi a Verbo. Sic vero exponitur a sancto Chrysostomo, ut sit sensus, Verbum illuminare omnem hominem, quia, quantum in se est, voluit nemini deesse; & culpa est hominis qui non illuminatur.

Secundum momentum sumitur ex eo quod hæc communis est interpretatio apud sanctos Patres, ita v. g. S. Fulgentius, cujus testimonium satis prolixum referam quod multa Scripturæ loca commemorat in hujusce veritatis confirmationem, sic itaque loquitur lib. de Incarnat. & gratia cap. 31. *Quocirca illos omnes Deus vult salvos fieri, sic intelligere debemus, ut nec aliquem putemus salvum fieri posse nisi voluntate Dei, nec existimemus voluntatem omnipotentis Dei, aut in aliquo non impleri, aut aliquatenus impediri ..... Verumtamen in his omnibus hominibus, quos Deus vult salvos facere, non totum omnino genus significatur hominum, sed omnium universalitas salvandorum .... Est autem familiare divinis eloquiis, ut omnes nonnunquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant, sicut est illud quod dicit Dominus per Prophetam Joel (In novissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem.) Quod in consensum viginti hominibus in quos Spiritus sanctus linguis igneis venit, factum B. Petrus ostendit; si ergo hic omnem carnem omnes omnino putaverimus homines intelligi, incipiet (quod absit) mendax æstimari sermo divinus ..... B. Paulus alio quoque loco ait conclusisse Deum (omnia in credulitate, ut omnium misereatur) & tamen Deus non ita omnium omnino miseretur, quos in credulitate conclusit, ut omnibus infidelibus gratiam fidei misericorditer donet, cum tamen eandem gratiam fidei non infidelibus Deus misericors donet, sed illis procul dubio de quibus ad Moysen dicit: Miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo cujus miserebor.*

Et postea ibidem, *Iterum dicit Propheta: Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Dominus quoque suis fidelibus dicit, Eritis odio* omni-

omnibus gentibus propter nomen meum. Nunquid ergo contrariis sibi repugnat Scriptura divina? Absit. Sed & illos omnes & istos omnes veraciter dicit, idest, & omnes fideles qui nomen Domini in omnibus gentibus glorificant, & omnes incredulos, qui per easdem omnes gentes, in odio nominis Christi fideliumque ejus mortis fera impietate perdurant. Tale quiddam est etiam in Epistola quam Colloßensibus beatus Apostolus scribit, ubi dicit, quia in Christo condita sunt universa, in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes & omnia in ipso constant; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, per eum reconciliari omnia in ipsum pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis sunt. Nunquidnam omnia quæ in cœlis & in terris sunt per eum pacificata credemus? Absit. Qui enim sic sentire voluerit, bicipitem laqueum geminæ impietatis incurreret, ut aut Diabolum & Angelos ejus per Christum creatos esse neget, aut eos reconciliandos per sanguinem Crucis ejus affirmet.

Est etiam hæc interpretatio similium Scripturæ testimoniorum Autoris, quisquis ille sit, operis de vocatione gentium, is enim lib. 1. cap. 9. allatis pluribus Scripturarum locis sic loquitur: *His igitur & aliis documentis quæ possunt ab inquirentibus numerosiora proferri, non dubie demonstratur interdum & pro parte terræ omnem terram, & pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominum omnes homines nominari. Quorum tamen discretionem plerumque Scriptura cito aperit, ut sensus legentis ab universitatis appellatione ad partem quæ intelligenda est, transferatur. Sicut est Apostoli dicentis, Prædicamus Jesum Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis vero vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Nunquid ipse est Christus virtus quibus scandalum, aut ipsis sapientia quibus stultitia?* Idem Scriptor probat cap. 10. Scripturam de Electis & reprobis ejusdem populi loqui tanquam de iisdem. Cap. 11. eandem Scripturam de diversorum temporum hominibus loqui, quasi de ejusdem temporis generatione. Demum cap. 12. ostendit illud Apostoli, *vult omnes salvos fieri*, de omni genere hominum esse intelligendum, & concludit allata Scripturæ testimonia universaliter non esse accipienda.

Cum porro respondemus præfata hæc Scripturæ testimonia litteraliter de omnibus & singulis non esse intelligenda, ex illis excipiamus ea omnia quæ Dei voluntatem salvandi omnes homines exprimunt, quomodo hæc debeant explicari & ad hanc nostram sententiam accommodari, mox videbitur in sequenti objectione.

Objicies: certum est Deum velle sincere omnes homines salvos fieri, certum est iterum pro omnibus & singulis hominibus Christum mortuum. Sed his positis quæ indubitata sunt apud Theologos, omnibus omnino hominibus, qui sui compotes sunt, dantur auxilia gratiæ sufficientia, quibus paulatim viam sibi ad æternam salutem parare possint; aliter fictitia esset illa voluntas in Deo; quemadmodum enim Deus non censeretur voluisse, quantum in ipso est, omnes Angelos salvos fieri, si gratiam singulis non dedisset, qua poterant perseverare, ita nec omnium hominum salutem, quantum in ipso est, velle putaretur, si ea gratiæ auxilia omnibus hominibus non conferret, quæ saltem remotam adipiscendæ salutis potestatem tribuerent; adeoque hæc Dei voluntas non extenderetur ad eos infideles, quibus gratiam sufficientem non largiretur.

Ex

Ex illa Dei voluntate salvandi homines, tum ex Christi pariter morte colligunt Sancti Patres gratiam sufficientem in omnes & singulos homines fuisse diffusam, ita S. Ambrosius qui in Psal. 118. in hæc verba, *Misericordia Domini plena est terra*, sic habet: *Mysticus sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit; ideo autem passus est ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo Sol non est ortus omnibus, quia calore ejus ipse se fraudavit, sed quod Solis est, prærogativam suam servat, quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit. Docet autem Deus & mentes illuminat singulorum, & claritatem cognitionis infundit, si tu aperias ostia cordis & cœlestis gratiæ recipias claritatem.*

Idem docet, vel etiam clarius, si fieri potest, Autor operis de vocatione gentium, quod tribui solet S. Prospero, libro nempe 2. cap. 31. *Elaboratum est*, inquit, *quantum Dominus adjuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro sæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentia quidem pari & bonitate generali, sed multimodo opere diversaque mensura, quoniam sive occulte sive manifeste ipse est, (ut Apostolus ait) Salvator omnium hominum maxime fidelium. Quæ sententia subtilissimæ brevitatis & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc de qua agimus controversiam dirigit, dicendo enim, qui est Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem; adjiciendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspiratæ ad humanam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.* Dixerat cap. 28. *Fit manifestum quod diversis atque innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; sed qui veniunt Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt sua pertinacia reluctantur.*

Ex quibus manifeste sequitur, inquit Pater Dechamps lib. 3. de hæresi Janseniana disput. 8. cap. 11. infideles tenuissimo saltem gratiæ sufficientis rore aspersi, cujus beneficio majora in dies gratiæ auxilia impetrare, atque adeo paulatim & certis quibusdam gradibus ad salutem pervenire possunt. Quin & profert ibidem autoritatem S. Augustini qui cum Manichæis disputans, lumen gratiæ cum Solis luce similiter comparat: *Solis istius lumen*, inquit S. Doctor *non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis & mortales oculos, in quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui Solem istum multo melius quam nos dicuntur aspicere. Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt. Quod omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Quæ verba, inquit, rem plane conficiunt; ait enim S. Augustinus omnes posse mandata servare, si velint, quia nempe omnes gratiam accipiunt, quæ id volendi potestatem conferat.

Addit ille testimonium Pauli Orosii Hispani Presbyteri, qui in Africam trajecit, ut S. Augustinum adiret, & adversus Pelagium scripsit in Apologetico de arbitrii libertate, ubi mentem suam sic exponit: *Mea semper hæc est fidelis atque indubitata sententia Deum adjutorium suum, non solum in corpore suo quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiâ sua dona largitur, verum etiam universis in hoc mundo gentibus longanimem suam æternamque*

que clementiam subministrare, *non*, *ut tu asseris cum discipulo tuo Celestio*, *cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est in solo naturali bono ; & in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam sed speciatim quotidie per tempora*, *per dies*, *per momenta*, *per atoma & cunctis & singulis ministrare*. Sed ne quis id colligeret gratiam singulis momentis conferri, mentem suam paulo post explicat, *evidentissime*, inquit, *declaratum est nemini hominum deesse Dei adjutorium*, *praesertim cum & seductor insistat*, *& insit infirmitas*. Igitur ipsis quoque infidelibus tum ad peccata vitanda, tum ad salutem certis gradibus promovendam necessaria gratiae divinae auxilia conceduntur.

Nonnulli ex adversariis alia objiciunt S. Augustini testimonia, puta quod in Commentario ad Psalm. 45. in illud, *Deus in medio ejus*, *non commovebitur*, ait : *Quid ergo est Deus in medio ejus*, *hoc significat*, *quod aequus est omnibus Deus & personas non accipit ; quomodo enim illud quod in medio est*, *paria habet spatia ad omnes fines*, *ita Deus medius esse dicitur*, *aequaliter consulens*. Item quod scribit lib. de natura & grat. cap. 18. his verbis : *Hinc jam hominibus de ipsius ignorantiae difficultatisque in prolem primi hominis trajectis vitiis atque veluti transfusis justam querelam deponentibus ita responsum est*, *Quibus breviter respondetur*, *ut quiescant & adversus Deum murmurare desistant ; recte enim fortasse quererentur*, *si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret*. *Cum vero ubique sit praesens qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem*, *aversum vocet*, *doceat credentem*, *consoletur sperantem*, *diligentem adhortetur*, *conantem adjuvet*, *exaudiat deprecantem*, *non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras*, *sed quod negligis quaerere quod ignoras*, *nec illud quod vulnerata membra non colligis*, *sed quod volentem sanare contemnis*.

Item ajunt eandem doctrinam tradi vulgo ab aliis multis sanctis Patribus, sic sanctus Irenaeus lib. 4. cap. 71. *Consilium quidem bonum Deus dat omnibus*. S. Hilarius lib. 1. de Trinitate ait, *Esse filios Dei non necessitatem esse sed potestatem*, *quia proposito universis Dei munere*, *non natura gignentium asseratur*. S. Clemens Alexand. orat. paraenetica ad gentes, *Audite qui estis longe*, *audite qui estis prope*, *nullis relatum est Verbum*, *lux est communis*, *omnibus illucescit hominibus*. S. Chrysostomus homil. 7. in Joan. *Christus quantum in ipso est*, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. S. Paulinus Epist. 1. ad Aprum ait, *Deum*, *quantum in se est*, *hominem salvare*.

Igitur omnibus & singulis hominibus, adeoque & ipsis infidelibus dantur auxilia gratiae sufficientia.

Respondent nonnulli ex illo Scripturae effato, *Deus vult omnes salvos fieri*, neutiquam inferri posse Deum omnibus & singulis hominibus vel etiam infidelibus gratiam sufficientem largiri, quia videlicet de omnibus universe hominibus, nullo excepto, non debet intelligi, sed cum aliqua restrictione, quemadmodum illud idem exposuit sanctus Augustinus vel per accommodatam distributionem de singulis generibus, non de singulis generum, libro nempe de corrept. & gratia c. 14. vel ita ut Deus dicatur omnes homines velle salvos fieri, omnes nimirum qui salvantur, non autem omnes omnino qui existunt, in Enchiridio cap. 103. quales interpretationes sequuntur plerique alii Patres, S. Prosper in Epist. ad Rufinum. S. Fulgentius libro citato de Incarnatione & gratia cap. 31. Africani Episcopi in Sardinia exules sua in Synodica, aliique quorum loca referemus infra, cum de voluntate

Dei

Dei salvandi omnes homines tractabimus.

Quoniam vero stare volumus certum & inconcussum quod loco mox designato probabimus, veram & sinceram esse voluntatem in Deo salvandi omnes homines, huic præfatæ responsioni non adhærebimus, sed respondemus non idcirco dari gratiam sufficientem infidelibus, quod Deus vult voluntate scilicet antecedenti illos salvos fieri. Scilicet ex voluntate generali & antecedenti salvandi omnes homines non sequitur Deum ipsis singulis dare ejusmodi auxilium gratiæ sufficiens internum supernaturale, cujus veritatis probationem habemus omni exceptione majorem & absolute loquendo peremptoriam; constat nimirum non obstante illa generali voluntate Dei salvandi omnes & singulos homines, nullum dari auxilium gratiæ sufficientis internum applicatum infantibus sine baptismo decedentibus, quod unicum exemplum sufficit, ut inferamus ex illa præcise voluntate antecedenti, quam ultro admittimus in Deo, non sequi Deum dare infidelibus ejusmodi gratiam sufficientem.

Neque est quod dicatur multum esse discriminis inter infideles & infantes, nec ullo præcepto tenentur, nec peccata committere possunt, quo fit ut gratia sufficiens ipsis necessaria non sit vel ad observanda mandata, vel ad superandas tentationes; adulti vero servare mandata & peccata vitare tenentur.

Nam 1. huic objectioni quæ petitur ex necessitate gratiæ sufficientis, ut infideles culpari possint quod non servaverint mandata, quod peccata non vitaverint, quod demum occurrentibus in ordine tentationibus non restiterint, huic, inquam, objectioni quæ diversa est ab ista quam ex voluntate generali salvandi omnes homines depromunt, mox sumus facturi satis.

2. Et responderi potest quod olim S. August. in simili prope casu; scilicet, cum ad probandum gratiam dari a Deo pro voluntate & beneplacito, cui vult & sine ullo merito ex parte hominum, non semel usus fuisset sanctus Doctor exemplo parvulorum, quos inter unus assumitur, alter relinquitur, istud exemplum ferre non potuerunt Massilienses, teste Hilario sua in Epist. *Parvulorum autem causam ad exemplum majorum non patiuntur adferri*. Non alia profecto causa, quam quia dicebant rationem esse multum diversam adultorum & parvulorum, quatenus parvuli nullos possunt elicere actus quibus gratiam petant vel respuant, quos actus elicere possunt adulti: huic argumento quid respondet S. Augustinus?

Audiendus est libro de dono perseverantiæ cap. 11. *Cur autem*, inquit, *causam parvulorum ad exemplum majorum, sicut scribitis, non patiuntur afferri, homines qui contra Pelagianos non dubitant esse peccatum originale, quod per unum hominem intravit in mundum ex uno omnes isse in condemnationem?* Sic pariter & nos dicimus, cur causam parvulorum in ista controversia a nobis afferri in exemplum ægre patiuntur adversarii. Eadem est certe & communis causa infidelium & parvulorum in præsenti negotio, Deus enim utrosque voluit salvare vera & sincera voluntate; quemadmodum tamen nullum dedit auxilium gratiæ actualiter impensum & applicatum infantibus non suscepto baptismate morientibus, quos tamen voluit salvos fieri, ita merito dicitur Deum voluisse vera & sincera voluntate salutem infidelium qui de Christo nihil unquam audiverunt, tametsi affirmetur illos nullam habere gratiam sufficientem. Immo, ut ait Thomas de Lemos insignis Thomista lib. 4. p. 2. tract. 3. cap. 15. *In majoribus plus impedimenti est respectu gratiæ dandæ quam in parvulis, ut majore cum*

justitia eis omnem suam gratiam Deus possit denegare, cum ipsi graviora & plura peccata habeant actualia, quam parvuli qui nullum actuale commiserunt.

Neque vero dici propterea debet illam generalem Dei voluntatem salvandi omnes homines esse sterilem, & mere otiosam, quandoquidem nullam gratiam vel etiam sufficientem dat Deus iis quos vult salvare. Hoc, inquam, responderi non potest, quia contendimus, consequenter ad illam voluntatem qua Deus vult omnes homines salvos fieri, Deum quantum in ipso est, præparasse media ad salutem hominum conducentia, præcepit enim ex sincero voluntatis suæ beneplacito, ut prædicaretur Evangelium per omnem terram, tum vero ut Baptismus omnibus & singulis administraretur: *Ite, docete gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Ita ut, si hæc ita non fiant, sintque innumeri infideles qui de Christo ejusque Baptismo nihil unquam audierunt, non in culpam Dei sed hominum refundi debeat.

Responderi etiam posset eo sensu a Deo vocatos fuisse omnes infideles, quod Deus ipsis lumen rationis indidit, quo, mediis creaturis, ad bonum agendum incitarentur, adeo ut si male agant, ex illorum culpa fit, non ex defectu vocationis qua generaliter Deus omnes in universum vocat, quæ solutio est Prosperi aut alterius, lib. 1. de vocat. gent. cap. 5. ubi sic habet: *Quamvis hæc & multa similia veritatis Scripturæ pronunciet, secundum ipsam tamen credimus, & piissime confitemur, quod nunquam universitati hominum divinæ Providentiæ cura defuerit, quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ bona substraxit, ut propheticas voces & præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse.* Ubi ait per elementa, hoc est per creaturas, ad Deum dirigi gentes, qui populum suum specialibus donavit institutis, quo sensu curam habet generalem omnium.

Cæterum aperte falsum est quod in ista objectione proferunt adversarii, ex generali voluntate Dei salvandi omnes homines, tum ex Christi morte colligere sanctos Patres gratiam sufficientem in omnes & singulos fuisse diffusam, si nempe id intelligatur de gratia interna supernaturali, idque extendatur ad omnes & singulos homines, vel etiam infideles; uti facile constabit singula eorum loca paucis examinando.

Quid etenim v. g. inferri potest ex S. Ambrosii verbis? Certe hoc unum, affirmat S. Doctor Deum illuminare mentes singulorum; at vel illud intelligitur de lumine naturali, vel de lumine gratiæ & fidei quod supernaturale est; si loquatur Ambrosius de lumine rationis, fatemur illud nemini non fuisse concessum, adeo ut nemo ignorantiam Dei & generalium bene vivendi præceptorum prætendere merito queat; sed non inde sequitur, singulis infidelibus dari gratiam sufficientem. Si sermo esset de lumine fidei, propositio S. Ambrosii foret manifeste falsa, neque enim omnes & singuli infideles lumen fidei divinæ revera acceperunt.

Quod autem dicit Christum, qui Sol justitiæ est, omnibus ortum, omnibus passum, omnibus venisse, profecto hæ locutiones generales secundum distributionem accommodatam intelligi debent, uti supra diximus, explicando hunc Apostoli locum, *Deus vult omnes homines salvos fieri.*

Idem respondendum est testimonio autoris operis de vocatione gentium; nec plus virium habent quæ objiciuntur tum ex S. Augustino, tum ex Paulo Orosio.

Quod idem S. August. in Psal. 45. dicit Deum in medio omnium æqualiter illis consulere sine acceptione personarum, profecto intelligit de naturali providentia qua omnium curam habet Deus.

Deus, ut verba ipsa demonstrant. Simillimum est quod objicitur ex libro de natura & gratia, ibi enim non agit S. August. de auxilio interno gratiæ, quod Deus omnibus & singulis tribuat, quando nempe ait Deum ubique præsentem *per creaturam sibi servientem aversum vocare*. Sed sensus est Deum per prædicationem Evangelii vel per exhortationes & consilia vocare, docere, consolari. Certe si sermo esset de interno gratiæ auxilio, diceret Deum per seipsum, per suas inspirationes vocare per creaturam sibi servientem. Quibus adde evidentissimum esse S. August. non de omnibus omnino hominibus verba facere, sed de solis fidelibus qui credunt, sperant, diligunt.

Denique quod objicitur ex aliis Patribus, Irenæo, Clemente, Hilario, Chrysostomo & Paulino, nequaquam huic nostræ doctrinæ officit; quando enim dicunt Deum illuminare omnem hominem, vel loquuntur de lumine rationis quod omnibus & singulis hominibus commune est, vel loquuntur de lumine fidei; & sensus est hoc supernaturale lumen fuisse omnibus destinatum voluntate Dei antecedente, in quantum Deus, prout in ipso est, voluit omnes illuminari; aut dicendum tandem ejusmodi propositiones universales secundum distributionem accommodatam accipiendas ad sensum superius expositum.

Objicies autoritatem Concilii Lateranensis magni hæc dicentis cap. *firmiter* num. 1. *Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari*. Quæ propositio manifeste falsa esset, nisi singulis peccatoribus, atque etiam infidelibus daretur gratia sufficiens, tum ad fidem suscipiendam, tum ad superandas tentationes, tum denique ad servanda Dei mandata.

Respondeo hujus assertionis sensum esse, nullum dari momentum temporis in quo peccatores quibuscunque peccatis obstricti, non possint converti ad Deum & per pœnitentiam reparari, quia nihil est impossibile Deo, & quia nullum est peccatum absolute irremissibile. Sed profecto sensus non est Deum semper & cuilibet peccatori dare quoddam auxilium internum supernaturale; nemo quippe, etiam inter eos qui existimant gratiam sufficientem dari omnibus & singulis hominibus seu infidelibus, seu induratis, seu justis, dixit unquam ejusmodi gratiam dari *semper*, hoc est quolibet instanti.

Igitur æquivocatio est in ista propositione, *peccator semper potest converti*, vel enim intelligitur eo sensu quod converti possit per auxilium gratiæ sufficiens, quæ in ipso homine sit, eique conferat potentiam proximam suæ conversionis; vel intelligitur eo sensu quod potest Deus quolibet instanti dare huic peccatori auxilium sufficiens, quo per pœnitentiam reparetur. Porro nihil omnino officit huic nostræ sententiæ, quod posteriori sensu intelligatur propositio Patrum Lateranensium, fatemur enim quoslibet peccatores per pœnitentiam resurgere posse: sed priori sensu dubio procul id non asserunt, quia quolibet instanti non datur gratia sufficiens, vel etiam fatentibus adversariis.

Quibus adde hoc Concilii decretum ad infideles non spectare, sed ad solos peccatores baptizatos, quos definiunt reparari posse per pœnitentiam.

Objicies: Concilium Senonense in decreto 15. postquam gratiæ sufficientis necessitatem astruxit, statim addit: *Nec tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat in quo Deus non stet ad ostium & pulset, cui si quis aperuerit januam intrabit ad illum, & cœnabit cum illo*. Existimat igitur hoc Concilium gratiam sufficientem dari omnibus & in quolibet.

bet instanti, unde sequitur & ipsos infideles tali gratia non carere.

Respondeo litteraliter & stricte non esse accipienda hæc Concilii verba, quia ex illis nimis probaretur, nimirum ne unum quidem præterire momentum in quo Deus non conferat gratiam sufficientem, quod nec ipsi pertendunt adversarii. Quamobrem ibi dicitur Deus quolibet temporis momento pulsare & stare ad ostium, eo sensu quod crebro pulsat, vel pulsat semper, aut per auxilium internum supernaturale, aut per externum, aut denique per internum lumen naturale.

Objicies autoritatem Concilii Trid. Sessione sexta cap. 5. ubi dicitur: *Exordium justificationis sumendum a Dei per Christum Jesum gratia præveniente, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem & adjuvantem gratiam, disponantur.* Eo loci Patres Tridentini absolute & indefinite pronunciant omnes adultos gratia præveniente vocari, quod oportet universim de omnibus & singulis adultis explicari, tum quia ibi sermo est de gratia ad salutem necessaria quæ datur per Christum qui pro omnibus mortuus est. Tum id constat ex oratione quam adducunt Patres his verbis, *ut qui per peccata a Deo aversi erant, &c.* Id enim spectat omnes omnino peccatores: Igitur existimabant Patres Tridentini gratiam sufficientem dari omnibus adultis, adeoque & infidelibus.

Respondeo id unum colligi posse ex hoc Concilii Trid. testimonio initium justificationis non esse a nobis sine gratia Dei operantibus, quod quidem abunde demonstravimus adversus Semipelagianos, hoc vero gratiæ prævenientis donum omnibus & singulis hominibus, vel etiam infidelibus apud quos nunquam prædicatum fuit Evangelium Christi, a Deo liberaliter dari neutiquam pronunciant Tridentini Patres, ut contextum hunc legenti manifeste patet. Deinde hoc argumento nimis probaretur, scilicet si supponeretur hanc prævenientem gratiam cunctis dari infidelibus, sequeretur ex illis neminem carere gratia efficaci, gratia enim illa præveniens qua disponuntur homines ad justificationem, quæ illos excitat, adjuvat, vocat, est gratia efficax: certe nullus quem sciam ex adversariis contendit infidelibus dari plerumque gratiam efficacem ad bene agendum, etiam quo tempore nondum ipsi fidem Christi susceperunt.

Quamobrem rationes quæ adducuntur in objectione, probant quidem ibi sermonem esse de omnibus adultis, quia verum est neminem adultum justificari posse, nec disponi ad justificationem sine gratia Dei præveniente, sed non probant talem gratiam dari semper singulis adultis.

Instabis, Patres Tridentini eadem sessione c. 13. definiunt Deum nemini deesse, *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Quæ propositio, cum sit universalis, de omnibus & consequenter de infidelibus intelligenda est; quæ tamen vera non esset, nisi Deus gratiam saltem sufficientem daret infidelibus, ubi & quando ipsis necessaria est: Igitur.

Respond. apertissimum esse hanc Concilii doctrinam non spectare infideles, cum ibi agatur solum de justificatis, ut clare demonstrant verba hæc immediate præcedentia: *Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere ut perseveranter stet, & eum qui cadit restituere. Nemo sibi certo aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, &c.* nimirum noverant Patres Tridentini de justificatis solum, non

mon de infidelibus aut de peccatoribus obduratis veram esse hanc sententiam, qui jam Deum deseruerunt, vel per peccatum originale simul & actuale.

Objicies; Deus impossibilia non jubet, ut late probatum est immediate præcedenti dissertatione: sed si Deus denegaret infidelibus gratiam sufficientem, tunc juberet impossibilia; his enim impossibilia sunt præcepta qui non habent auxilium sufficiens ad ea observanda: sed infideles sufficienti gratia & consequenter omni gratia destituti, non haberent auxilium sufficiens ad observanda mandata: ergo.

Nego min. & dico in hac nostra sententia Deum non jubere impossibilia: vel enim sermo est de præceptis legis naturalis, vel de præceptis legis divinæ: sed neutra ex parte Deus censetur jubere impossibilia infidelibus. Non ex parte quidem præceptorum legis divinæ, quia ut fatentur omnes, præcepta legis divinæ non obligant infideles, ignorantia invincibilis illorum præceptorum infideles, qui de Evangelio nihil audierunt, excusat a peccato. Neque etiam ex parte præceptorum legis naturalis, siquidem nihil vetat quominus ejusmodi præcepta, quæ solo rationis lumine absque fidei & revelationis auxilio norunt, sine ulla pariter gratia seu dono supernaturali adimplere possint. Hæc doctrina apertissime legitur apud Apostolum ad Romanos cap. 1. ubi testatur 1. fidem esse primam gratiam: *Virtus enim Dei est*, inquit, *in salutem omnem omni credenti Judæo primum & Græco, justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, justus autem ex fide vivit*. 2. eosdem tamen homines interdum puniri, quia non observant immo violant præcepta legis naturalis, quorum quidem unum est illud, Deum autorem naturæ esse adorandum: *Revelatur enim*, inquit, *ira Dei de cœlo super omnem impietatem & injustitiam eorum hominum qui veritatem Dei in injustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestatum est illis; Deus enim illis manifestavit, invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles quia cum cognovissent Deum, sicut Deum non glorificaverunt*.

Ex quibus sequitur reos haberi a S. Paulo infideles & barbaros, quod Deum non glorificaverint, tametsi nullam gratiam supernaturalem vel etiam sufficientem haberent, quia nimirum sicut per solum lumen naturale sine fide Deum cognoscebant, ita etiam sine ingrato animo & injustitia non potuerunt ab ejus amore abstinere, quantumvis gratia sufficienti essent destituti; siquidem ad præcepta legis naturalis observanda sufficit ratio naturalis, ut aperte colligitur ex hoc Apostoli testimonio, sufficit lex illa naturalis quæ scripta est in cordibus nostris, quæ dictat bonum esse faciendum, a malo declinandum: *Manu formatoris nostri*, inquit S. August. in Psal. 59. *in cordibus nostris Veritas scripsit, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur etiam ii quibus lex data non est*. Quasi dixisset, ii qui nullam habent gratiam, quia ut ostendimus supra; in mente Sancti Doctoris fides inchoata est prima gratia.

Atque hinc intelligitur quid sit respondendum objectioni quæ depromi solet ex hoc alio Theologiæ principio; *Nemo peccat in eo quod vitare non potest*. Contendimus enim infideles quando peccant, posse non peccare, quatenus, si sermo sit de præceptis legis divinæ, eorum observatione non obligantur; si de præceptis naturalibus, ea recte observare possunt, & quidem ex motivo honesto & moraliter bono sine gratia sufficienti, cum solo rationis naturalis dicta-

dictamine. Legi potest super ea re quod docet S. August. lib. de duabus animabus contra Manichæos, cap. 13.

Quamquam non diffitear aliquando dari a Deo gratiam iis præsertim infidelibus qui nondum plurima commiserunt peccata & antequam in mala peccandi consuetudine obduruerint: quo posito Deus impossibilia non jubet, nec censetur deesse in necessariis, quandoquidem contingit in pœnam peccati originalis & actualium peccatorum quæ commiserunt, ut priventur gratia sufficiente.

Objici solet testimonium S. Thomæ qui quæstione 14. de veritate, articulo 11. ad 1. sic loquitur: *Si aliquis nutritus in silvis vel inter bruta animalia ductum rationis naturalis sequeretur, in appetitu boni & fuga mali certissime est credendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium*.

Verum, ut dicam quod res est, non video quod ex illo S. Thomæ testimonio in præsidium suæ sententiæ, inferre possint adversarii. Hoc unum enim colligi potest divum Thomam præsumere futurum, ut si quis legem naturalem impleret, Deus ipsi gratiam fidei largiretur; quod certe neutiquam probat infideles habere gratiam sufficientem, immo supponit hic Theologus talem infidelem in silvis nutritum solo rationis ductu bonum facere & a malo declinare, qua quidem re putat Deum certissime moveri ad fidem Christianam largiendam, sed non dicit illum sequi rationis naturalis ductum gratiæ sufficientis beneficio.

Utrum peccatoribus vel etiam excæcatis & obduratis detur gratia sufficiens.

Si sermo sit de peccatoribus nondum induratis, hoc est, qui nonnulla commiserunt peccata etiam gravissima, sed in diuturna peccandi consuetudine, & in illo perversitatis statu non obduruerunt; ea videtur esse communis Theologorum sententia ejuscemodi hominibus sufficientem dari gratiam, tum ad nova peccata vitanda, tum ad priorum scelerum maculas salutari pœnitentia abstergendas; unde in hac doctrina pluribus demonstranda diutius non immorabor. Sed quia putant nonnulli partem contrariam tenere S. Augustin. quædam hujus sancti Doctoris testimonia referre non pigebit, quibus apertum sit ab ista veritate nusquam illum recessisse.

Insigne est quod scribit in Psal. 102. *Quid tam longanimum*, inquit, *quid tam multum in misericordia, peccatur & vivitur, accedunt peccata, augetur vita, blasphematur quotidie, & facit solem suum oriri super bonos & malos. Vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per misericordiam consolationis, longanimis & multæ misericordiæ, sed observa ne longitudine misericordiæ Dei male utendo, ut tibi thesaurizes quod ait Apostolus iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei*. Ex quibus manifestum est Deum eam largiri peccatoribus gratiam ad pœnitendum illis sufficientem, dicitur enim longanimis & multus in misericordia, dicitur vocare peccatores multis modis & per intimam cogitationem.

In Ps. 63. docet peccatores mutari posse in melius & converti, si velint: *Nunquid*, inquit, *consilii corrigendi & mu-*

mutandæ vitæ malæ in bonam non est locus, non est tempus? Nonne si vis hodie fit? nonne si vis modo fit? quid empturus es ut facias? quæ emplastra quæsiturus? ad quos Indos navigaturus? quam navim præparaturus? Ecce cum loquor, muta cor, & factum est quod tam sæpe & tam diu clamatur ut fiat., & quod æternam pœnam parturit, si non fiat.

Hanc porro veram ac germanam fuisse S. Augustini doctrinam confirmatur autoritate unius ex ejus discipulis, quisquis tandem ille fuerit, loquor de autore operis de vocatione gentium qui hoc idem aperte scribit l. 2. c. 26. his verbis: *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet suadendo exhortationibus., movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subjungitur, quæ ad hoc prædictis est exercita præsidiis, ut divino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate si deficit; de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur, & quod a multis refutatur ipsorum est nequitiæ.*

Id vero & multis Scripturarum testimoniis nititur, Ezechiel. c. 33. *Vivo ego*, inquit Deus, *nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua & vivat.* 2. Petri 3. cap. *Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed ad pœnitentiam reverti.* Quibus accedunt variæ exhortationes quibus Deus passim ad pœnitentiam invitat peccatores, quæ quidem non viderentur sinceræ, nisi Deus lapsis peccatoribus daret gratias ad resurgendum a peccato, aliaque vitanda scelera.

Quæstio est igitur de hominibus omnino induratis & excæcatis qui per longam peccandi consuetudinem ita sunt in malo obfirmati, ut jam nec de Deo quem offendunt, nec de peccatis ipsis quæ committunt, vel per somnium cogitent; & quæritur utrum omni prorsus gratia sufficienti priventur.

Tres sunt super isto negotio Theologorum sententiæ.

Prima est eorum qui docent hominibus excæcatis & induratis nullam prorsus dari gratiam sufficientem, tum ad resurgendum a peccato, tum ad nova peccata vitanda.

Secunda e diametro primæ opposita eorum est qui contendunt quibuslibet excæcatis & induratis, nulla facta exceptione, dari & præsto semper adesse gratiam sufficientem.

Tertia sententia quam ut aliis longe probabiliorem amplectimur, docet induratis & excæcatis dari plerumque gratiam sufficientem, extare tamen quosdam induratos vitæ tam perditæ, ut eos tradat in reprobum sensum, & quibus proinde omnem interdum gratiam sufficientem denegat in pœnam præcedentium scelerum; quamobrem sit

PRIMA CONCLUSIO.

Omnibus peccatoribus excæcatis & induratis Deus non omnem semper gratiam sufficientem denegat, sed etiam ipsis aliquando largitur, ad mentis cæcitatem & cordis duritiem depellendam, ac nova subinde vitanda peccata.

Primo, quia ad illos peccatores excæcatos & induratos Scripturæ interdum dirigunt correptiones, quod in peccato obfirmati maneant, & insuper exhortationes ad mutandam vitæ rationem & agendam pœnitentiam contemnant, Actorum cap. 7. *Dura cervice & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui S. resistitis.* Sed ejusmodi invitationes manifeste supponunt dari a Deo gratiam sufficientem illis peccatoribus, frustra enim ad pœnitentiam invitarentur, nisi

Deus ipsis largiretur auxilia gratiæ sufficientia,

Secundo id constat ex ipso illorum hominum testimonio; multi enim, cum tandem ad bonam frugem reversi sunt, bona fide declararunt se per multos annos, quandiu & Dei ipsius & legis omnis veluti obliti vitam agebant perditissimam, quosdam interdum expertos esse conscientiæ stimulos, quasdam inspirationes: sed ejusmodi inspirationes, boni conscientiæ motus & invitationes ad agendam pœnitentiam totidem sunt gratiæ; igitur indurati omnes non omni gratia sufficiente privantur.

Tertio, id insinuare videtur S. Aug. in Psal. 6. his verbis: *Nam ea est*, inquit, *cæcitas mentis, in qua quisque datus fuerit ab interiore Dei luce secluditur, sed nondum penitus cum in hac vita est, sunt enim tenebræ exteriores quæ magis ad diem Judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis dum tempus est, corrigi noluerit.* Esse autem extra Deum penitus, idem est ac esse in summa cæcitate. Et lib. de natura & gratia c. 22. sic loquitur: *Nec cogitat* Pelagius, *prævaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis qua desertus utique fit cæcus, & plane necesse est ostendat, & cadendo vexatur, vexatusque non surgat, ut ideo tantum audiat legis vocem qua admonentur implorare gratiam Salvatoris.* Igitur ex S. August. hoc habent excæcati, ut audiant vocem legis, & moveantur ad implorandam Salvatoris gratiam.

Quæ porro objici possunt in hanc conclusionem, mox adducemus in probationem sequentis & ad cujus sensum intelligi debent.

SECUNDA CONCLUSIO.

Sunt tamen quidam peccatores tam insigniter excæcati & indurati, & nullam penitus habere gratiam merito censeantur.

Probatur 1, ex Scripturis quæ, nisi vis maxima ipsis inferatur, aperte denotant quosdam excæcatos & induratos omni penitus gratia esse destitutos. Ecclef. c. 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Jeremiæ 51. *Curavimus Babilonem & non est sanata, derelinquamus eam, & abeamus unusquisque in terram suam.* Ubi sub nomine Babilonis Interpretes solent intelligere peccatores obduratos qui derelinquuntur, quia curari noluerunt & sanari.

Isayæ c. 5. Deus sub nomine vineæ indicans populum, qui se multis beneficiis pridem sibi collatis indignum reddidit, sic loquitur; *Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus, & erit in direptionem, diruam materiam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, & ascendent vepres & spinæ, & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Hæc omnia si litteraliter accipiantur, per vineam indicatur Judæa quæ a longo tempore deserta est, sine Rege, sine Lege, sine Templo. Sed spiritaliter sumitur vulgo ab Interpretibus pro anima hominum qui divinis inspirationibus resistunt, ut docet S. Hieronymus in hunc locum: *Tollitur*, inquit, *Dei auxilium ab iis qui indigni sunt, ut quia non senserunt Deum per beneficia, sentiant per supplicia.*

Ita etiam S. Cyrillus in eadem verba, *Christo*, inquit, *nos obmuniente & arcano adminiculo ceu materia tantum nos cingente obvii & expositi non erimus, nec immundorum spirituum incursioni, nec direptioni ferarum agrestium objecti, nec lusibus ac deliciis vulpibus ... at si Deus nos injuriam facere volentes relinquat, & cura superna nudet & destituat, in omnium malorum discrimen veniemus, & quivis nos ac bona nostra facile invadet?* Et rursus, *Et non putabitur, & non fodietur, id est, nulla ei*

cura

cura impendetur quæ eam possit corrigere & in melius reducere. Hæc supernaturalis cura quæ possit hominem corrigere & in melius reducere, profecto nihil aliud est quam gratia sufficiens, qua tamen supponit peccatores quandoque destitutos & nudatos.

Item Isayæ 6. cap. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis & auribus suis audiat, & corde suo intelligat & convertatur, & sanem eum*. Nunquid vero Deus daret gratiam sufficientem, hoc est, bonas & sanctas inspirationes populo, quem dedita opera dicitur excæcare aut quem excæcari præcepit ne intelligat in corde suo & convertatur? Hoc certe omnino foret illusorium.

Atque hoc esse intelligendum de vera excæcatione in eo posita quod Deus omnem interdum subtrahat gratiam sufficientem, qua ejusmodi homines possint credere & convertere se, manifeste patet ex sancto Joanne qui cap. 12. hæc eadem Isayæ verba Judæis incredulis, & in sua incredulitate obfirmatis diserte applicat: *Cum autem*, inquit, *tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isayæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isayas, Excæcavit oculos eorum ut non videant oculis & non intelligant corde & convertantur, & sanem eos*. Idem legitur apud sanctum Matthæum cap. 13. ubi de Judæis sic loquitur Christus, *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt, & adimpletur in eis prophetia Isayæ, &c.* Ex illis locis Judæi nonnulli non poterant credere, igitur non habebant gratiam sufficientem, quæ scilicet dat plenam & proximam agendi potentiam.

Insigne est quod scribit sanctus Paulus ad Romanos, nam cap. 1. loquens de hominibus vitam turpissimam agentibus, ait, *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*. Et postea, *Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum*. Quod certe fieri non potest, quasi Deus ejusmodi homines compellat in peccatum, Deus enim intentator malorum est; sed quia Deus postquam eos in multa patientia diu sustinuit, tandem omnem fidem subtrahit gratiam, *Indurat enim non impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam*.

Capite secundo ejusdem Epistolæ sic loquitur Apostolus, *An divitias bonitatis ejus & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ*. Ubi duo describuntur status hominis; primus cum divitias bonitatis divinæ seu gratiam accipiunt; alter vero cum per duritiam & impœnitens cor sibi thesaurizant iram; in primo gratiam suam Deus largitur; in secundo quoniam Dei patientiam & bonitatem contempserunt, omnino deseruntur per substractionem cujuscunque gratiæ.

2. Ejuscemodi hominum excæcatorum & induratorum per substractionem cujuscunque gratiæ memorabilia exempla nobis subministrant Scripturæ; primum est Pharaonis de quo hæc leguntur Exodi 9. cap. *Dixit autem Dominus ad Moysen; Ingredere ad Pharaonem & loquere ad eum .... ingravatumque est cor Pharaonis, & non audivit eos ..... nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribisque de terra. Ideirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra*. Ex quibus verbis sic ratiocinatur Apostolus ad Rom. cap. 9. *Igitur non volentis, neque currentis, sed*

 mise-

miserentis est Dei ; dicit enim Scriptura Pharaoni , quia in hoc ipsum excitavi te , ut ostendam in te virtutem meam , & ut annuntietur nomen meum in universa terra ; ergo cujus vult miseretur , & quem vult indurat . Ex illo exemplo colligere est veram fuisse Pharaonis indurationem per substractionem scilicet cujuscumque gratiæ sufficientis , Deus enim dicitur indurasse Pharaonem , ut inde suam ostenderet virtutem , suam fortitudinem , addit Apostolus neminem propterea conqueri posse adversus Deum , *Voluntati enim ejus quis resistit ?* Sed Deus non ostenderet potentiam & fortitudinem suam in hocce exemplo , si gratiam solummodo efficacem denegasset Pharaoni , si ipsi concessisset gratiam sufficientem qua potuisset hanc suam depellere indurationem , non concluderet Apostolus Deum misereri cujus vult , indurare quem vult : igitur Pharao induratus est per denegationem gratiæ sufficientis .

Secundum exemplum commemorari potest de Antiocho , uti legitur 2. Machab. 9. cap. is enim cum superbe dixisset , *se venturum Jerosolymam & congeriem sepulchri Judæorum eam facturum* . Deus percussit eum insanabili & invisibili plaga , de eo autem subjicit Autor sacer , *Orabat autem hic scelestus Dominum a quo non esset misericordiam consecuturus* . Certe indurati qui frustra confugiunt ad Deum , non habent gratiam sufficientem, signum est enim eos non quærere Deum ex motivo honesto & supernaturali .

Tertium exemplum adducitur in Epistola ad Hebræos cap. 12. ubi de Esau sic loquitur Apostolus , *Ne quis fornicator aut profanus ut Esau , qui propter unam escam vendidit primitiva sua , scitote enim quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est , non enim invenit pœnitentiæ locum , quanquam cum lachrymis inquisisset eam* . Igitur non habuit gratiam sufficientem .

Probatur 2. ex S. Augustino qui docet multis in locis indurare & excæcare apud Deum nihil aliud esse quam nolle misereri & gratiam non dare , gratiam subtrahere , gratiam , inquam , sufficientem : non enim indurantur quotquot sunt quibus gratia efficax deficit ; lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. sic definit obdurationem , *Ut obduratio Dei sit nolle misereri* . Et postea , *Ut ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam , quia non eorum miseretur , non quia impellit ut peccent* . Tractatu 53. in Joan. *Sic excæcat , sic obdurat Deus deserendo , & non adjuvando , quod occulto judicio facere potest , iniquo non potest* . Et iterum ibid. *Absit ut sit iniquitas apud Deum , sive quando non adjuvat , juste facit* . Ubi objectionem præoccupat sanctus Doctor quæ statim obvia est , ex eo quod docet Deum indurare & excæcare deserendo ; sed non potest cum aliqua veri specie proponi talis objectio , nisi supponatur Deum deserere per substractionem cujuscunque auxilii etiam sufficientis , aut ipse statim respondisset sic Deum deserendo indurare , ut gratiam tamen sufficientem vel induratissimis peccatoribus conferat , sed huic objectioni reponit sanctus Doctor , hoc Deum occulto judicio facere , consentanee ad Apostolum qui docet in simili casu Deum misereri cujus vult , & indurare quem vult ; igitur existimabat sanctus Augustinus excæcatos & induratos sufficienti gratia interdum privatos esse .

Id insuper clarius , si fieri potest , scribit in Epistola 194. *Deus* , inquit , *obdurat non impertiendo malitiam , sed non impertiendo gratiam* ; Et in Ps. 147. *Ecce deserit peccatorem , ecce non vocat , ecce non aperit sensum , ecce non infundit gratiam* . Quod certe nonnisi absuede diceret , si gratiam sufficientem dari peccatoribus induratis existimasset .

Sunt & alia prope innumera loca apud eundem Augustinum in quibus

testa-

testatur, ita quandoque deseri excæcatos & induratos, ut non possint cernere quod bonum est, & facere quod faciendum, quæ certe impotentia gratiæ sufficientis defectum arguit, quomodo ex iis locis in quibus homo dicitur posse bonum velle & facere, inferimus illum gratia quadam sufficienti esse adjutum, lib. de perfectione justitiæ cap. 19. *Quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle non potest*. Quæst. 14. in Math. *Cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse, qua tamen excæcatione non potuerunt credere*. Et paulo post, *credere non poterant*. lib. 17. de Civitate Dei cap. 19. *Quid ergo mirum si hæc manifesta non vident, quorum oculi sunt obscurati ne videant; quid mirum, si cœlestia non suscipiunt, qui ut in terrena sint proni, dorsum eorum semper incurvum est?*

Denique ait passim cæcitatem cordis pœnam esse peccati quæ ex divino pendet judicio, & similis est cæcitati corporis quæ fit amota omni videndi potestate, lib. 1. operis imperfecti contra Julianum, num. 47. *Eademque cæcitas*, inquit, *si peccati pœna non esset, non diceretur, excæcavit enim illos malitia illorum. Quod si Dei judicio non veniret, non legeremus, obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva: quis porro volens cæcus est corde, cum velit nemo cæcus esse vel corpore?* Lib. 5. contra Julianum cap. 3. *Cæcitas cordis quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati qua cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur*. Ex quibus perspicuum maxime est induratos esse quosdam homines, quibus omnem gratiam denegat Deus.

Huic vero nostræ sententiæ favet aperte ipsum testimonium ejuscemodi hominum scelestissimorum, cum beneficio gratiæ tandem resipuerunt, bona fide profitentur se per multos annos nulla sensisse pia desideria, nullas bonas cogitationes quibus excitarentur ad conversionem, inde sequitur consequenter eos nullam habuisse per illud tempus gratiam sufficientem, qua hanc suam depellere possent indurationem.

Objicies: ea sententia non debet admitti, quæ conciliari non potest cum istis fundatissimis Ecclesiæ dogmatibus, Deus vult homines salvos fieri, Deus non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur; Deus non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti: Christus pro omnibus hominibus mortuus est, &c. Sed ista sententia quæ docet peccatoribus induratis non dari gratiam sufficientem, qua suam depellere possint indurationem & alia nova vitare peccata, conciliari neutiquam potest cum præfatis Ecclesiæ dogmatibus; si enim Deus vult sincere peccatores induratos salvos fieri, debet saltem iis conferre gratiam sufficientem, qua possint, si velint, pœnitentiam agere: igitur.

Nego min. & dico certum & inconcussum manere istud Ecclesiæ dogma, quod nempe Deus velit omnes homines salvos fieri, in sententia illorum Theologorum qui docent peccatoribus excæcatis & induratis gratiam sufficientem aliquando denegari, quia videlicet ex illa voluntate generali & antecedente, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, non sequitur Deum dare peccatoribus excæcatis & induratis semper & quolibet vitæ suæ istanti gratias sufficientes ut resurgant a peccato; satis est si pluries & multis repetitis vicibus eos vocaverit ad pœnitentiam, invitaverit, fatentibus etiam adversariis. Certe postquam Deus per multos annos non defuit illis hominibus, postquam multis variisque modis gratiæ motus & inspirationes contem-psc-

pserant, quamquam postea in malitia obduruerint, eosque in reprobum sensum tradiderit Deus; tamen merito hæc verba ad Ipsos dirigere potest, Isayæ 5. *Quid est quod debui ultra facere & non feci?* Proverb. 1. *Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis; ego autem in interitu vestro videbo & subsannabo.* Actorum 7. *Dura cervice & incircuncisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Vocavit enim sæpissime obduratos, ex quo etiam scelera committunt, habuerunt identidem gratias sufficientes, pia desideria, pias resipiscendi cogitationes; sed quia centies & millies consilium Dei despexerunt, quia increpationes neglexerunt, & in diurna peccandi consuetudine obduruerunt; Deus tandem tradidit illos in reprobum sensum, per substractionem scilicet gratiæ illius quem rejecerunt, & ita plerumque iis denegatur gratia sufficiens, quod certe huic dogmati, quo Deus dicitur velle omnes homines salvos fieri, neutiquam præjudicat.

Objicies: excæcati & indurati tenentur mandata Dei observare: atqui nisi supponantur habere gratiam sufficientem, hoc ipso non tenentur illa observare, nemo enim tenetur ad impossibile, Deus nemini præcipit impossibilia: sed sine auxilio gratiæ sufficientis impossibile foret induratis adimplere præcepta; quemadmodum propter eamdem causam non possent graves quæ occurrunt identidem tentationes superare, nec nova vitare peccata: igitur excæcatis & induratis Deus non denegat gratiam sufficientem, saltem pro eo instanti quo urget præceptum, & vincenda est aliqua tentatio.

Nego min. & ad probationem dist. maj. nemo tenetur ad impossibile sine illius culpa, C. si ex illius culpa sit impossibile, N. Porro ex culpa est obduratorum & excæcatorum, quod præcepta tandem sint ipsis impossibilia; juste enim & in pœnam præcedentium peccatorum eo privantur auxilio gratiæ qua potuissent illa observare & occurrentes superare tentationes ut expresse docet, S. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 5. ad primum, uti & lib. 3. contra gentes cap. 160. his verbis: *Quamvis autem illi qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant, ut ostensum est, nisi auxilio gratiæ præveniantur, nihilominus tamen hoc ei imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur. Sicut ebrius ab homicidio non excusatur quod per ebrietatem committit, quam sua culpa incurrit.* Ubi manifestum est S. Thomam loqui de peccatore cui nulla relinquitur gratia sufficiens, qua possit noo præstare impedimentum gratiæ, & tamen docet hoc ei ad culpam imputari quod in peccatum cadat, quia nimirum ex priori sua culpa illam impotentiam incurrit; quod quidem exemplo de ebrio committente homicidium probat.

Insigne est ac memorabile quod ad præsentem difficultatem solvendam scribit sanctus Augustinus, nimirum ait ejusmodi induratos, quos divina gratia spoliatos testatur Scriptura, merito tamen posse redargui, uti revera Deus jubendo, minando, increpando eos percellit, quæstione 50. super Deuteron. *Quod vero dicit, & non dedit Dominus Deus vobis, nullo modo increpans & arguens hoc diceret, nisi ad eorum quoque culpam pertinere intelligi vellet, ne quisquam se ex hoc excusabilem putet. Simul enim ostendit sine adjutorio Domini Dei eos intelligere obedire non posse oculis cordis & auribus cordis, & tamen si adjutorium Dei dedit, non ideo excusabile hominis vitium, quoniam judicia Dei quamvis occulta, tamen justa sunt.*

Præ-

Prætetire hoc loco non possumus quod scribit S. Doctor lib. de corept. & grat. ubi nonnulli sic argumentantes inducuntur: *Præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus, quia nobis præsunt, & ut faciamus orent pro nobis, non autem nos corripiant & arguant, si nos fecerimus ...... recte autem corriperer, si eum mea culpa non haberem, hoc est, si eam possem mihi dare, vel sumere ipse nec facerem, vel si dante illo accipere noluissem, cum ergo & ipsa voluntas a Domino præparatur, cur me corripis, quia vides me ejus præcepta facere nolle*. Ex quibus patet illos homines quando peccabant, suæ excusationis rationes reddere, quod non acceperant gratiam per quam peccata vitarent, & mandata custodirent.

Huic argumento respondet S. Augustinus aliter ratiocinandum esse de primo homine qui peccavit quando primum lapsus est, qui non potest dicere, Non accepi gratiam, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio; aliter vero de illis qui in peccato sunt vel originali vel actuali: *Si autem hoc adjutorium*, inquit, *vel Angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si nollet, non utique sua culpa defuisset, sine quo perseverare non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est, quibus autem datur, non secundum debitum*. Igitur, quemadmodum si Adam non habuisset gratiam ad perseverandum, non peccasset, quia ex priori culpa ei non fuisset denegata talis gratia; ita quibus modo in pœnam præcedentis peccati negatur, sua culpa cadunt, propterea quod ex priori eorum culpa gratiæ auxilio destituuntur.

Nec est quod dicatur ex his S. Augustini verbis sequi revera denegationem gratiæ nunc quibus denegatur, pœnam peccati esse, non autem id quod fit ab homine qualibet gratia destituto peccatum esse. Namque ex serie contextus toto hoc in libro loquitur sanctus Doctor in ordine ad imputationem peccati, agitur enim utrum peccent & corripi debeant, qui carent gratia quando agunt.

Verum ista non modo pœnam esse peccati, sed & peccatum simul, aperte declarat S. Augustinus lib. 1. retractat. cap. 15. his verbis: *Qui vero*, inquit, *cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc peccatum est, ut sit & pœna peccati*. Ubi expresse docet in eo qui tentationi resistere non potest, peccatum esse, tametsi impotentia illa pœna sit peccati.

Opponunt quidem nonnulli hanc doctrinam, qua dicimus peccatores excæcatos peccare cum agunt contra præcepta, tametsi careant gratia efficaci in pœnam præcedentium scelerum, retractatam in eodem libro retract. c. 10. ubi sic loquitur, *Verum est enim omnes homines hoc posse; id est, divina implere, & ad id se posse convertere si velint, sed præparatur voluntas a Domino, & tantum augetur munere charitatis ut possint*.

Sed ex isto testimonio nihil inferri potest adversus nostram sententiam, ibi enim explicat solum S. Augustinus, quod dixerat lib. 2. de Genesi contra Manichæos, omnes homines, si velint, posse se convertere ad divina mandata implenda; id posse, inquam, per gratiæ auxilium, ne existimarent Pelagiani id dictum fuisse, quasi id possint solis naturæ viribus, sed ibi non dicit sanctus Doctor ejusmodi gratiæ auxilium omnibus dari etiam viris perditissimis; adeoque hanc doctrinam ubique passim in suis libris contra Pelagianos traditam non retractat.

Quamobrem illusoriæ non sunt Dei vocationes, admonitiones, increpationes quas peccatoribus obduratis tam frequenter objicit Deus in Scripturis vel per seip-

seipsum vel per Prophetas, millies enim gratiam suam tribuit illis hominibus, qua possent ejus vocem audire, præcepta servare, tentationes vincere, nova vitare peccata, qui tamen pervicaciter in rebelli voluntate perstiterunt, culpa ipsorum est quod, cum in suscepta semel peccandi consuetudine permanentes, ad bonam frugem reverti noluerint, admonitiones & correptiones suo careant effectu.

Ergo, inquies, Deus absolute loquendo deserit illos peccatores, quibus videlicet omnem data occasione & in casu necessitatis denegat gratiam; absurdum consequens; hoc enim effatum, *Deus neminem deserit nisi prius deseratur*, ab omnibus receptum est: ergo & antecedens.

Respondeo huic nostræ sententiæ plurimum & aperte favere hoc effatum, *Deus neminem deserit nisi deseratur*, quod habetur in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 11. & ex divo Augustino desumptum est, hinc enim sequitur justos quidem, ut antea probavimus, gratia sufficiente non carere qua ipsis possibilia fiant mandata, quia cum sint justi Deum non deseruerunt, sed quod spectat peccatores obduratos, sequitur immo eos a Deo juste posse deseri, ipsi enim Deum deseruerunt; qui cum affirmant Deum neminem deserere nisi prius ab iis deseratur, censent consequenter Deum posse deserere eos a quibus fuit prius desertus.

Instabis: si Deus hoc pacto plecteret peccatores induratos, nimirum si in culpam ipsis imputaretur quod volitum fuit in præcedentibus peccatis, quamvis pro tempore præsenti vitari non possit, sequeretur infidelitatem negativam imputari debere ut peccatum; hæc enim ex peccato saltem originali proficiscitur: atqui tamen infidelitas negativa, in his nempe qui nihil penitus de fide audierunt, pœna quidem peccati est, sed non est peccatum, ut vulgo docent Theologi propter istud Christi Domini dictum, *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*. Ergo.

Nego ant. & paritatem, ratio disparitatis est, quia infideles negativa infidelitate laborantes ignorant invincibiliter legem Christi & ejus mandata, fides enim ex auditu; de Christo autem nihil quicquam audiverunt: at ignorantia invincibilis excusat a peccato, ut fuse ostendemus in Tractatu de actibus humanis, efficit quippe ut actio non sit voluntaria, quia lex non est cognita; sed quæ committuntur a peccatoribus excæcatis & induratis in circumstantia superius exposita, hoc est, quando ipsis deest gratia sufficiens, Deo illos deserente in pœnam præcedentium scelerum, certe ejusmodi crimina quæ perpetrant, sunt ipsis maxime voluntaria & libera, vel in seipsis vel in sua causa, nempe in præcedentibus peccatis quæ libere & gratiæ divinæ tunc ipsis datæ resistendo, commiserunt: *qui cognita non facit, non excusatur sed peccat*, inquit S. Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 6.

Quamobrem illud solummodo ut peccatum imputari dicimus quod volitum fuit in peccato actuali, non autem quod volitum fuit in originali: sed infidelitas negativa volita non fuit in peccato præcedente actuali, peccata vero obduratorum volita fuerunt in præcedentibus peccatis actualibus, ut per se patet: igitur maxima est disparitas inter peccata obduratorum, & infidelitatem negativam.

Hæc postrema ratio sumitur ex divo Thoma, qui 2. 2. q. 10. art. 10. sic loquitur de infidelitate: *Si autem accipiatur*, inquit, *secundum negationem puram, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est*.

Instabis iterum: ex principio supra posito sequeretur etiam peccata, quæ insanus

sanus vel amens committit in amentia caussata ex sua priori culpa, homini ad culpam merito imputari, quod tamen videtur absurdum.

Huic objectioni respondet Lemos mirum sibi videri hoc argumentum proponi a nonnullis Thomistis qui scire tenentur sanctum Thomam docere, effectum causam voluntariam subsequentem voluntati imputari debere eo etiam tempore quo in potestate nostra non est, ut de ebrietate aperte dicit loco supra citato; nam, inquit iste Theologus, eadem prorsus ratio est de amentia, quæ in eo solum distat ab ebrietate, quod illa diuturnior sit quam ebrietas.

Respondet 2. dato quod peccata facta in ebrietate vel amentia caussata ex priori culpa non imputarentur homini ad novam culpam, sicut nonnullis authoribus placet, nimirum Gabrieli, Almaino, Majori, Castro, Covarruviæ Cordubensi, Joanni Azor & aliis recentioribus, nihilominus imputarentur induratis & excæcatis peccata quæ committunt in eo statu, in quo propter præcedentia peccata privantur omni gratia sufficienti. Et ratio est quia in casu ebrietatis vel amentiæ, postquam semel habita est ex priori culpa, opera quæ sequuntur non sunt libera & voluntaria, sed ea exercent amentes & ebrii velut bruta sine ratione & judicio. Sed qui peccant gratia sufficienti destituti in pœnam præcedentium peccatorum, manent semper liberi, & libere peccant; aliud enim est libertas ad peccandum & non peccandum, & hanc habent ejusmodi homines: aliud vero sufficientia ad non peccandum, & hanc ex priori sua culpa libere admissa non habent.

Observat tamen idem Lemos amentiam & ebrietatem non efficere, ut opera quæ sequuntur, sint vere peccata & imputentur ad culpam, nisi quando homo fit amens vel ebrius ex culpa sua, ut colligere est ex S. Thoma 2. 2. q. citata art. 2.

Objicies: si excæcati & indurati carerent omni gratia sufficiente, non esset tantopere vituperanda desperatio Judæ proditoris, qui nimirum per substractionem cujuscunque auxilii divini in tantum scelus prolapsus est: sed illa tamen Judæ desperatio omnibus semper visa est execrabilis, nemo illum talis criminis & impœnitentiæ finalis reum excusare ausus est: igitur non omni auxilio divinæ gratiæ destitutus fuit Judas, adeoque nec alii scelestissimi & indurati homines.

Nego maj. tametsi enim suspicemur quibusdam excæcatis aliquando tandem post multos annos Deum denegare omnem gratiam in pœnam peccatorum, non dicimus tamen Judæ proditori defuisse gratiam sufficientem, qua posset hujus desperationis tentationem vincere, id enim non habemus revelatum in Scripturis, immo, ut conjiciunt nonnulli Theologi, magis Scripturæ sacræ consonum est habuisse illum multa gratiæ sufficientis auxilia, cui & mensam suam & honorem Apostolatus contulerat Christus Dominus, quique ad se reversus dixit, *Peccavi tradens sanguinem justum*; hæc enim sancta fuit inspiratio ad agendam pœnitentiam. Quod idem dicendum de blasphemia & desperatione Cain, cum etiam non constet eum non habuisse gratiam sufficientem ad resurgendum a peccato. Hinc etiam nemo unquam de salute sua desperare debet, imo tenetur sperare se cum divinæ gratiæ auxilio vitam æternam consequi posse, quia notum ipsi non est sibi denegari a Deo gratiam sufficientem.

An omnibus & singulis infantibus sufficienter providerit Deus de remedio salutis.

NOn agitur, ut per se patet, in præsenti controversia de gratia sufficiente sumpta pro actuali motione, in

in quem sensum huc usque a nobis usurpata est: constat enim ejuscemodi auxilium non dari infantibus. Insuper nemo dubitat quin Deus sufficienter providerit iis infantibus qui revera per baptismum regenerantur: cujus nempe beneficio possunt ad regnum coelorum pervenire.

Quamobrem examinandum superest, utrum sufficienter a Deo provisum fuerit iis infantibus quibus per baptisma nec succuritur nec succurri potest, quæcumque adhibeatur humana diligentia, quales sunt parvuli qui moriuntur in utero materno: constat enim apud omnes Deum omnibus parvulis in lucem editis, qui sola parentum negligentia privantur baptismo, sufficienter providisse media, quæ per accidens duntaxat ipsis non applicantur.

Partem negantem, hoc est, ejuscemodi parvulis in utero materno decedentibus a Deo provisum non fuisse medium sufficiens ad salutem, tenet Vasquez non infimæ notæ Theologus in 1. p. disp. 96. ubi nempe hujus suæ sententiæ patronos & defensores laudat Gregorium Arim. in 1. dist. 46. qu. 1. Rich. art. 7. Gabriel. in 4. dist. 4. qu. 2. art. 3. S. Thom. in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. Dried. tract. 5. de capt. contra quos sit

CONCLUSIO.

Omnibus & singulis infantibus vel etiam in utero materno decedentibus media ad salutem sufficientia providit Deus, hoc est, non modo baptismum istis infantibus præparavit, sed & quantum in ipso est voluit sincere ut ipsis administraretur.

Et ratio est, quia Deus vera & sincera voluntate vult omnes & singulos homines salvos fieri, etiam post Adami lapsum; nec ulla videtur afferri posse ratio, cur ista sententia terminis universalibus concepta ad solos restringatur adultos: atqui falsum est Deum velle sincere omnes & singulos homines salvos fieri, nisi providerit sufficienter omnibus & singulis infantibus, & quantum in ipso est, illis præparaverit baptismum, volens sincere ut ipsis administretur; qui enim vult finem alteri, consequenter ei præparat media ad istum finem obtinendum necessaria, cupiens, quantum in ipso est, ut media illa applicentur: ergo &c.

Ad id porro demonstrandum plura vel ex Scripturis vel ex sanctis Patribus huc arcessere nihil attinet, quæ nimirum sequentibus articulis adducemus: ubi & Deum velle omnes homines salvos fieri, & Christum pro omnibus mortuum, invicte, ut puto, ostensuri sumus.

Omittere vero non possumus quod super isto negotio speciatim scribit autor librorum de vocatione gentium l. 2. c. 23. *Cum quærimus*, inquit, *quomodo omnes homines salvos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sint capaces? Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus; qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur; omnium namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantia sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest: & consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto vel pravo aguntur affectu; sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt .... sicut autem circa majores præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur, ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio*. Ubi ait 1. infantes ad eam gra-

gratiæ partem pertinere quæ universis est impensa nationibus. 2. Plerumque in sola parentum culpa esse, quod non baptizentur. 3. pro infantibus ut & pro adultis duplicem admitti debere gratiam generalem nempe & specialem, quæ sane voluntatem salvandi parvulos in Deo manifeste denotant.

Objicies, ejusmodi voluntatem pro infantibus esse in Deo negat S. Augustinus, Epistola 194. ubi hæc scribit: *Quid dicam de inopinatis & repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpe etiam religiosorum Christianorum præveniuntur & baptismo præripiuntur infantes, cum e contrario sacrilegorum & inimicorum Christi aliquo modo in Christianorum manus venientes ex hac vita non sine sacramento regenerationis emigrant.* Ubi in solum divinæ voluntatis arcanum refundit, quod quidam infantes non baptizentur, cum alii baptismum recipiunt. Id vero longe clarius docet lib. de Dono persever. cap. 12 his verbis, *plerumque enim festinantibus parentibus & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur.* Unde sic argumentor; illis Deus sincere non præparavit baptisma, qui revera non baptizantur, Deo sic nolente: atqui ex sancto Augustino plerumque non baptizantur infantes, Deo sic nolente: ergo &c.

Dist. min. Deo nolente, hoc est nulla præsupposita ex parte Dei voluntate efficaci & consequente, C. nulla voluntate inefficaci & antecedente, N. seu igitur per illa verba *Deo nolente*, intelligat Augustinus Deum minime velle illos infantes baptizari, seu pertendat Deum positive velle illos non baptizari; id unum certum est in mente sancti Doctoris non esse in Deo voluntatem consequentem & efficacem, de parvulorum baptismo; sed propterea colligi non debet illum excludere a Deo voluntatem etiam generalem & antecedentem, qua nempe vult salvare omnes homines, in quorum numero continentur infantes; ut enim mox dicturi sumus, voluntas qua vult Deus quosdam homines damnare, quæ dicitur voluntas consequens, recte cohærere potest cum illa generali & antecedente voluntate qua vult omnes homines salvos fieri; siquidem duæ illæ voluntates, cum diversimode respiciant suum objectum, non sunt nisi apparenter & in speciem contrariæ. Unde licet his verbis *Deo nolente* docuerit Augustinus Deum positive velle infantes non baptizari, voluntate scilicet efficaci & consequente, non omnem tamen excludit a Deo voluntatem antecedentem, qua velit sincere illos baptisma recipere, quam voluntatem antecedentem & generalem agnovisse S. Augustinum articulo sequenti ostendetur.

Instabis: In eo nulla est vera & sincera voluntas vel etiam antecedens qua velit baptizari parvulos, qui nullum omnino medium vel sufficiens illis procurat; quicunque enim vult finem, consequenter præparat media: atqui nullum omnino medium parvulis procurat Deus, quandoquidem aliud non est pro parvulis salutis æternæ medium quam baptisma: est ergo plane illusorium affirmare Deum velle sincere parvulos baptizari.

Nego maj. inde enim solummodo colligi debet non esse voluntatem efficacem & consequentem, vi cujus sapiens provisor media sufficientia atque etiamnum efficacia procurat; adeoque Deum, qui non interturbato causarum naturalium ordine, ope cujusdam miraculi, patitur ut infantes sine baptismo decedant, non velle voluntate efficaci & consequente illis procurare baptismum; quod neutiquam impedit, quominus sincere voluerit voluntate antecedente illos baptizari, qui nempe baptismum ipsis præparaverat cum vero salutis eorum desiderio, cupiens quantum in se erat, ut ipsis applicaretur, ita ut non ex ejus voluntate tanquam radice, sed ex eo-

rum vel aliorum culpa oriatur, quod revera & de facto non baptizentur.

Instabis, eodem cap. 12. de dono persev. quæstioni propositæ cur e duobus parvulis uni detur baptismus non alteri, respondet sanctus Doctor inscrutabilia esse judicia Dei, nec alteram profert rationem: sed in hac nostra sententia propositæ quæstioni facile responderi posset unum ex illis infantibus baptizari, quia nullum occurrit impedimentum ex parte causarum secundarum, secus vero alterum; igitur.

Nego min. & dico præsupposita nostra responsione adhuc recurrendum ad inscrutabilia Dei judicia, scilicet specialis est gratia pro eo infante qui baptizatur, quod causæ secundæ in ejus favorem sic disponantur, ut baptismum recipiat; illud vero alteri non indulgeat: divinum est v. g. ac singulare Dei beneficium, quod unus ex illis infantibus non moriatur ante susceptum baptisma; alter vero parvulus moritur nondum baptizatus, Deo cursum causarum secundarum non invertente; cur ita uni efficaciter providet potius quam alteri, o altitudo!

An Deus velit voluntate sincera omnes & singulos homines salvos fieri.

NOtandum 1. hominem in duplici statu considerari posse, nimirum in statu naturæ innocentis, & in statu naturæ lapsæ. De priori statu nulla est difficultas inter Theologos; fatentur enim omnes Deum ante prævisum Adami peccatum, voluisse omnes & singulos homines salvos fieri; unde superest examinandum, an Deus conceptam hanc ante peccatum primi parentis voluntatem salvandi omnes homines, etiam servaverit post Adæ peccatum respectu reproborum qui revera non salvabuntur.

Notandum 2. duplicem a Theologis distingui in Deo voluntatem, unam quæ dicitur antecedens, alteram quæ dicitur consequens. Voluntas antecedens est ea qua Deus vult aliquid in se spectatum, absolute & veluti in genere sine ullis circumstantiis, quæ v. g. versatur circa salutem hominum in se spectatam, non habita ratione circumstantiarum, puta meriti cujusque hominis. Talis voluntas his recte verbis exprimeretur: Volo salvare omnes homines.

Voluntas consequens ea dicitur qua Deus vult aliquid suis indutum circunstantiis, qua v. g. vult salutem alicujus electi cum omnibus circunstantiis in quibus salvabitur, in quibus salus illa actu ponetur, exprimeretur recte his verbis: Volo salvare Petrum, quem ad ostensionem meæ misericordiæ statui liberare a massa perditionis per gratias efficaces.

Ubi juvat observare sic explicari voluntatem Dei antecedentem & consequentem ab illis Theologis, qui gratiam per se efficacem admittunt; aliter enim utramque definiunt Molina & ejus defensores, qui dicunt voluntatem antecedentem eam esse quæ antecedit nostrum consensum & prævisionem meritorum nostrorum; consequentem vero quæ sequitur consensum liberi arbitrii, & præscientiam meritorum.

Itaque voluntas Dei de salute omnium hominum dicitur antecedens, quia concipitur esse in Deo, antecedenter ad omnes circumstantias in quibus salvantur quicunque salvantur. Dicitur generalis, quia omnes prorsus & singulos homines complectitur; inefficax, quia suum non habet effectum, non enim omnes salvantur. Juxta quosdam Theologos dicitur conditionata, quia aliquam semper ex parte creaturæ includit conditionem, nimirum inquiunt si velit gratiæ divinæ cooperari. An sit voluntas signi vel beneplaciti fusius examinabitur postea.

Voluntas consequens dicitur per oppositionem consequens, particularis, efficax & absoluta propter rationes oppositas.

fitas: de antecedenti non de consequenti movetur nunc controversia.

Esse in Deo voluntatem sinceram salvandi omnes & singulos homines aperte negarunt Prædestinatiani, de quibus plura dicemus articulo sequenti, cum de morte Christi Domini pro omnibus hominibus disputabitur. Unum ex illorum dogmatibus erat, quod Deus non vult omnes homines salvos fieri, sed tantum eos qui revera salvantur.

Fuit etiam hæc Calvini doctrina, Deum non velle omnes & singulos homines salvos fieri, ut apertissime testatur lib. 3. Institut. cap. 24. num. 16. his verbis: *Adducitur secundo Pauli locus, ubi tradit Deum velle omnes salvos fieri, cujus etsi diversa est quam superioris ratio, ad id tamen est commune. Respondeo primum ex contextu palam fieri quomodo velit, utrumque enim copulat Paulus, quod velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.... quo nihil aliud profecto significat quam nulli hominum ordini viam ad salutem præclusisse, quin potius misericordiam suam sic effudisse, ut nullum ejus expertem esse velit..... Nam si tenacius urgeant quod dicitur velle misereri omnium, ego contra excipiam quod alibi scribitur Deum nostrum esse in cœlo, ubi faciat quæcunque velit.* Idem docet lib. de occulta Dei providentia: *Quod citate*, inquit, *soletis ex Paulo Deum omnes velle salvos fieri, quam nihil errori vestro suffragetur, alibi planum fecisse mihi videor. Nam certo certius est, Paulum illic non de singulis hominibus agere, sed intelligere ordines & genera vocationum.*

Suum sequuntur hac in doctrina magistrum Calvinistæ omnes. Beza lib de æterna Dei prædestinatione pag. 419. Zanchius de prædest. cap. 5. Willetus in synopsi Papismi lib. de reparatione generis humani, Chamierus tom. 3. lib. 7. cap. 3. & alii passim.

Sic vero rem declarant Genevenses in Synodo Dordracena pag. 561. *Deus*, inquiunt, *ab æterno liberrima sua voluntate aliquas certas personas in & cum Adamo lapsas, reas, & corruptas statuit apud sese in statu peccati & corruptionis suæ propria relinquere, nec erga illas remedium gratiæ salutaris in Christo adhibere.* Ubi postquam expresse affirmarunt Deum nolle omnes homines salvos fieri, sic concludunt: *Hæc est simplex & fidelis sententia nostra, atque adeo ut certo asseverare non dubitamus omnium Ecclesiarum Gallicarum.*

Item Jansenius Iprensis lib. 3. de gratia Christi capite 20. moleste quidem non fert, quod cum sancto Damasceno, divo Thoma & plerisque omnibus Theologis dicatur duplicem esse in Deo voluntatem, unam antecedentem & alteram consequentem, quia, inquit, *nihil omnino hæc doctrina Damasceni de antecedente salutis omnium voluntate recentioribus prodest, ut quæ optime cum neganda salutis & gratiæ sufficientis voluntate consistit. Nisi forte & Angelis & hominibus damnatis, antecedente voluntate salutis, gratiam sufficientem aliaque redemptionis instrumenta suppeditari & erogari putent.* Sed de illa voluntate antecedente sic loquitur, ut eam omnino repudiet pro statu naturæ lapsæ, aut saltem eam putet *in sola præcisione mentis adeoque nuda quadam velleitate nihil omnino gratiæ causante consistere.* In quos omnes sit

CONCLUSIO.

Est in Deo vera & sincera voluntas salvandi omnes & singulos homines etiam post Adæ peccatum.

Probatur 1. ex Scripturis in quibus hæc veritas apertissime legitur multis in locis, Ezechiel. cap. 33. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat.* Si enim non sit in Deo voluntas saltem antecedens salvandi impios, profecto Deus vult illos perire.

Item

Item expressissimum est testimonium S. Petri secundæ Epist. capit. 3. *Non tardat Dominus*, inquit, *promissionem suam, sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Id ipsum dixerat Christus Math. cap. 18. *Sic non est*, inquit, *voluntas ante Patrem vestrum qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis*. Si neminem perire vult Deus, igitur vult omnes salvos fieri.

Sed disertus & palmaris est locus qui petitur ex Apostolo primæ ad Timoth. cap. 2. *Obsecro igitur*, inquit, *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus..... hoc enim bonum est & acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Ubi loquitur Apostolus de omnibus & singulis hominibus nullo prorsus excepto 1. quia loquitur in universum, absque ulla exceptione & limitatione. 2. quia de iis hominibus verba facit, pro quibus admonet fieri debere orationes, obsecrationes, gratiarum actiones: sed dubio procul pro omnibus & singulis hominibus, nec tantum pro singulis generibus monet Apostolus fieri debere orationes & obsecrationes: & reipsa pro omnibus & singulis non pro electis solum orat Ecclesia. 3. quia de iis omnibus loquitur Apostolus pro quibus Christus fudit suum sanguinem, sed Christus non pro quibusdam tantum non pro electis solum, sed pro omnibus & singulis fudit suum sanguinem, ut ostendetur sequenti articulo: igitur in mente Apostoli Deus vult omnes & singulos homines salvos fieri.

Probatur 2. ex SS. Patribus. Id aperte docet S. Cyprianus Epistola 52. ad Antonianum, *Nam*, inquit, *cum scriptum sit, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum, utique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere*. Et de Orat. Dominica: *Nam cum discipuli*, inquit, *ab eo non jam terra appellentur, sed sal terræ; & Apostolus primum hominem vocat de terræ limo, secundum vero de cœlo: merito & nos qui esse debemus Patri Deo similes (qui solem suum oriri facit super bonos & malos, pluit super justos & injustos) sic Christo monente oramus & petimus ut precem pro omnium salute faciamus*.

Item S. Basilius in Psal. 29. qui ad illa verba *quoniam ira in indignatione ejus*, sic scribit: *pœna secundum justum Dei judicium, vita vero in voluntate ejus. Quid ergo dicit? quod hoc vult Deus, hoc est ut omnes ejus vitæ participes sint: circumstantiæ vero pœnarum non ipsius voluntate fiunt, sed pro merito eorum qui peccaverunt, inferuntur*.

Et S. Ambros. lib. de Paradiso cap. 8. *Venerat Dominus Jesus*, inquit, *omnes salvos facere peccatores, etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem ... denique nec Judæos omnes credituros sciebat, & tamen ait, non veni nisi ad oves perditas domus Israel; ergo non in mandante culpa est, sed in prævaricante peccatum est, & quod in Deo fuit, ostendit omnibus quod omnes voluit salvare*.

Item S. Chrys. homil. 2. in Epist. ad Hebræos. *Quantum in Deo est*, inquit, *omnes salvos esse voluit*. Homil. 44. *De longitudine præmiorum Paulus ait, Qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire; cur igitur non omnes salvi sunt, si vult salvos esse? quoniam non omnium voluntas illius voluntatem sequitur*.

Et S. Hieronym. ad cap. 63. Isayæ, *Quare*, inquit, *multi non sunt salvati, si ipse salvavit eos? causa perspicua, ipsi non crediderunt, voluit ergo salvare cupientes, sed illi credere noluerunt, sed voluntas venientis hæc fuit, ut omnes crederent & salvarentur*. Quod idipsum docent Paulinus Nolanus Epist. 2. Isidorus Pelusiota Epist. 277. S. Cyrill. Alexandrin. lib. 2. ad Imperatrices &c.

His.

His vero præsertim subjungi debet authoritas S. Augustini, quanquam in eo suum omne præsidium collocant adversarii, sed mali utique; is enim libro de spiritu & littera cap. 33. hac quæstione sibi proposita, an voluntas credendi sit donum Dei, necne, *quia*, inquit, *si credimus natura, quare non omnibus, cum sit idem Deus omnium creator? si dono Dei etiam hoc, quare non omnibus, cum omnes homines velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire?* Sic respondet: *Prius igitur illud dicamus & videamus, utrum huic satisfaciat quæstioni, quod liberum arbitrium naturaliter attributum a Creatore animæ rationali, illa media vis est quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest, & ideo nec istam voluntatem qua credit Deo dici potest homo habere quam non acceperit: quandoquidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cum crearetur, accepit. Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum sit, Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt, verum si ipsos fraudant magno & summo bono malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.* Ubi ait S. Augustinus Deum, quantum in se est, velle omnes homines salvos fieri: ita ut ideo non salventur omnes, quia propria mala voluntate gratiam Dei contempserunt.

Quod porro huic luculento Augustini testimonio reponunt adversarii, præfata verba non continere propriam sancti Doctoris sententiam, sed meram esse Pelagianorum objectionem, quam sibi refellendam proponit usque ad initium capitis 34. his verbis incipientis, *hæc disputatio &c.* frivolum plane est, & absurdum, ut cuilibet ad seriem contextus attendenti manifeste patebit.

Scilicet cum istam quæstionem proposuisset S. Augustin. *Unde sit illa voluntas qua credimus, an ex Deo, an ex libero arbitrio?* hanc rationem dubitandi adducit, *Si credimus natura*, inquit, *quare non omnibus datur? si dono Dei, quare etiam non omnibus, cum Deus velit omnes homines salvos fieri?* Quibus statim respondet, & ad primam quidem dubitandi rationem, reponit voluntatem qua credimus esse a Deo, licet credamus per liberum arbitrium, quia ipsum liberum arbitrium est a Deo datum: ad secundam dubitationis partem, Deum velle omnes homines salvos fieri, ita ut tamen liberum arbitrium non adimat, quasi dixisset, uti & nos ipsi dicimus in Scholis voluntatem illam non esse efficacem pro omnibus, esse antecedentem, non semper impleri, cum Infideles male suo libero arbitrio utentur, non salventur. Unde manifeste sequitur S. Doctorem agnovisse in Deo voluntatem istam generalem salvandi omnes homines; si enim existimasset Deum non velle omnes salvos fieri, quæstioni propositæ respondisset assertive, Deum non velle omnes homines salvos fieri, & ita dono Dei esse quod quidam credent.

Eandem tradit doctrinam lib. de Catechizandis rudibus cap. 26. *A quo interitu, hoc est pœnis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit unigenitum filium suum, hoc est Verbum suum æquale sibi, per quod condidit omnia. Et manens quidem in divinitate sua, & non recedens a Patre nec in aliquo mutatus assumendo tamen hominem, & in carne mortali hominibus apparendo venit ad homines, ut quemadmodum per unum hominem qui primus factus est, idest Adam, mors intravit in genus humanum, quia consensit mulieri suæ seductæ a Diabolo, ut præceptum Dei transgrederentur: sic per*

unum

unum hominem, qui etiam Deus est Dei filius, Jesum Christum, deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum omnes in æternam vitam ingrederentur. Consule præterea quæ a nobis adducta sunt, ubi ostendimus dari gratiam sufficientem.

Hanc sancti Augustini doctrinam aperte confirmat ejusdem fidus interpres & discipulus Prosper, nimirum ad capitula Gallorum Sent. 8. *Qui dicit*, inquit, *quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum; durius loquitur, quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes homines vult salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire.*

Quin & alter, quisquis tandem ille fit autor Librorum de vocatione gentium, veram esse in Deo voluntatem salvandi omnes homines probat toto fere libro secundo, cap. 2. 16. 17. & 25. quod idem etiam docent S. Joannes Damascenus lib. 2. cap. 29. S. Bernardus homil. 4. super *missus est*, & alii passim SS. Patres, quorum testimonia sumus adducturi sequenti articulo ubi ostendemus Christum Dominum pro omnibus esse mortuum.

S. Anselmus in cap. 6. Matth. in ista verba, *Fiat voluntas tua*, sic loquitur: *Duæ sunt voluntates in Deo, una misericordiæ quæ non est cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, qua omnes homines vult salvos fieri, quod tamen in libera voluntate eorum positum est; est & alia quæ est de effectibus rerum de qua dicitur. Omnia quæcunque voluit fecit, huic nemo potest resistere, de qua dicitur, Voluntati ejus quis resistet? Hæc provident a concordat semper, alia vero non semper. Si enim venit per misericordiam de aliquo pravo quod sit justus, & conferat ei gratiam suam, & tamen ille per liberum arbitrium suum contradicat, nec gratiæ Dei consentiat, hæc voluntas Dei non concordat providentiæ, quia quamvis per dulcedinem gratiam conferat, tamen scit non consensurum..., in terra multi contradicunt voluntati Dei, illi scilicet quæ est ex misericordia. Cum enim vellet pravos etiam salvare, si vellent, tamen ipsi contradicunt operibus huic voluntati.*

Dehinc eandem sententiam unanimi consensu professi sunt omnes e Schola Theologi.

Ita S. Bonaventura in 1. dist. 46. qu. 1. art. 1. his verbis: *Prout Deus dicitur velle omnium salutem quantum in se est & antecedenter: connotatur in omnibus ordinatio ad salutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ. Dedit enim Deus eis naturam secundum quam possent eum cognoscere, & cognitum quærere, & quæsitum invenire, & invento inhærere, ac per hoc salutem obtinere. Gratiam similiter obtulit, dum filium misit & obtulit, cujus pretium saluti omnium sufficit. Leges etiam & mandata tribuit salutis & ostendit. Ipse etiam præsto est omnibus inquirentibus, & prope est omnibus invocantibus eum. Velle ergo hominem antecedenter salvare, est ordinatum ad salutem facere, & volenti pervenire non deesse. Unde velle antecedenter salvare, non connotat salutem. Velle autem consequenter, sive absolute salvare, est velle dare salutem ei, quem præscit ad salutem perventurum per suum auxilium & gratiam, & connotat salutis effectum.* Non poterat Bonaventura clarius exprimere totum hoc nostrum systema de voluntate antecedente Dei omnes salvandi homines.

Eodem modo loquitur Scotus in eandem quæstionem scribens: *Licet*, inquit, *illud dictum Apostoli posset exponi de distributione accommodata pro omnibus qui salvi fient, tamen multo melius posset exponi de voluntate antecedente sic, id est, vult omnes homines salvare & salvos fieri, quantum scilicet est ex parte sui, & voluntate sua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia & leges certas, & adjutoria communia sufficientia ad salu-*

salutem. Et paulo post, *Etsi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad istum salvandum, tamen vult isti illa adjutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus iste etiam potest sufficienter bene vivere & salvari, propter qua dici potest, quod quantum est ex parte sui vult omnes homines salvos fieri*.

Clarius vero S. Thomas quæst. 23. de veritate art. 2. in corpore: *Quia ergo*, inquit, *Deus omnes homines propter beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium salutem velle; sed quia quidam suæ saluti adversantur, quos ordo suæ sapientiæ ad salutem venire non patitur propter eorum defectum, implet in eis alio modo id quod ad suam bonitatem pertinet, scilicet eos per justitiam damnans*. Et in solutione ad 2. *Vult Deus salvari voluntate antecedente humanæ naturæ quam ad salutem fecit, sed vult eum damnari voluntate consequenter propter peccata quæ in eo inveniuntur*. Idem habet in 1. dist. 40. q. 4. art. 2.

S. Laurentius Justinianus lib. de contemptu mundi cap. 8. *Noli, o homo*, inquit, *cum derelinquis bonitatem damnare divinam, quod suam tibi minime prædonavit gratiam, quod ad peccatum impulerit, & bene agendi tibi negaverit potestatem. Inique cogitas dum talia meditaris. Nunquid scelerum autor est Deus? An forte peccatorum favet voluntatibus malis? Nonne potius illam insequitur, judicat, punit, & damnat? vult quantum in ipso est, omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, quatenus in omnibus reperiat quod coronet*.

Joannes major in 1. dist. 41. q. 1. *Secundo agens* 1. *ad Timoth*. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, de electis manifestum est, de reprobis intelligo quantum est ex parte Dei*. Et in 1. distinct. 47. quæstione unica docet, *Deum velle omnes non solum prædestinatos sed etiam præscitos salvos fieri, quatenus dat eis intellectum, voluntatem, præcepta & consilia, & paratus est eis coagere, si hic utantur: defectus ergo ex parte eorum est*. Quod quidem & alii plerique omnes docent, quorum testimonia hic describere molestum nimis esset; consuli possunt Gabriel Biel dist. 46. in 1. quæstione unica. Ocham in 1. dist. 46. quæst. 1. Carthusianus 1. dist. 40. q. 3. Alensis 1. p. q. 36. membro 2. & 2. q. q. 110. memb. 8. Ægidius 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. Capreolus in 1. dist. 45. quæstione unica. Ricardus 1. dist. 46. art. unico. Horantius lib. 1. locorum Cathol. cap. 34. & alii.

His accedit autoritas Conciliorum quæ Prædestinatianorum errores condemnarunt in duplici occasione.

1. Quidem, in quinto sæculo habitum est Concilium Arelatense, in quo probata fuit Fausti Regiensis Epistola quam dederat ad Lucidum Presbyterum, ut ipsum a multis erroribus avocaret, quorum unus erat, Deum non velle omnes homines salvos fieri. Circa idem tempus Epistola qua errores suos revocavit Lucidus, fuit similiter approbata in quodam Concilio Lugdunensi.

2. Merito profertur Concilium Moguntinum quod nono sæculo habitum est sub Rabano, & ubi damnati sunt errores Godescalci Monachi; quorum unus hic fuit, quod Deus non vult omnes homines salvos fieri, quod idem postea præstitit Concilium Carisiacum, ut fusius dicetur sequenti articulo.

Solvuntur Objectiones.

Objicies: illa sententia propugnari non debet, quam velut falsam & erroneam proscripserunt olim Sancti Patres in Pelagianis & Semipelagianis: atqui sententiam quæ statuit in Deo voluntatem generalem salvandi omnes homines, ut falsam & erroneam proscripserunt olim Sancti Patres in Pelagianis & Semipelagianis.

Ac primo hanc fuisse Pelagianorum doctrinam ex eo colligitur, quod Pela-

gius ipse Commentariis in Epistolas S. Pauli, qui extant inter opera sancti Hieronymi, ista Apostoli verba, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, sic interpretatur, *si tamen ipsi vocanti Deo consentire voluerint*; quem plane eundem sensum iisdem verbis tribuit Julianus, ut videre est apud S. Augustinum lib. 4. in eundem Jul. cap. 8. Hanc autem sententiam refellit S. Doctor multis in locis & præsertim lib. mox citato contra Jul. in Enchiridio cap. 97. & 103. lib. de corrept. & grat. c. 13. lib. de Prædest. Sanctorum cap. 14. & Epist. ad Vitalem, quæ quidem loca ad istius rei elucidationem sumus adducturi huic objectioni respondendo.

2. Eandem quoque fuisse Semipelagianorum doctrinam testantur Prosper & Hilarius in Epist. ad S. Augustinum, & idem S. Prosper in Epist. ad Rufinum: *ubi est illud*, inquit, *quod nobis quasi contrarium a non intelligentibus semper opponitur, quod Deus omnes homines velit salvos fieri*. Quod idem observat capitque S. Fulgentius lib. de Incarnat. & grat. cap. 29. & 31. ergo revera Deus non vult omnes homines salvos fieri.

Dist. min. hanc sententiam proscripserunt SS. Patres assertam ad sensum Pelagianorum & Semipelagianorum, C. ad sensum Theologorum, qui maxime catholicus est, N. scilicet is fuit Pelagianorum & Semipelagian. error, quod dicerent esse in Deo voluntatem generalem salvandi omnes homines, sed quæ æqualis plane esset pro omnibus & indifferens; ita ut non alia voluntate voluerit Deus salvare Petrum qua voluit salvare Judam; unde omnem prorsus rejiciebant prædilectionem, electionem secundum propositum, omnem prædestinationem, Deumque dicebant indifferenter se habere erga omnes, eademque omnibus indiscriminatim, seu, ut loquitur Faustus, indiscrete præparare media ad salutem necessaria.

De Pelagianis quidem id manifeste colligitur ex S. Augustino lib. 4. cap. Jul. cap. 8. *Sed ponis*, inquit, *Apostolicum testimonium*, *& ab eo dicis pulsantibus aperiri qui omnes homines vult salvos fieri*, *& in agnitionem veritatis venire; ut videlicet intelligamus, docentibus vobis, ideo non omnes salvos fieri & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere cum Deus velit dare, nolunt quærere cum Deus velit ostendere, nolunt pulsare cum Deus velit aperire*. Quod quidem refellit S. Doctor ostendens certa quadam peculiari voluntate Deum velle quosdam salvos fieri: *Novit Dominus*, inquit, *qui sunt ejus*, *& in eorum salute atque in suum regnum introductione certa est voluntas ejus*: tum vero ex parvulorum exemplo, quos certe æquali voluntate non dilexit, non elegit, qua cæteros qui revera percepto baptismate salvantur.

De Semipelagianis idem constat ex S. Prospero Epist. ad S. August. ubi sic refert sententiam Semipelagianorum. Num. 3. *Hæc ipsorum definitio ac professio est ... propositum vocationis Dei quo vel ante mundi initium vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio; ut secundum quod placuit creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis afferre*. Num. 4. *Bonitas in eo appareat, si neminem repellat a vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri & in agnitionem veritatis venire*. Quod ipsum expresse testatur sanctus Fulgentius loco citato in objectione, ubi sic habet: *Illud vero Apostolicum*, inquit, *ubi dicitur de Deo, qui vult omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, non sicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem sicut in vasis misericordiæ, sic & in vasis iræ accipiendam existimant*.

Quibus præsuppositis mirum videri non

non debet, quod Sancti Patres negent aperte Deum velle omnes homines salvos fieri; loquuntur enim de voluntate indiscreta & indifferenti ad sensum Pelagianorum & Semipelagianorum, qui omnem prorsus a Deo respuebant prædilectionem, prædestinationem, electionem, secundum propositum. Unde merito ejusmodi sententiam de voluntate generali redarguunt; falsum est enim, erroneum & plane hæreticum, Deum velle omnes homines salvos fieri voluntate generali, quæ sit indifferens & indiscreta per exclusionem ad aliam voluntatem prædilectionis; quia de fide est Deum speciali sua gratia quosdam præ aliis eligere, diligere, prædestinare.

Hoc mirum in modum explicat autor lib. 2. de vocatione Gentium cap. 31. *Gratiam Dei*, inquit, *omnibus hominibus adfuisse providentia quidem pari & bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura. Quoniam sive occulte sive manifeste ipse est, ut Apostolus ait, salvator omium hominum maxime fidelium. Quæ sententia subtilissimæ brevitatis & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua egimus, controversiam dirimit. Dicendo enim, qui est salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem; adjiciendo autem, maxime fidelium, ostendit partem esse generis humani, quæ merito fidei divinitus inspirata ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.*

Omitto quod illam Pelagianorum & Semipelagianorum sententiam de voluntate generali salvandi omnes homines, velut aliis nonnullis erroribus implicitam, condemnarunt illi Patres.

1. Enim ita docebant hæretici Deum velle omnes homines salvos fieri; si tamen, inquiebant, ipsi velint, ut istam hominum voluntatem quam Deus a nobis exigit, solis naturæ viribus assignarent, ut de Pelagianis constat ex sancto Augustino lib. 4. contra Jul. cap. 8. & de Semipelagianis ex jam citatis Epistolis Prosperi & Hilarii ad S. Augustinum.

2. Et alter Semipelagianorum error fuit ita Deum velle omnes homines salvos fieri si velint, ut id etiam ad parvulos extenderent non percepto baptismate decedentes; ajebant enim ideo illos non salvari, quia si diutius vixissent, salvari noluissent; testatur sanctus Prosper in Epist. ad S. August. unde facile intelligitur cum Pelagianis & Semipelag. dicentibus Deum velle omnes homines salvos fieri, consentire non potuisse Sanctos Patres.

Unde cum dixisset Jansenius Semipelagianum esse, dicere Christum pro omnibus omnino hominibus esse mortuum, hæc propositio damnata fuit a summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. tanquam falsa, temeraria & scandalosa; neque enim Semipelagiani erroris vel minimum suspecti sunt qui hanc propositionem ad sensum videlicet a Semipelagianismo plane diversum tenent & prædicant.

Instabis: ille non admittit in Deo voluntatem salvandi omnes homines, qui celebrem hunc Apostoli locum, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, negat de omnibus & singulis hominibus intelligendum, sed ad solos ubique prædestinatos restringit: atqui S. August. hunc Apostoli locum ad solos restringit prædestinatos qui reipsa salvantur, tres enim tantum expositiones hujus loci affert passim in suis scriptis quæ in hunc scopum tendunt.

Prima est, ut illa Apostoli verba intelligantur per accommodatam, ut ajunt, distributionem de singulis generibus non de singulis generum, eo nempe sensu quod ex omni hominum genere aliquos velit Deus salvos fieri, mares ut fœminas, liberos ut servos, Reges ut subditos, &c. non autem quod sin-

gulos ex quolibet genere salvari velit, sic lib. de corrept. & grat. cap. 14. *Ita dictum est*, inquit, *omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes prædestinati, quia omne genus hominum in eis est, sicut dictum est Pharisæis, decimatis omne olus, ubi non est intelligendum nisi omne quod habebant, neque enim omne olus, quod erat in toto terrarum orbe, decimabant*. Et in Enchiridio cap. 103. *Aut certe*, inquit, *sic dictum, qui omnes homines vult salvos fieri, non quod nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos esse pœnitentiam si fecisset; sed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quascunque differentias distributum; Reges, privatos; nobiles, ignobiles; sublimes, humiles; doctos, indoctos; integri corporis, debiles; ingeniosos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adolescentes, juvenes, seniores, senes; in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in voluntatum & conscientiarum varietate innumerabili constitutos; & si quid aliud differentiarum est in hominibus*.

Secunda est, ut illa divi Pauli verba sic intelligantur, ut Deus dicatur omnes homines velle salvos fieri, omnes nimirum qui revera salvantur; quasi dixerit Apostolus nullum salvum fieri posse quem Deus non voluerit salvare, id legitur ibidem in Enchiridio cap. 103. *Ita*, inquit, *intelligere debemus, quod scriptum est, qui vult omnes homines salvos fieri, tanquam si diceretur nullum hominem fieri salvum, nisi quem salvum fieri ipse voluerit; non quod nullus sit hominum, nisi quem fieri velit; sed quod nullus fuit nisi velit; ideo rogandus ut velit, qui necesse est fieri si voluerit*. Quam interpretationem tradit idem sanctus Doctor lib. de Prædest. Sanctorum cap. 8.

Tertia S. Augustini expositio est, ut ideo dicatur Deus velle omnes homines salvos fieri, quia facit ut id velimus & ab ipso postulemus; lib. de correpť. & grat. cap. 51. *Potest etiam*, inquit, *sic intelligi quod omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle, sicut misit Spiritum filii sui clamantem Abba Pater, id est nos clamare facientem*, Ita & l. 22. de Civit. Dei cap. 1. & 2.

Sic porro Apostoli verba exponentem Augustinum facile secuti sunt Hilarius in Epist. ad ipsum Aug. S. Prosper in Epist. ad Rufinum cap. 8. Africani Præsules in Sardinia exules congregati sua in Epist. Synodica. S. Fulgentius lib. de Incarn. & grat. cap. 31. Petrus Diaconus in Epistola ad eundem Fulgentium. Greg. M. in primum Reg. lib. 5. Primasius in cap. 9. Epist. ad Rom. Autores noni sæculi qui adversus Hincmarum scripsere. Magister Sent. in primum, dist. 46. & nonnulli alii Scholastici. Igitur existimarunt illi omnes non esse in Deo veram & sinceram voluntatem salvandi omnes & singulos homines.

Dist. min. hanc Dei voluntatem salvandi omnes homines restringit ad solos prædestinatos, ubi sermonem habet de voluntate absoluta, efficaci & completa, C. ubi sermonem habet de voluntate generali tantum & antecedente, N. scilicet iis in locis loquitur Augustinus adversus Pelagianos aut Semipelagianos, qui quidem, ut mox dicebamus, voluntatem absolutam & ex parte Dei plene efficacem salvandi omnes homines ita Deo tribuebant, ut vellent Deum omnibus & singulis æqualiter & indiscriminatim salutem procurare; adeo ut neminem præ alio diligeret, & neminem a gloria excluderet; idque hoc fulti Scripturæ testimonio, *Deus vult omnes homines salvos fieri*. Quocirca mirum videri non debet, si hunc Apostoli locum

sic

ſic exponat Auguſtinus, ut ad ſolos reſtringat prædeſtinatos hanc Dei voluntatem ſalvandi omnes homines, ſiquidem veriſſimum eſt ad ſolos pertinere prædeſtinatos voluntatem ſalvandi abſolutam, conſequentem, efficacem, & ex parte Dei completam; quod quidem non impedit, quominus in aliis locis idem ſanctus Doctor voluntatem generalem & antecedentem Deo tribuat, ut ſupra oſtendimus.

Huic ſolutioni aſtipulantur S. Thomas & S. Bonaventura, ille quidem in 1. diſt. 46. q. 1. art. 1. ad 1. his verbis: *Secundum Damaſcenum*, inquit, *verbum Apoſtoli intelligitur voluntate antecedente & non de conſequente. Sed ſecundum Auguſtinum intelligitur de conſequente. Unde exponit eam dupliciter, uno modo ut ſit diſtributio accommoda pro omnibus qui ſalvantur, ut in littera dicitur: alio modo ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum*. Et S. Bonaventura in 1. diſt. 46. q. 1. prolatis nonnullis S. Auguſt. expoſitionibus, ubi de ſolis prædeſtinatis Apoſtoli verba interpretatur, ait: *Neceſſe eſt ſic vel ſic ſolvere ſuppoſito quod velle dicat ibi velle Dei, ſecundum quod dicitur velle placito quietato, ſive voluntate abſoluta, de qua verum eſt dicere, omnia quæcunque voluit fecit. Sed Damaſcenus facit vim in modo volendi; diſtinguit enim in Deo voluntatem antecedentem & conſequentem . . . prima ſcilicet antecedens dicitur a Magiſtris voluntas conditionalis, ſive voluntas qua Deus vult quantum in ſe eſt. Secunda autem ſcilicet conſequens dicitur abſoluta*.

Neque movere debet aliorum, qui citati ſunt, autoritas. 1. enim Hilarius, Proſper, Africani Præſules, S. Fulgent. & Petrus Diaconus ſcribunt adverſus Semipelagianos, qui ſimiliter generalem admittebant in Deo voluntatem æqualem & indifferentem pro omnibus & ſingulis; cæteri ſequuntur Auguſtinum illius fulti autoritate & ſententiis, adeoque in eundem ſenſum exponi debent.

Inſtabis: incredibile eſt hunc Apoſtoli locum de voluntate generali & antecedente ſalvandi omnes & ſingulos homines intelligi poſſe, & in hunc tamen ſenſum nullibi unquam nec ſemel accipi ab Auguſtino: ergo revera putabat Auguſt. &c.

Neg. ant. & dico communem hanc Theologorum interpretationem de voluntate generali ſalvandi omnes homines conſulto fuiſſe ab Auguſtino prætermiſſam; quia nempe in illis contra Pelagianos concertationibus periculoſa fuiſſet; inde enim occaſionem arripuiſſent iſti hæretici accuſandi Catholicos, quaſi voluntatem quandam in Deo admiſiſſent indiſcretam & indifferentem, quæ vix conciliari poſſit cum electione gratuita, quam quidem demonſtrandam in ſe ſuſceperat Auguſtinus. 2. quia Pelagianos inter & S. Auguſtin. erat ſolum quæſtio de voluntate abſoluta, & ex parte Dei completa; adeoque mirum non eſt quod objectum a Pelagianis hunc Apoſtoli locum ſemper reſtringat Auguſtinus ad ſolos prædeſtinatos.

Inſtabis: ille nullam admittit in Deo voluntatem vel antecedentem, qui tanquam certum & indubitatum docet voluntatem Dei ſemper impleri, nec unquam voluntate humana impediri poſſe: atqui S. Auguſt. ubique paſſim docet voluntatem Dei ſemper impleri, ſic in Enchiridio cap. 97. *Videndum*, inquit, *quomodo ſit de Deo dictum, quod ait Apoſtolus, Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Cum enim non omnes ſed multo plures non ſint ſalvi; videtur utique non fieri, quod Deus vult fieri, humana ſcilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur cauſa, cur non omnes ſalvi fiant, reſponderi ſolet quia hoc ipſi nolunt. Quod quidem de parvulis dici non poteſt, quorum nondum eſt velle ſeu nolle. Nam*

quod

quod infantili motu faciunt, si eorum voluntati judicaretur esse tribuendum, quando baptizantur, cum resistunt quantum possunt, etiam nolentes eos salvos fieri diceremus. Sed apertus Dominus in Evangelio compellans ipsam civitatem, quoties, inquit, volui colligere filios tuos, sicut gallina pullos suos, & noluisti, tanquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate, & infirmissimis nolendo impedientibus, non potuerit facere potissimus, quod volebat; & ubi est illa omnipotentia qua in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, si colligere filios Jerusalem voluit, & non fecit? Unde cap. 103. ejusdem libri postquam varias istius loci, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, interpretationes adduxit, sic tandem concludit: *Et quocunque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse, quia veritas cantat, omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra.* Ergo non admittit S. August. voluntatem etiam antecedentem salvandi omnes homines.

Dist. min. voluntatem Dei consequentem, C. antecedentem, N. quandam porro voluntatem antecedentem de salute hominum quæ sit vera & sincera, & tamen quæ suo privetur effectu, in Deo admisisse sanctum Augustinum abunde ostendimus ex lib. de spir. & litt. cap. 33. & lib. de catechizandis rudibus cap. 26.

Instabis, S. Augustinus persæpe utitur exemplo parvulorum, ut ostendat non esse in Deo voluntatem salvandi omnes homines; ita loco mox citato, tum lib. 4. c. Jul. c. 8. & lib. 6. c. 5. &c. ergo saltem existimavit Deum non velle salvos fieri parvulos; adeoque non admisit voluntatem veram & sinceram salvandi omnes homines.

Dist. maj. ut ostendat non esse in Deo voluntatem salvandi omnes homines, ad sensum Pelagianorum, C. ad sensum Theologorum, N. scilicet utitur S. Augustinus exemplo parvulorum, ut ostendat non esse in Deo voluntatem indifferentem, indiscretam, & æqualem pro salute omnium; qua nimirum voluntate velit salvare omnes si velint; & non aliter velit salutem unius hominis quam alterius, quæ fuit, ut diximus, doctrina Pelagianorum. Et apposite quidem in illa occasione exemplum parvulorum adhibuit sanctus Doctor; quia nempe eo penitus vincebantur Pelagiani, utpote cum Deus æquali voluntate non velit salvare parvulos qui non percepto baptismate moriuntur, qua vult electos salvare: quod non impedit, quominus aliunde voluntatem antecedentem admiserit etiam de salute parvulorum. Consule quæ hac de re superius a nobis dicta sunt.

Objicies: si admitteretur in Deo voluntas antecedens salvandi omnes homines, duæ essent in eo voluntates contrariæ in ordine ad salutem reproborum, ista nempe qua vellet salvare reprobos, altera qua sine dubio vult damnare; absurdum consequens, ergo & antecedens.

Nego maj. & dico duas illas voluntates, antecedentem & consequentem, quas admittunt Theologi, non esse inter se contrarias, quia illæ voluntates proprie loquendo non sunt contrariæ, quæ versantur circa objectum suum diversimode consideratum: atqui voluntas antecedens qua vult Deus salvare omnes homines, & voluntas qua vult reprobos damnare, versantur circa objectum suum diversimode consideratum; voluntas enim antecedens, qua vult salvare omnes homines, versatur circa salutem hominum spectatam in genere, Deo nondum attendente ad circumstantias; voluntas autem consequens, qua vult quosdam ex illis damnare, versatur circa illorum salutem spectatam in particulari, Deo attendente ad circunstantias,

tias, & judicante ejusmodi salutem non expedire: ergo proprie loquendo duæ illæ voluntates non sunt contrariæ.

Egregie id explicat S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad primum, his verbis: *Unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum, vel malum; quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, & hominem occidi est malum secundum absolutam considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, & malum est eum vivere. Unde potest dici quod judex justus antecedenter vult hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ.* Qui quidem modus conciliandi voluntatem antecedentem, qua vult Deus salvare omnes homines, cum voluntate consequente, qua nonnullos ex illis vult damnari, cæteris fere omnibus placuit Theologis.

Insigne est etiam quod super ea re legitur Enchiridio Coloniensi titulo de Sacramento pœnitentiæ cap. quinto statuendum est: *Deus tam est benignus ac misericors, ut non tantum voluerit hominem lapsum, atque adeo quantumlibet criminosum resurgere ac resipiscere: nam apud Ezechielem, res autem exemplo fiet dilucidior, Legislator legem ferens omnes cives suos vult esse bonos & pacificos, nec vult ut crimina ab eis patrentur pœnis luenda, idque voluntate antecedente. Interim tamen filii sui alioquin charissimi, lata legis transgressoris mortem vult, quem vellet non peccasse, ut nihil plectendum in eo posset invenire, idque voluntate consequente, qua mortem filii vult propter aliquid jam factum. Itidem hortulanus plantat arborem, non ea mente ut excidat & in ignem mittatur; tamen dum post longam expectationem eam nullum fructum producentem videt, & terra excidit, & in ignem mittit. Non secus misericors Deus vult omnes homines salvos fieri, quod ad se attinet, voluntate antecedente. Quod vero reprobos damnat, fit voluntate consequente, quod justum sit eos quibus præbita est omnis occasio consequendæ salutis, nec apprehendere voluerunt, damnare.*

Instabis: si ad conciliandam Dei voluntatem antecedentem cum consequente, locum haberet trita hæc & pervulgata S. Thomæ comparatio, ad summum inde colligeretur, Deum velle voluntate antecedenti salvare omnes homines ante prævisionem peccati originalis; siquidem justus judex vult hominem vivere ante prævisionem illius criminis, spectans illum ut hominem, non ut homicidam, quem respiciens ut homicidam, non vult amplius vivere sed suspendi: atqui cum Theologi docent Deum velle salvare omnes homines voluntate antecedente, id intelligunt de hominibus consideratis post peccatum originale; ut nos initio hujus disputationis monuimus; hoc igitur pacto conciliari non possunt duæ illæ contrariæ voluntates.

Dist. maj. si trita hæc & pervulgata S. Thomæ comparatio locum haberet, simpliciter & quoad omnia, C. secundum quid & quoad aliqua tantum, N. quanquam igitur ista comparatio adinstar cæterarum, propositæ materiæ simpliciter & ex omni parte applicari non possit, ea tamen merito a nobis usurpatur, utpote quæ maxime apposita sit ad conciliandam Dei voluntatem antecedentem cum consequente; colligitur enim ex illa comparatione duas voluntates non sibi pugnare ut contrarias, eo præcise quod versentur circa objectum diversimode consideratum; ita ut, quemad-

madmodum justus judex vult vitam hominis spectans illum ut hominem, & ejusdem vult mortem quem respicit ut homicidam; ita similiter dici possit sine absurditate Deum velle omnes homines salvos fieri, cum illos respicit in genere, non attendens ad circunstantias; & quosdam ex illis damnare velle, quando attendit, aut ait S. Thomas loco citato, ad exigentiam suæ justitiæ.

Certe nihil esse contradictionis, quod in Deo admittatur duplex voluntas, una antecedens, altera consequens circa salutem hominum, ex eo perspicuum maxime est, quod teneantur adversarii hanc utramque voluntatem Deo ascribere pro salute Angelorum; nimirum aiunt Deum voluisse voluntate antecedente salvare omnes Angelos, quandoquidem nullum in illis primitus fuit peccatum quod plecteret, & tamen voluisse voluntate consequente quosdam damnare, quia peccaverant, id apertissimis verbis docet Jansenius lib. 10. de gratia Christi cap. 1. *Habuit Deus*, inquit, *generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes Angelos, ex qua, quantum in se est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est*. Quidni ergo diceretur Deum velle voluntate antecedente omnes homines salvos fieri, & velle voluntate consequente quosdam ex illis hominibus damnare.

Instabis: vel illa voluntas antecedens salvandi omnes homines esset absoluta, vel esset conditionata: atqui neutrum dici potest; primo quidem dici non potest illam esse absolutam, quia omnis Dei voluntas semper impletur, sola voluntas conditionata non impletur, defectu nempe conditionis; unde recte concipitur eam voluntatem qua voluit Deus salutem omnium hominum ante prævisionem peccati originalis, non impleri; quia ejusmodi voluntas erat conditionata; voluit enim tunc Deus salutem omnium hominum si vellent bene uti gratia sufficiente; quamobrem voluntas conditionata salutis hominum bene quidem consistere potest cum voluntate absoluta eos reprobandi propter peccatum, quod postea commissum fuit; secus vero voluntas absoluta salvandi cum voluntate damnandi eundem hominem, ubi utraque voluntas supponit peccatum. Secundo dici non potest ejuscemodi voluntatem antecedentem, esse conditionatam; ut enim supra dictum est, hancce voluntatem conditionatam admittebant Pelagiani, qui Deum dicebant velle omnes salvos fieri, si tamen vocanti Deo consentire voluerint, aut saltem, quanquam alio sensu, admittitur quoque a nonnullis Theologis; qui contendunt Deum velle omnes homines salvos fieri, si bene utantur gratiis sufficientibus quas illis decernit & quarum usum ope scientiæ mediæ præscivit; quæ quidem voluntas conditionata utroque sensu est absurda: ergo fictitia est illa voluntas antecedens, qua dicitur Deus velle omnes homines salvos fieri post prævisionem peccati originalis.

Nego min. & dico voluntatem generalem & antecedentem salvandi omnes homines dici posse & absolutam & conditionatam. Primo quidem dici potest absoluta; nam ea voluntas dici potest absoluta, qua Deus vult aliquid nulla apposita conditione: atqui dici potest, Deum velle salvos fieri omnes homines nulla conditione apposita; ut si dicat Deus spectans homines in genere, Volo salvare omnes homines; quæ voluntas legitur in Scripturis, cum dicitur velle omnes homines salvos fieri, velle neminem perire, nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur, &c. quæ quidem leguntur sine ulla apposita conditione: ergo voluntas salvandi omnes homines dici potest absoluta.

Quod autem objiciunt omnem voluntatem Dei absolutam semper impleri; jam diximus id verum esse de volunta-

te

ne absoluta consequente, non autem de antecedente.

Secundo, ejusmodi voluntas salvandi omnes homines dici potest conditionata, non eo quidem sensu, ut jam præmonuimus initio disputationis, quod conditio se teneat ex parte hominum, quasi Deus diceret, Volo salvare omnes si velint, si bene utantur gratiis sufficientibus: verum eo sensu quod conditio se teneat ex parte Dei, quasi diceret Deus, Volo omnes & singulos homines salvos fieri, si tamen id consentiat cum justitia mea, cæterisque attributis; ita S. Thomas mox laudatus, quanquam non rejicienda quoque sit ista propositio conditionata, quam efferre Deum opinantur aliqui Theologi, Volo salvare omnes homines, & revera salvabuntur, si tamen ipsi gratiæ non resistant.

Instabis: qui potest omnes & singulos homines salvare, neque tamen eos salvat; profecto non censetur habere veram & sinceram voluntatem de eorum salute; si enim Rex aliquis regnum posset ita gubernare suum, ut omnes tranquillam agerent vitam, nec tamen id præstaret; haud dubie non censeretur habere sinceram voluntatem de felicitate suorum subditorum; atqui constat Deum posse, si velit, salvare omnes homines, nec aliunde id repugnat quicquam, vel ex parte illius providentiæ, vel ex parte illius justitiæ, cæterorumque attributorum: ergo fictitia est ejusmodi voluntas in Deo salvandi omnes & singulos homines.

Nego maj. Inde enim solummodo sequitur Deum non velle voluntate consequente & efficaci omnes & singulos homines salvos fieri, quibus profecto tunc media procuraret efficacia ad salutem obtinendam, qui tamen aliunde veram & sinceram de illorum salute habet voluntatem. Ad probat. vero negamus paritatem; ratio disputationis est, quia Princeps in suo regno, tametsi non simpliciter privatus homo, est provisor particularis ad unum duntaxat finem determinatus, nimirum ut subditorum suorum tranquillitatem procuret; at vero Deus est provisor generalis, qui proinde non debet necessario æternæ hominum felicitati efficaciter invigilare, qui non modo potest pro sua misericordia eos salvare; sed & juxta suæ justitiæ leges eos peccato semel obstrictos damnare; quo fit, ut, licet hominum peccata & ruinam efficaciter non impediat, non minus proinde censeatur velle sincere voluntate saltem antecedente eorum salutem.

Et certe poterat Deus omnes & singulos homines antecedenter ad peccatum originale ita regere, ut nullus eorum peccaret, & omnes salvarentur, quod tamen dubio procul non præstitit: atqui fatentibus adversariis, voluit Deus sincere omnes & singulos homines salvos fieri antecedenter ad peccatum originale; ergo etiamsi Deus omnes homines post prævisionem peccati originalis efficaciter salvare potuerit & non salvaverit; non inde sequitur illum non habuisse veram & sinceram de eorum salute voluntatem, etiam consequenter ad peccatum originale.

Utrum voluntas salvandi omnes homines sit voluntas beneplaciti vel signi.

Communis est hæc divisio apud Theologos, qua voluntas Dei dividitur in voluntatem beneplaciti, & voluntatem signi; utraque est potius volitio seu actus voluntatis, quam voluntas, quæ, proprie loquendo, est ipsamet facultas, sed loquendum ut multi. Voluntas igitur beneplaciti est omnis actio voluntatis divinæ, qua Deus aliquid vult; voluntas autem signi non est actus Deo inexistens, & ideo nonnisi metaphorice est voluntas divina, sed est solummodo signum voluntatis divinæ, effectus qui prodire videtur a voluntate di-

divina, quintuplex distingui solet, vel ut alii loquuntur, quinque dicitur habere membra, nempe præceptum, prohibitionem, permissionem, consilium, & operationem, prout fert tritus iste versiculus,

Præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet.

Scilicet hæc omnia, præceptum, consilium &c. appellari solent in Scripturis voluntas Dei, Matt. 6. *Fiat voluntas tua*. Cap. 12. *Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror & mater est*. Act. 13. *Qui faciet omnes voluntates meas*. In quibus & similibus locis, nomine voluntatis non intelligitur vera voluntatis divinæ actio, sed consilium vel præceptum quod voluntatis divinæ signum est.

Et ratio est, quia Deus quandoque vult non fieri quod præcipit, & quandoque vult fieri quod prohibet: Geneseos 22. cap. Deus præcipit Abrahæ, ut filium suum immolet, quem tamen volebat non immolari, quod eleganter explicat S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 8. *Probatum*, inquit, *quasi fortiorem tentandum putavit majoribus. Et hic quidem exemplo docemur, quia veris probatur quis, tentatur autem compositis & fictis. Non enim volebat Deus immolari a Patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui ovem pro filio immolandam obtulit, sed tentabat affectum Patris, Dei præcepta præferret filio, nec paterna pietatis contemplatione vim devotionis inflecteret*. His positis,

Respondeo, voluntatem illam antecedentem qua Deus vult omnes homines salvos fieri, esse voluntatem beneplaciti; siquidem, ut puto, id exposcunt ea omnia Scripturæ, Patrum, & Theologorum testimonia a nobis superius allata, quæ nonnisi de vera & sincera voluntate intelligi possunt; voluntas autem signi non est vera voluntas, verus voluntatis actus, sed aliquod duntaxat voluntatis signum & argumentum; quo fit ut, qui non aliam voluntatem quam signi de salute omnium hominum Deo ascribunt, in rei veritate nullam admittant voluntatem, nisi verbo-tenus; id unum docent voluisse Deum, ut ad omnes & singulos dirigerentur præcepta, consilia, prædicatio Evangelii &c. sine ulla ex parte ipsius voluntate qua voluerit ejusmodi signa hominibus applicari: ergo voluntas antecedens qua vult Deus omnes homines salvos fieri, est voluntas beneplaciti.

Neque est quod objiciatur auctoritas S. Thomæ, qui cum nonnullis 1. par. qu. 19. art. 6. ad 1. docet hanc voluntatem antecedentem esse potius velleitatem quam voluntatem: *Similiter*, inquit, *Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ. Neque tamen id quod antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed secundum quid . . . unde magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas. Et sic patet quod quicquid Deus simpliciter vult, fit; licet illud quod antecedenter vult, non fiat*. Porro velleitas non videtur esse voluntas beneplaciti, sed tantum signi; unde juxta illam S. Thomæ mentem, Deus vellet, inquiunt, sed non vult salvos fieri omnes homines.

Verum facilis est responsio, nam eo loci S. Thomas voluntatem antecedentem appellat velleitatem, si comparetur cum voluntate absoluta; quatenus, ut ibidem ait, per ejuscemodi voluntatem antecedentem Deus non vult simpliciter, sed tantum secundum quid, & plerumque sub aliqua conditione id quod vult; *Unde*, inquit, *magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas*; ubi manifeste opponit velleitatem voluntati absolutæ, non autem omni veræ & sinceræ voluntati: quamobrem quæst. 23. de verit. art. 3. dividit voluntatem beneplaciti in antecedentem & consequentem, unde sequitur illum existimasse volun-

voluntatem antecedentem qua Deus vult omnes homines salvos fieri, esse voluntatem beneplaciti.

An Christus pro omnibus & singulis hominibus sit mortuus.

Certum est 1. Christum non esse mortuum efficaciter pro omnibus & singulis hominibus; omnes enim & singuli non salvantur. Certum est 2. Christum esse mortuum sufficienter pro omnibus, eo sensu quod Christi mortis pretium sufficiens fuerit ad redimendos omnes & singulos homines.

Sed quæstio est, utrum vere & sincere voluerit Christus Dominus hocce mortis suæ pretium pro redemptione omnium hominum, vel solummodo pro salute prædestinatorum exhibere, Deoque offerre.

Inter eos qui Christum Dominum negarunt mortuum pro salute omnium hominum, primus recenseri potest Lucidus quidam Presbyter Prædestinatianorum quinti sæculi facile princeps. Hujus cum nonnulli errores circa prædestinationem & Dei gratiam innotescere cœpissent, Faustus Reiensis Episcopus Epistolam ad ipsum dedit, in qua eum admonet jam tum Gallicanos Antistites meditari eum unitate suspendere, nisi protinus illos errores ipse ejuraret. Lucido sex condemnandas Propositiones obtulerat Faustus, ut manifeste constat ex quodam Lucidi libello quem ad Episcopos pœnitentia ductus transmisit. *Correptio vestra*, inquit, *salus publica, & sententia vestra medicina est; unde & ego summum remedium duco, ne errores præteritos accusando excusem, & salutifera confessione mea diluam. Proinde juxta prædicandi statuta Concilii damno vobiscum sensum illum qui dicit: 1. Laborem humanæ obedientiæ divina gratia non esse jungendum. 2. Qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum. 3. Qui dicit, quod Christus Dominus Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit. 4. Qui dicit, quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod Dei pereant voluntate, qui pereunt. 5. Qui dicit, quod post acceptum legitime baptismum in Adam moriatur quicumque deliquerit. 6. Qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos.*

Eandem Fausti Epistolam, quæ hæc errorum Lucidi capita continebat, Episcopi in quodam Arelatensi Concilio congregati calculo suo comprobarunt; qua ex causa damnati vulgo dicuntur Prædestinatiani in Concilio tertio Arelatensi; cujus rei finem faciunt Faustus ipse Reiensis in præfatione librorum suorum *de gratia & libero arbitrio* ad Leontium Episcopum, his verbis: *Quod pro sollicitudine pastorali*, inquit, *beate Papa Leonti in condemnando Prædestinationis errore Concilium summorum Antistitum congregastis, universis Galliarum Ecclesiis præstitistis, &c.* Et infra, *in quo quidem opusculo post Arelatensis Concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis adjici aliqua, Synodus Lugdunensis exegit*. Tum vero nono sæculo Hincmarus Remensis lib. de Prædestinatione cap. 1.

Verum Prædestinatianorum sectam, quæ quinto sæculo extitit, meram esse fabulam, merumque Fausti commentum, multi hujusce ætatis contendunt, Ussérius Armachanus, Manguinus Contensonius, & plures cum Theologi tum historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, multis fulti momentis quæ nonnisi strictim attingemus, quoniam istiusmodi quæstionum longior discussio ad historiæ Ecclesiasticæ tractatores pertinet.

Objiciunt 1. suppositionis merito suspecta creditur illa historia, cujus nemo meminit præter Faustum in hoc quinto sæculo, & nemo posterioribus sæculis usque ad Hincmarum, uterque enim nullam omnino meretur fidem; Faustus

quidem, qui cum esset Semipelagianorum Coriphæus, recte intelligitur confinxisse ejusmodi historiam, ut sancti Augustini discipulis invidiam conflaret; Hincmari vero qui Fausti commentum adoptavit, quo facilius Gotescalchi condemnationem promoveret: atqui hujus historiæ nemo in hoc quinto sæculo præter Faustum, nec in sequentibus usque ad Hincmarum qui nono sæculo degebat: igitur merito falsa præsumitur.

Nego maj. 1. quia non intelligitur adeo impudentem fuisse Faustum, ut comminisci ausus fuerit ejuscemodi historiam, in qua congregati referuntur Episcopi in duplici Concilio, & Lucidus Presbyter quosdam publicasse dicitur errores, ac postmodum ejurasse. Siccine nominatim designasset Presbyterum, Episcopos, Concilia? An vero tunc temporis nemo insurrexisset adversus Faustum, nemo eum mendacii reum peregisset, qui hac ætate propter alia capita tot sustinuit æmulos & hostes? Istud profecto non siluisset Joannes Maxentius ei non parum infensus, qui acerrime adversus illum scripsit. 2. quia ejusmodi acta quæ referuntur ab Autore clarissimo, ab omnibus deinceps suscepta sunt, nemo contradixit nono sæculo, cum approbata sunt ab Hincmaro Remensi, extant in Annalibus Baronii, in omnibus Conciliorum collectionibus, ea demum multi adoptarunt Eruditi.

Objiciunt 2. manifestum suppositionis indicium esse, quod Fausti Epistola in nonnullis codicibus munita legatur subscriptionibus plurimorum Galliæ Episcoporum, nimirum Auxanii, Pauli, Eutropii, Pragmatii, Patientis, Euphronii, Megetii, Claudii, Leucadii, & Juliani; in aliis vero codicibus qualis citatur ab Henrico Canisio tom. 5. antiq. lect. non reperiantur ejuscemodi subscriptiones Episcoporum.

Nego ant. siquidem recte dici potest MS. illum codicem quem habuit Canisius ex Bibliotheca Monasterii S. Galli, nullam mereri fidem, nequaquam vero cæteris anteponendum; teste enim ipso Canisio perturbatissimus est ille codex indigestam rerum variarum multitudinem continens.

Objiciunt 3. testatur Faustus hac in præfatione ad Leontium, operi suo de gratia & libero arbitrio subscripsisse Arelatensem Synodum, his nempe verbis supra citatis, *in quo quidem opusculo, &c.* aut igitur falsum est quod denarrat Faustus, aut si revera opus illud Fausti comprobarunt Arelatenses Episcopi, nullius plane ponderis est illorum subscriptio; qui suum fecerunt opus ex omni parte Semipelagianum, & ab omnibus Catholicis improbatum.

Nego ant. tametsi enim nomine opusculi significet Faustus suos libros de gratia & libero arbitrio, ad illud tamen opusculum non refert subscriptionem Concilii Arelatensis, quia non fuit elaboratum nisi post celebrationem hujus Concilii; ut manifeste liquet ex ejusdem præfationis initio, ubi sic habetur: *Quod pro sollicitudine pastorali*, inquit, *beate Papa Leonti, in condemnando Prædestinationis errore Concilium summorum Antistitum congregastis, universis Galliarum Ecclesiis præstitistis; quod vero ad ordinanda quæ collatione publica doctissime protulistis, operam infirmis humeris curamque mandastis, parum sanctæ existimationi vestræ consuluistis, & me judicio charitatis, vos periculo electionis onerastis*. Ex quibus patet Faustum nonnisi post Synodum Arelatensem composuisse suos libros de gratia & libero arbitrio, in quibus si quidquam ab eo peccatum est, profecto ab Arelatensibus Episcopis non fuit approbatum.

Objiciunt præterea, in illa Synodo Arelatensi duo dicuntur subscripsisse Episcopi ejusdem Ecclesiæ Augustodunensis, nimirum Euphronius & Pragmaticus ejus successor: atqui certum est eidem Synodo non interfuisse duos ejusdem.

dem civitatis Episcopos: ergo, &c.

Nego min. fieri enim potuit, ut tunc sedem eandem simul occuparent duo Episcopi ex ignorantia canonis Nicæni, ut antea contigerat, Valerio Hipponensi Episcopo vivente, in ejusdem civitatis Episcopum ordinari sanctum Augustinum.

His vero ita præmissis, alterum inter Prædestinatianos numerare possumus, Gotescalchum nempe Orbacensem Monacum, qui nono sæculo præfatas Lucidi propositiones instauravit; recensentur ab Hincmaro Remensi in Epistola quam ea de re scripsit ad Nicolaum summum Pontificem, ubi inter alia narrat Gotescalchum docuisse, quod *Jesus Christus Dominus noster & Salvator non fuit crucifixus, neque mortuus est pro redemptione totius mundi, id est pro redemptione omnium hominum, sed pro eis duntaxat qui salvantur*. Quid porro in hac Gotescalchi causa contigerit in Galliis, videbitur postea in decursu istius disputationis.

Item Calvinistæ ut negabant Deum velle omnes & singulos homines salvos fieri, quemadmodum ostendimus in præcedenti quæstione, ita & in iisdem principiis ratiocinando, volebant Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, pro reprobis, sed solum pro prædestinatis; quam quidem doctrinam sanxerunt in Dordraceoa Synodo cap. 2. artic. 6. his verbis: *Rejicit Synodus errorem eorum qui impetrationis & applicationis distinctionem usurpant, ut incautis & imperitis hanc opinionem instillent, Deum, quantum ad se attinet, omnibus hominibus ea beneficia voluisse conferre, quæ per mortem Christi acquiruntur. . . . Nam isti dum simulant se distinctionem hanc sano sensu proponere, populo perniciosum Pelagianismi venenum conantur propinare*. Quibus ultro subscribunt cæteri omnes Calvinianæ factionis.

Jansenius Iprensis Episcopus lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 20. præmissa & recepta communi & pervulgata divisione, quam usurpare solent Theologi, cum dicunt Christum mortuum quidem sufficienter pro omnibus, sed non mortuum efficaciter; in eo fatetur situm non esse statum quæstionis, sed in eo, quod Christus dicatur mortem suam vere & sincere pro omnium salute obtulisse; sic enim habet fere ad initium capitis: *Et quia ipsa phrasis*, inquit, *qua quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare, pro se ferre videatur redemptionem ex redimentis animo, in usum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi, qua oblatio ac directio Christi inanis esse non potest, & quia alioquin etiam pro dæmonibus se dedisse redemptionem dici posset, quibus redimendis sine dubio pretium sanguinis ejus est sufficiens, ac denique, quia Prospero antiquior ac doctior Augustinus nunquam in scriptis suis fatetur, Christum pro omnibus, nullo excepto, se dedisse redemptionem, vel crucifixum esse, vel mortuum; sed tantummodo pro illis, quibus mors ejus profuit, qui certo modo multi & omnes sunt* &c. ubi toto atque integro capite pro viribus ostendere conatur in hunc sensum pro omnibus & singulis hominibus Christum non esse mortuum: quocirca in illorum omnium sententiam sit.

CONCLUSIO.

Christus Dominus pro omnibus & singulis hominibus, non pro solis prædestinatis mortuus est.

Probatur 1. ex Scripturis quæ istam doctrinam apertissime tradere mihi videntur.

1. Enim Epist. ad Rom. cap. 8. sic de Patre æterno loquitur Apostolus, *qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; quo testimonio utitur S. Augustinus lib. 2. de nuptiis cap. 33. ut probet omnes vel etiam parvulos peccati originalis reos esse, quoniam & pro illis Christus

mortis

morti est traditus. Cap. 14. ejusdem Epistolæ hortatur Apostolus, ne quis per offendiculum ex ciborum comestione perdat fratrem, pro quo mortuus est Christus: *noli cibo illum tuum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Unde patet Christum esse mortuum etiam pro iis qui pereunt.

2. Epist. 2. ad Corint. cap. 5: hæc leguntur: *Charitas enim Christi urget nos, æstimantes hoc; quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Ubi certe supponit Apostolus Christum esse mortuum pro omnibus & singulis, nullo excepto; inde enim vult probare universos generatim sine exceptione in Adam mortuos esse morte peccati, cujus certe argumentationis nullas vis futura esset, nisi similiter pro omnibus & singulis mortuus fuisset Christus.

3. 1. ad Timoth. cap. 2: cum dixisset divus Paulus, Deum velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, subdit illico, *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum pro omnibus.* Ubi & Deum velle omnes homines salvos fieri; & Christum pro omnibus mortuum inde repetere videtur Apostolus, quod unus sit Deus, *unus enim Deus*, inquit; unde sequitur in ejus mente omnes intelligi homines quorum unus est Deus.

4. Epist. ad Hebr. cap. 2. scribit Apostolus *Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Ubi vocabulum *omnibus* sumi debet pro singulis totius mundi hominibus, additur enim versiculo sequenti, *decebat enim eum propter quem omnia & per quem omnia &c.* quæ verba reprobos ut electos complectuntur.

5. Et ea merito adjungi possunt, in quibus Christus Dominus dicitur Salvator omnium hominum, Joan. 3. cap. *Sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam; non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus.* Et cap. 4. Samaritani per biduum a Christo edocti dicunt, *scimus, quia hic est vere Salvator mundi.* Et secundæ Joan. 2: *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Quo demum pertinent quæ a nobis adducta sunt superiori articulo, ut ostenderemus veram & sinceram esse in Deo voluntatem salvandi omnes homines, quam certe voluntatem cum morte Christi pro universis hominibus summam habere conjunctionem nemo non videt.

Probatur secundo ex sanctis Patribus: quorum meo quidem judicio una fuit hoc in negotio mens, una sententia, scilicet Christum pro omnibus & singulis mortuum esse.

Clemens Romanus Epist. ad Corinth. n. 7. hæc scribit: *Sanguinem Christi intentis oculis intueamur, & quam pretiosus Deo sit ejus sanguis, consideremus, quia propter nostram salutem effusus, toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit.*

Sanctus Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 5. ostendit ex professo Christum venisse ut salvaret universum mundum. *Quotquot autem*, inquit, *timebant & solliciti erant circa legem ejus, ipsi decurrerunt Christo & salvati sunt omnes: Ite enim, inquit discipulis, ad oves quæ perierant domus Israel; & Samaritæ autem inquit, cum mansisset Dominus apud eos biduo, multo plures crediderunt propter sermones ejus: & mulieri dicebant, Jam non propter tuam loquelam credimus, ipsi audivimus &* sci-

scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.

Clarius id ipsum affirmat S. Clemens Alex. lib. 7. Strom. pag. 703. ubi loquens de Christo, *Nunquam ergo* inquit, *Servator habet odio homines, qui etiam propter suam excellentem benignitatem & in homines charitatem, non despecta carnis humanæ imbecillitate, sed ea indutus ad communem venit hominum salutem.*

Item S. Cyprianus Epist. 52. sic hortatur ad concedendam lapsis pœnitentibus veniam. *Et Paulus quoque Apostolus*, inquit, *in Epistola sua posuit: Si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis nunc justificati in sanguine illius, liberabimus per illum ab ira ... hinc Christus hortatur, ne in totum pereat quem redemit.*

Et sanctus Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 15. ubi de Christo sic loquitur: *Vinctos a peccatis solvit, & omne genus humanum in mundo redemit, neque totum esse per illum mundum liberatum, non enim simplex homo fuerat, sed filius Dei unigenitus pro illo moriens, quandoquidem etiam unius viri Adam peccatum potuit efferre mundo.* Apposita est sane hoc in negotio Christi comparatio cum Adam quam adducit Cyrillus.

Optatus Milevitanus idem his verbis pronunciat, *Constat sanguine Christi omnes esse redemptos.* Ubi, cum id non affirmet eo sensu quod revera & de facto omnes, & singuli homines per Christi sanguinem salvi fiant; veram saltem & sinceram Christi voluntatem de procuranda omnium salute, aperte significat.

Idem & S. Greg. Nazianz. non uno in loco, Orat. 38. loquens de hæreticis, ait, *pro quibus etiam mortuus est Christus*. Orat. 42. Christum pro omnibus sacrificium obtulisse. *Verum magna illa*, inquit, *& quantum ad illam naturam, immaculabilis victima legalibus sacrificiis immixta est, illa, inquam, non exiguæ cujusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus sed totius mundi nunquam intermoritura expiatio.* Orat. tertia scribit Christum *pro eorum salute a quibus in crucem agebatur, lacrymas fudisse.* Et ad Julianum Apostatam verba dirigens: *Tu manum movere adversus eam ausus es, quæ & pro te & propter te clavis affixa est?*

S. Basilius homil. in Ps. 48. *Omnes enim*, inquit, *peccaverunt & egent gloria Dei, justificati gratis ipsius gratia per redemptionem quæ est in Christo Jesu Domino nostro .... inventum tamen unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus & omni pretio superior pretiosus sanguis Domini Jesu Christi quem pro nobis omnibus effudit.*

S. Epiphanius hæresi 69. non minus expresse loquitur: *Ipse Christus*, inquit, *Sacerdos, ipse hostia semetipsum obtulit pro omni creatura Pontificatus officio fungens.*

Item S. Cyrill. Alex. in Epistola ad Monachos: *Unus*, inquit, *ex omnibus resurgens qui pro omnibus mortuus erat, ut proprio sanguine redimeret quicquid sub cœlo est, & acquireret Deo ac Patri omnes qui in universa terra consistunt.*

Tum vero S. Ambrosius lib. 3. de offic. cap. 3. sic scribit, *Christus quoque Dominus qui pro omnibus mortuus est, mercedem suam evacuatam delebit.* Et in lib. de Joseph cap. 7. *Christus omnibus vitam dedit; ipse pro omnibus mortem suam obtulit.*

Et sanctus Hieronymus in 2. Epist. ad Corint. cap. 5. super illa verba, *Christus pro omnibus mortuus est. Solus*, inquit, *inventus est, qui ut immaculata hostia pro omnibus, qui erant in peccatis mortui, offerretur.*

His porro præsentis doctrinæ testibus luculentissimis, quorum quidem ut parum

parum dubia est hac in parte sententia, nonnisi pauca strictim adduximus loca, merito subjungimus S. Augustinum, cujus imprimis patrocinio gloriari solent adversarii. Palmare est, quod frequenter repetit suis in libris contra Pelagianos pro iis omnibus mortuum esse Christum, qui per peccatum Adami mortui sunt, lib. 6. contra Jul. cap. 4. *Eo modo itaque*, inquit, *intelligimus mortuos, pro quibus omnibus unus mortuus est Christus, quomodo alibi dicit: & vos cum essetis mortui in delictis & in praeputio carnis vestrae, vivificavit cum illo. Ac per hoc unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ostendens fieri non potuisse ut moreretur, nisi pro mortuis. Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti: accipe, salubre est, nolo moriaris. Unus omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est.*

Lib. 2. oper. imperf. cap. 175. eundem alloquens Julianum: *Hinc te exue si potes*, inquit, *quod unus pro omnibus mortuus est, & aude dicere non omnes mortuos pro quibus mortuus est Christus; cum statim tibi Apostolus fauces premat & opprimat audacissimam vocem, quid sequeretur ostendens & dicens: Ergo omnes mortui sunt. Noli sic laudare Apostolum, noli sic exponere uti nolis audire. Si unus pro omnibus mortuus; ergo omnes mortui sunt. In hos omnes cum peccato mors pertransiit per illum in quo omnes moriantur: ibi sunt, & parvuli, quia & pro ipsis Christus mortuus est, qui propterea pro omnibus mortuus est, quia omnes mortui sunt*, quibus & similibus locis, cum probet Augustinus omnes & singulos homines vel etiam infantes qui sine baptismo decedunt, in Adam mortuos esse morte peccati, quia Christus ab Apostolo dicitur mortuus pro omnibus; unde manifeste sequitur eum existimasse Christum esse mortuum pro omnibus; ita ut sit quoque mortuus pro infantibus sine baptismo decedentibus; alter enim nulla vis fuisset hocce in argumento; nec ex morte Christi potuisset efficaciter probare omnes & singulos infantes in Adam mortuos esse, sed tantum eos pro quibus mortuus est.

Eodem argumento clarius adhuc, si fieri potest, utitur sanctus Doctor l. 2. de nupt. & concup. cap. 33. ubi cum hanc adduxisset Juliani argumentationem dicentis parvulos peccati originalis non esse reos, quia pro iis Christus non est mortuus, sic egregie respondet: *Ipse dicit, quomodo rei sunt parvuli, pro quibus Christus mortuus est? Nos respondemus, immo parvuli quomodo rei non sunt, pro quibus Christus mortuus est?* Quam rationem confirmat ex Apostolo, *Dicit de Deo Patre, quia proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Puto quod ita dicat, Christum traditum pro omnibus nobis, ut in hac causa parvuli non separentur a nobis. Sed quid opus est hinc satagere, unde nec tam ipse contendit, quandoquidem non solum confitetur mortuum etiam pro parvulis Christum, verum etiam inde nos arguit quod eosdem parvulos reos dicimus, pro quibus mortuus est Christus? Jam itaque Apostolus qui dixit, pro nobis omnibus traditum Christum, dicat etiam quare sit pro nobis traditus Christus; traditus est, inquit, propter delicta nostra.* Quibus certe nihil ad hanc nostram sententiam significantius desiderari potest, probat enim sanctus Augustinus beneficam Christi morientis voluntatem erga homines tam late patere, quam peccatum originale, quo putat fortiterque contendit eo loci adversus Julianum constringi omnes & singulos homines nullo excepto, nequi-

quidem parvulis qui in utero matris decedunt.

Sunt & alia plane innumera in ejusdem sancti Augustini scriptis quæ non minus eandem veritatem confirmant Tract. 12. in Joan. ad illa verba, *Non enim misit Deus filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*, hæc scribit: *Ergo quantum in medio est, salvare venit ægrotum: ipse se interimit, qui præcepta medici servare non vult: venit Salvator in mundum, quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum: salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis*. Et lib. de cathechizandis rudibus, cap. 26. *A quo interitu*, inquit, *Deus misericors volens homines liberare, si sibi non essent inimici & non resistant misericordiæ creatoris sui, misit unigenitum filium suum; ut quemadmodum per unum hominem qui primus factus est, id est Adam, mors intravit in genus humanum, quia consensit mulieri seductæ a Diabolo ut præceptum Dei transgrederetur; sic per unum hominem qui etiam Deus est, filius Dei, Jesus Christus, deletis omnibus peccatis credentes in eum omnes in vitam æternam ingrederentur*.

Libro 2. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 5. *Clamat cœlum*, inquit, *novi syderis radians fulgore, clamat terra turbata per Herodem, veniunt Magi admoniti, inquirunt Judæi turbati; quærunt ubi esset qui ubique totus est, queritur in mundo fabricator mundi. Ad hoc autem quærebatur non ut agnosceretur, sed ut occideretur, quia mundus per eum factus est, & mundus eum non cognovit. O munde immunde, venit qui te redimat, & turbaris, & hinc tu vis perdere, quando ille te disposuit liberare: o Judæorum terra impia non congruis cælo, cœlum demonstrat ut adoretur, tu quæris ut infans necetur: ille tibi annunciat Deum hominem suscepisse pro te, & tu vis perdere eum qui venit redimere te*. Reprobos & nunquam baptizatos hic appellat, & quorum tamen Christus dicitur voluisse salutem, liberationem, redemptionem.

Atque quod diligentissime est observandum his in locis Christus non dicitur mortuus pro omnibus, eo sensu duntaxat quod pretium exhibuerit sufficiens ad salutem universo generi humano procurandam; sed quod voluerit sincere, quantum in se est, ejuscemodi suæ mortis pretium omnibus & singulis applicari hominibus. Neque enim sine maxima absurditate dici potest captivos fuisse liberatos & redemptos ex munificentia alicujus Regis, eo precise quod habeat in ærario suæ pecuniæ summam his captivis redimendis sufficientissimam, nisi saltem quantum in ipso est eam exhibeat.

Eandem porro doctrinam tradunt insignes S. Augustini discipuli.

Sanctus Prosper acerrimus doctrinæ sancti Augustini defensor, ab eo hac in parte vel latum unguem non discessit, nimirum expresse asserit Christum pro omnibus hominibus sanguinem fudisse; ita ut ex iis nullus sit qui redemptus a Christo dici non possit, quanquam non omnes reipsa salutem consequantur, sic responsione 1. ad objectiones Vincentianas, *Quod ad magnitudinem*, inquit, *& potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam generis humani sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc sæculum sine fide Christi & sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque propter omnium naturam, & unam omnium causam a Domino nostro in veritate susceptam recte omnes dicantur redempti, & tamen non omnes a captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras*.

Simillimum est quod scribit responsione ad objectionem nonam Gallorum: Cum

Cum itaque inquit, *rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus propter veram naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem, potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit*. Dehinc pro ipsis etiam reprobis mortuum fuisse perhibet, *Diversa ergo ab istis sors eorum est, qui inter illos censentur, de quibus dicitur, Mundus eum non cognovit, ut possit secundum hoc dici Redemptor mundi, dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt*. Ubi per mundum Prosper intelligit reprobos, qui quidem idcirco tantum non sunt per Christi sanguinem redempti, quia redimi noluerunt, non quod Christus noluit eos esse redemptos, *Dedit enim pro mundo sanguinem suum;* quod significat voluisse Christum, & quidem sincere mundum redimere.

Certe verissimum est quod fatetur Jansenius, has locutiones, esse passum, crucifixum, se redemptionem dedisse pro omnibus, plus aliquid dicere, quam nude pretium sufficiens obtulisse, sed illud indicare, intentione morientis pretium pro illis oblatum esse; adeoque fatendum est non eo sensu intelligenda esse verba sancti Prosperi, tam sæpe dicentis, Christum esse mortuum pro omnibus hominibus, quod illius mors tanti fuerit pretii, ut omnibus & singulis redimendis par fuerit, sed eo sensu quod Christus pro singulis Patri suo sanguinem obtulerit volens sincere eos redimi.

Quibus adde quod hic sanctus Doctor, cum resciviffet conqueri Massilienses, quod docuisset Augustinus Christum pro omnibus & singulis hominibus non esse mortuum, nuspiam ipsis respondet id verum esse; sed immo affirmat in præfatione responsionis ad objectiones Vincentianas, male & injuste Augustino imputari blasphemias, mendacia, opiniones impias, prophanas, blasphemas, quarum hæc una est, *Quod Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus*. Ab eadem calumnia vindicat magistrum suum in præfatione quæ responsioni ad capitula Gallorum præfixa est: igitur existimabat sanctus Prosper Christum esse mortuum pro omnibus.

Ex quibus facile respondetur objectioni quam petit Jansenius ex nonnullis Prosperi verbis, quibus ait pro solis prædestinatis, pro iis solis qui salutem consequentur, mortuum esse Christum; vult enim solummodo Christum magis proprie pro illis hominibus mortuum, illos magis proprie redemptos, quod huic nostro dogmati nequicquam præjudicat; verum est enim Christum plura contulisse electis quam aliis hominibus, & magis, ut ita dicam, pro illis esse mortuum.

Item sanctus Fulgentius qui lib. 2. de remissione peccatorum cap. 16. testatur Christum pro Juda ipso traditore mortuum: *Post traditionem igitur Christi, habuit traditor tempus quo per illum sanguinem qui effusus est in remissionem peccatorum ipsius quoque Judæ possit remitti peccatum, quoniam Christus qui pro impiis mortuus est, non denegasset suo traditori remissionis beneficium, si non ille sibi desperando ademeret tempus remissioni concessum*.

Cæsarius Arelatensis in homil. 55. quæ legitur apud Augustinum ser. 249. in appendice sic Christum inducit peccatores alloquentem in extremo judicio: *Suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem, suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres; conditus tacui in sepulchro, ut tu regnares in cœlo: cur quod pro te pertuli, perdidisti? Cur ingrate redemptionis tuæ munera renuisti? Nonne te ego morte mea quæro, redde mihi vitam tuam pro qua meam dedi*.

Sanctus Leo Magnus serm. 1. de Nativi-

tivitate Domini: *Una*, inquit, *cunctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit*. Idem legitur in sermonibus 3. 7. 11. 16. & 19. de Passione Domini.

Beda venerabilis sancti Augustini doctrinæ perstudiosus, idem tradit in caput 24. sancti Lucæ: *Verum*, inquit, *quomodo post Resurrectionem clavorum vel lanceæ loca pandendo, discipulorum dignatus est fidem spemque roborare, ita in diem Judicii, & eadem Passionis suæ indicia, & ipsam pariter crucem monstrando, venturus est impietatem superborum infidelitatemque confundere, scilicet ut ipsum se esse, qui ab impiis & pro impiis mortuus est cunctis palam Angelis & hominibus ostendat*.

Apposita est ratio quam suppeditat Hincmarus lib. de prædest. cap. 34. *Si Christum*, inquit, *his tantum remedia attulisse dicimus qui redempti sunt, videbimur absolvere non redemptos quos pro redemptione contempta constat esse puniendos*.

Ita sanctus Anselmus in cap. 2. Epistolæ 1. ad Timoth. super hæc Apostoli verba, *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, hæc scribit: *nullum excipiens, qui vellet redimi ad salvandum. In hoc enim patet quantum Deus homines diligat, & eos velit omnes salvos fieri, si perversitas eorum non obstiterit, quia mediator Deus, quem Deus inter se & homines posuit, mortem pro omnibus sustinuit, ut omnes a morte redimeret. Et ideo qui non salvantur, non est quod de Deo vel de mediatore possint conqueri, sed de seipsis qui nec redemptionem quam mediator dedit, nec salutem quam Deus obtulit, voluerunt accipere*.

Christi sanguinem semel fusum in cruce cujuscunque animæ pretium esse agnoscebat etiam Hildebertus Cenomanensis primum Episcopus, & postea Turonensis Archipræsul, cum ipse captivus in Britannia majori pie non minus quam eleganter scribebat Epistola 39. *De Redemptione nihil ago, semel Christi sanguine redemptus, iterum redimi non requiro. Sanguis ille redemptio mea est, sanguis ille pretium meum. Indignum est ut sub pretio redigar, cujus pretium sine pretio*.

Insigne est quod scribit sanctus Bernardus meditat. cap. 3. ubi morales omnes compellat ut sanguinis Christi pretium non frustrentur: *Quare animam tuam*, inquit, *vilipendis & ei carnem præponis, totus quidem iste mundus ad unius animæ pretium æstimari potest. Non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius ergo est animæ pretium quæ nonnisi sanguine Christi redimi potuit. Quam ergo commutationem dabis pro anima tua qui pro nihilo das illam? Nonne Dei filius cum esset in sinu Patris a Regalibus sedibus pro ea descendit, ut eam liberaret a potestate diaboli? Quam cum vidisset peccatorum funibus irretitam jamjamque dæmonibus tradendam, ut morte perpetua damnarentur, flevit super illam quæ flere se nesciebat, nec solum flevit, sed etiam occidi se permisit, ut pretioso sanguinis sui pretio eam redimeret*. Item serm. 2. in Psal. *Qui habitat*, hæc habet: *Possunt omnia dicere, Creator meus es tu. Possunt & animalia dicere, Pastor meus es tu. Possunt omnes homines dicere, Redemptor meus es tu*.

Ait sanctus Laurentius Justinianus Christum pro omnibus & singulis, atque etiam pro iis qui peribunt, suum fudisse sanguinem, quorum scilicet salutem sitiebat. De triumph. Christi agone cap. 19. *Pendens*, inquit, *extensis brachiis, apertis manibus, perfossis pedibus, inclinato capite, universos invitabat dicens, Sitio, quod enim mulieri uni Samaritanæ dixerat, Da mihi bibere, hoc in Cruce nunc fixus omnibus*

ait, *Sitio*; *vos*, *inquit*, *volo*, *vos cupio*, *vos corpori meo unire*, *vos mihi associare sitio*. Et sermone de Passione Domini in hæc verba, *dixisti Sitio*; *Nunquid sitit satietas? Sititne qui sitientibus ardoribus refrigerium præstat? An vitæ fons sitire valet? potest*, *inquam*, *quoniam vult*. *Sitit utique pereuntium salutem animarum*.

Hanc porro doctrinam Christum pro omnibus & singulis sanguinem suum fudisse summo consensu propugnarunt, ut opinor, omnes Scholastici Doctores, quorum testimonia singula si hic percenserem, in immensum eresceret ista dissertatio, unum loco cæterorum adducam divum Thomam, qui hæc verba sancti Pauli ad Corinth. 1. ad Corint. cap. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, sic habet: *Quod infertur*, *ergo omnes mortui sunt*, *exponitur primo ut dicatur*, *omnes mortui sunt morte peccati in Adam*, *non enim esset necessarium*, *quod Christus pro omnibus moreretur*, *nisi omnes mortui essent morte peccati in Adam*. Ubi consequenter S. Thomas existimat Christum pro iis omnibus esse mortuum, qui mortui sunt in Adam, ac proinde pro omnibus & singulis, nemine excepto. In caput 19. Joan. lect. 5. *Per hoc*, inquit, *quod dicit*, Sitio, *ostenditur ejus ardens desiderium de salute generis humani*. 1. Timoth. 2. *vult omnes homines salvos fieri*, *vehemens autem desiderium consuevimus exprimere per sitim*.

Item ait Christum esse mortuum pro iis qui peribunt & non salvabuntur, in caput 14. Epist. ad Rom. *Noli*, inquit, *cibo tuo illum perdere pro quo*, *id est pro cujus salute Christus mortuus est*. Et in cap. 8. Epist. 1. ad Corint. *Peribit infirmus in tua scientia frater*, *propter quem salvandum Christus mortuus est*.

Probatur 1. ex decretis Conciliorum.

Ac 1. Quidem citari potest Concilium Nicænum generale primum, in cujus symbolo Catholica fides his verbis exprimitur, *qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis*. Quam sane fidei professionem edere tenentur omnes Christiani, seu sint prædestinati, seu reprobi.

2. Et laudari potest Concilium Arelatense in quo approbata fuit Epistola Fausti Rejensis sub anathemate condemnantis, ut dictum est, unam e propositionibus Lucidi Presbyteri, qua negabat aperte Christum esse pro omnibus hominibus mortuum.

3. Loco, ea Concilia producimus, quæ quidem, cum nono sæculo gravis exarsisset in Galliis controversia occasione Gotescalchi, damnant hoc caput quod a præfato Monacho docebatur, Christum non esse pro omnibus hominibus mortuum, neque voluisse Deum ulla ratione ut salvarentur qui revera non salvantur; istud primum damnavit Synodus Moguntina præside Rabano cum plerisque aliis Episcopis, ac deinde Concilium Carisiacum cujus præses & dux Hincmarus Remensis: ibi quatuor edita sunt celeberrima capitula, quorum postremum declarat, nullum hominem fuisse vel futurum, pro cujus salute Christus non sit passus, licet non omnes mortis ejus beneficio redimantur.

4. Denique, id constat ex Concilio Tridentino quod istam doctrinam aperte declaravit sess. 6. cap. 2. ubi loquens de Christo sic habet, *Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris*, *non solum autem pro nostris*, *sed pro totius mundi*. Et cap. 3. *Verum*, *& si ille pro omnibus mortuus est*, *non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*, *sed ii duntaxat*, *quibus meritum Passionis ejus communicatur*. Ubi docent Patres Tridentini, non pro omnibus tantum prædestinatis Christum esse mortuum, sed & pro omnibus & singulis hominibus,

etiam pro reprobis, nam cum dixissent cap. 3. Christum *pro omnibus esse mortuum*, ne quis proterva interpretatione utens, hæc verba ad solos prædestinatos restringeret, statim addunt, *Non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*. Quasi dicant Christum etiam esse mortuum pro iis qui mortis ejus beneficium non recipiunt.

Adde quod eam esse Patrum Tridentinorum mentem merito colligitur ex eo quod hoc suum decretum stabiliunt ex testimonio sancti Joannis in 1. Epist. cap. 2. dicentis, *Hunc proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi*. Ubi quisquis hæc verba *pro totius mundi* de solis prædestinatis interpretabitur, ab sancti Joannis mente vehementer alienus erit, nam eo loci ad spem & fiduciam peccatores erigit, cavendo ne de salute sua desperent, unde ipsis Christi redemptionem pro omnibus hominibus proponit. Quæ vero foret ejus ratiocinatio, si putaret Christum esse mortuum duntaxat pro electis? is profecto foret sensus, si quis inter vos peccavit, spem omnem non abjiciat, Christus enim mortuus est pro iis qui beneficium ejus mortis recipient, id certe ad desperationem potius quam ad fiduciam impelleret.

Deinde sensus Patrum Tridentinorum merito colligitur ex eorum scopo, volunt enim ibi occurrere doctrinæ Calvinistarum, qui ad solos prædestinatos accommodabant ea omnia Scripturæ loca in quibus Christus dicitur pro omnibus mortuus; fatebantur quidem Christum esse mortuum pro omnibus sufficienter, sed negabant Christum pro omnibus & singulis, nullo excepto, se dedisse in pretium & redemptionem, quasi sincere voluisset mori pro reprobis. Sed contra Patres Tridentini hanc, de qua hic quæstio est, Christi voluntatem stabiliunt, dicentes videlicet mortem Christi ad eos quoque pertinere qui hujus beneficium non recipiunt.

Neque ista Christi mors pro omnibus hominibus oblata, etiam pro reprobis & iis qui nunquam salvabuntur, intelligi tantum potest de sufficientia pretii; alioquin idem dici posset de malis Angelis, quorum certe saluti procurandæ sufficientissima fuit Christi Domini mors, quod tamen nec dicunt nec cogitant Patres Tridentini.

His adde Constitutiones summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. in quibus damnantur quinque propositiones Jansenianæ, quarum postrema hæc est, *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse*. Quo sensu istud docuerit Jansenius, ex ejusdem verbis declaravimus suprà.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Scriptura restringit mortem Christi ad multos, Math. 20. cap. *Filius hominis non venit ministrari & dare animam suam redemptionem pro multis*. Et cap. 26. *Hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Epist. ad Hebr. cap. 9. *Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Hos vero *multos* in aliis locis passim interpretatur Scriptura *oves* Christi Joan. 10. *animam meam pono pro ovibus meis*. Aliquando etiam *populum* Christi. Math. 1. *Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum*. Denique *Ecclesiam* Christi, ad Ephes. cap. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea*. Atqui reprobi & finaliter impœnitentes, nec sunt oves Christi, nec populus ejus, nec Ecclesia: ergo Christus non est mortuus pro omnibus & singulis hominibus.

Dist. ant. Scriptura restringit mortem

tem Christi ad multos sine exclusione cæterorum, C. cum exclusione cæterorum, N. non sunt igitur intelligenda hæc loca Scripturæ in quibus legitur Christum pro *multis* esse mortuum; quasi pro electis & prædestinatis pretium suæ mortis impensum voluerit, non autem pro omnibus & singulis: idque duplici potissimum ex causa.

Primo, quia nullum est ex adductis testimoniis, in quo habeatur particula exclusiva *tantum*, ubi nempe Christus dicatur mortuus *tantum* pro electis, unde sequitur manifeste Scripturam in ejusmodi propositionibus restringere mortem Christi ad multos homines sine exclusione cæterorum; eo nempe sensu quod Christus dicatur pro ovibus suis, pro electis, pro populo suo magis præcipue mortuus; non autem eo sensu quod neutiquam alios redimere voluerit.

Secundo, quia generatim loquendo vox illa *multis* non est exclusiva omnium, quando in aliis locis eadem res tribuitur omnibus; quia nil vetat quominus aliquid dicatur de multis, quod revera convenit omnibus; vox enim *multi* continetur sub voce *omnes*: unde fatentibus adversariis, recte colligitur peccato originali obnoxios esse omnes homines nullo excepto, ex istis Apostoli verbis quæ leguntur cap. 5. Epist. ad Rom. *in quo omnes peccaverunt;* licet in eodem capite habeatur, *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*. Proindeque Scriptura non restringit mortem Christi ad multos cum exclusione cæterorum.

Instabis: si qua ex causa Scripturæ non censerentur restringere mortem Christi ad multos, hoc est ad solos electos, maxime quia nonnullis ejusdem Scripturæ locis Christus dicitur mortuus pro *omnibus:* atqui hæc ratio nulla est: siquidem innumera proferri possunt testimonia, in quibus expresse & diserte aliquid tribuitur *omnibus* hominibus, quod tamen cum restrictione accipi debet, & quibusdam tantum competit; sic v. gr. Christus Joan. 12. *Si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum;* qui profecto omnia ad se non traxit, omnes non traxit Infideles, non omnes parvulos, non omnes obduratos. Ad Rom. cap. 14. ait Apostolus: *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo*. Quanquam multa adhuc hominum millia Dæmoniis serviant, & Idolis genu flectant, inquit autor de vocatione gentium lib. 1. cap. 19.

Item Joan. 1. cap. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem*, non quia nisi ab ipso nullus illuminatur, inquit sanctus Augustinus in Enchir. cap. 103. 1. ad Corint. cap. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. At omnes revera in Christo non vivificantur, cum tam multi æterna morte puniantur. Act. 1. cap. *Primum quidem sermonem feci*, *inquit sanctus Lucas, de omnibus quæ cœpit Jesus facere & docere*. Nemo nescit autem multa Christi gesta silentio prætermisisse sanctum Lucam, & sic de cæteris; unde sanctus Fulgentius lib. de Incarn. & grat. cap. 13. *Familiare est*, inquit, *divinis eloquiis, ut omnes nonnunquam dicant, nec tamen omne humanum genus in ipsis omnibus semper intelligi debere commoneant:* ergo, licet in nonnullis Scripturæ locis Christus dicatur mortuus pro omnibus hominibus; non inde sequitur eum revera mortuum esse pro omnibus ac singulis, nullo excepto.

Dist. maj. & quia hæc a nobis adducta Scripturæ loca in præfatum sensum de morte Christi pro omnibus & singulis hominibus, nostro quidem judicio accipiuntur ab omnibus Sanctis Patribus & Conciliis, C. præcise propter illam vocem, *omnibus*, N. Christum igitur

igitur mortuum esse pro omnibus hominibus eo tantum nomine non putamus assertum; quod ter aut quater legitur in Scripturis, *mortuus pro omnibus*; fatemur enim cordate nonnunquam in sacris litteris *omnes* homines non significare totum genus humanum, & cum aliqua restrictione accipi debere; sed ex illa voce luculentum eruimos argumentum, quatenus ejuscemodi interpretationem arbitramur confirmatam esse & roboratam omnium Patrum & Conciliorum autoritate, ut supra ostendisse putamus; non aliam porro esse regulam qua determinari debeat dubia incertave alicujus vocis Scripturarum significatio, quam unanimum SS. Patrum consensum & Conciliorum decreta, fatebitur quisquis in rebus Theologicis vel mediocriter versatus est.

Instabis, pro iis mori positive noluit Christus, pro quibus noluit rogare Deum Patrem: atqui Christus positive noluit rogare Patrem pro reprobis, *non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt*. Ubi mundus ex omnium consensu significat reprobos: ergo Christus non est mortuus pro reprobis.

Nego min. Christus enim oravit pro suis tortoribus, a quibus nempe cruci fuit affixus, ut habetur Lucæ 23. *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Adeoque falsum est illum rogasse pro solis prædestinatis: id agnovit S. Augustinus sermone 1. in Ps. 68. ubi sic habet: *Et de cruce cum diceret, sitio: fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat, Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; sed illi homines quid propinarunt sitienti? acetum*. Ubi manifeste docet Christum orasse pro iis qui nunquam in eum crediderunt.

Quod autem loco citato profiteatur ipse Christus se non rogare Patrem pro mundo, id unum probat, tunc temporis voluisse Christum rogare solummodo pro suis discipulis; sed inde non sequitur eum nunquam orasse pro reprobis & pro eorum salute. Scilicet varia & multiplex fuit Christi oratio; quandoque enim oravit pro se ipso, ut a Patre clarificaretur, ut Joan. 17. cap. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum*. Aliquando rogavit specialiter pro S. Petro, ut testatur Luc. 22. c. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Quandoque etiam pro solis discipulis, ut evidens & perspicuum est ex loco in objectione citato; tandem & oravit pro impiis Judæis, qualis fuit oratio quam fudit pendens in cruce pro suis tortoribus quos optime sciebat nunquam in Deum credituros: quamvis igitur in hac particulari oratione *non pro mundo rogo &c.* pro solis suis discipulis, pro solis electis oravit Christus, inferri non debet eum nunquam orasse pro reprobis; adeoque nec pro illis reprobis esse mortuum, quin immo si Christus oravit aliquando pro impiis, pro reprobis in eum nunquam credituris, ut mox ostendimus, certissimum est eum pro ipsis etiam reprobis, adeoque pro omnibus & singulis hominibus esse mortuum.

Instabis: Christus fuit semper exauditus in iis quæ petiit a Patre divino, ut testatur Joan. 11. cap. his verbis: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis*. Audis, certum est cum non fuisse exauditum pro reproborum salute: ergo sincere non oravit pro reprobis.

Dist. maj. in iis quæ postulavit absolute & in quibus voluit efficaciter exaudiri, C. in iis quæ quidem fieri voluit tantum voluntate generali & antecedente, N. scilicet duplicem Christi admittimus orationem, aliam nempe efficacem & aliam mere sufficientem; illam absolutam & istam conditionatam; quemadmodum & in Deo duplicem voluntatem, quarum una est consequens & efficax; altera vero generalis & antece-

tece-

tecedens; sicut autem omnia fecit Deus quæcunque voluit voluntate efficaci & consequente, non autem quæcunque voluit voluntate generali & antecedente: ita Christus semper exauditus est in iis quæ postulavit a Deo Patre, oratione scilicet absoluta, qualis fuit oratio quæ citatur in objectione, ubi petiit resurrectionem Lazari; non autem in iis quæ postulavit oratione tantum conditionata, ut cum pendens in cruce petiit a Deo veniam pro Judæis dicens: *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt*. Nemo enim ejusmodi orationem dixerit illusoriam, quantumvis in rei veritate fuerit inefficax; unde nihil est cur diffiteamur Christum vere & sincere, quantumvis inefficaciter, orasse pro reprobis eorumque salute.

Atque hinc facile colligitur hic nostræ doctrinæ nihil quicquam adversari S. Thomam, 3. parte q. 21. art. 4. ubi ait Christum in cruce pendentem pro solis orasse prædestinatis: *Dominus*, inquit, *non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant credituri in eum, sed pro his solum qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam*. Is enim orationem Christi considerat quantum ad salutis effectum quem habuit in prædestinatis; quam tamen putat pro omnibus & singulis fusam, ut constat ex lectione secunda in caput 17. sancti Joannis: *Dicendum*, inquit, *quod Christus, quantum est de se, efficax est ut valeat toti mundo, sed tamen non in omnibus fortitur effectum, nisi in sanctis electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanorum*.

Objicies nonnulla S. Augustini testimonia, in quibus aperte docet Christum pro solis fidelibus, pro solis prædestinatis mortis suæ pretium impendisse. Tractatu 1. & 5. in primam Epistolam Joannis hæc verba exponens: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum sed etiam pro totius mundi*, ait per mundum significari Ecclesiam, & Christum nonnisi pro peccatis omnium fidelium fuisse propitiationem. Lib. 2. de civit. Dei cap. 24. id quod Apostolus dicit, *Conclusit omnes in infidelitate, ut omnium misereatur*, ad solos prædestinatos limitat. *Quid est omnium?* inquit, *& eorum scilicet quos ex gentibus & eorum quos ex Judæis prædestinavit, vocavit, justificavit, non omnium hominum*. Et tractatu 45. in Joan. *Quibus nobis? præscitis, prædestinatis, justificatis*. Tractatu 52. in illa verba, *Omnia traham post me*, ait, *si omnia ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutem possumus dicere; ex quibus omnibus ait nihil esse periturum, cum supra de suis ovibus loqueretur*. Unde & ne quis forte suspicaretur, inquit Jansenius, ita phrases hujusmodi affirmativas de prædestinatis intelligendas esse, ut tamen alii non excludantur; non uno in loco invertit istiusmodi locutiones; ita ut dicat expresse Christum pro cæteris non esse mortuum, sic Epistola 102. quæ ad Evodium: *Non perit unus ex illis pro quibus mortuus est Christus*. Quod quidem confirmat tractatu 100. & 107. in Joan. ergo, &c.

Dist. ant. in quibus docet Christum non esse mortuum pro omnibus efficaciter, C. sufficienter, N. iis igitur in locis loquitur August. de morte Christi efficaci quæ suum plenum habet effectum in solis prædestinatis; sed non idcirco negat eum pro cæteris hominibus, licet modo longe minus præstanti, mortis suæ pretium sincera voluntate impendisse: ut aperte indicant testimonia ex illius scriptis superius adducta. Præterea, si quid virium haberent præfata S. Augustini testimonia, ex illis colligi deberet Christum esse mortuum pro multis reprobis, mundum enim explicat de tota Ecclesia quæ multos suo sinu continet reprobos.

In-

Instabis: ille existimavit Christum non esse mortuum pro reprobis, qui docet illum nunquam orasse pro reprobis: atqui S. Augustinus docet Christum nunquam orasse pro reprobis; is enim aperte docet Christum non orasse pro reprobis, qui ut certum ac indubitatum supponit fundi non debere preces pro iis qui cognoscuntur esse reprobi: atqui ut certum ac indubitatum tenet sanctus Augustinus, fundi non debere preces pro iis qui cognoscuntur reprobi; ait enim Ecclesiam non magis debere pro reprobis orare, si eos cognosceret, quam pro ipso Diabolo, lib. nempe 21. de Civit. Dei cap. 24. his verbis: *Si de aliquibus*, inquit, *ita certa esset Ecclesia, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum Diabolo, tam pro eis non oraret quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur*. Unde ob hoc nos velle omnes salvos fieri, quia prædestinatos a non prædestinatis discernere non valemus, docet lib. de correp. & grat. c. 15. *Proinde*, inquit, *quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos a non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est a nobis medicinaliter severa correptio*: ergo.

Nego min. siquidem multa superius laudata sunt S. Augustini loca, e quibus aperte colligitur Christum orasse pro suis tortoribus. Ad probat. vero dist. min. ita ut ejuscemodi regula & principium locum habeat pro fidelibus, pro Ecclesia, C. pro Christo ipso, N. hic igitur neutiquam affirmat S. August. Christum non orasse pro reprobis, & id solummodo colligunt adversarii, ex eo quod ut certum ac indubitatum supponit S. Doctor, fundi non debere preces pro iis qui cognoscuntur certo esse reprobi. Verum non constat illum voluisse ejuscemodi regulam generalem pro ipso etiam Christo locum habere, quam econtra statuit pro solis fidelibus. Scilicet disputat ibi Augustinus adversus nonnullos qui putabant, *Sanctos Angelos simul cum sanctis hominibus pro damnandis & Angelis & hominibus oraturos, ut misericordia non patiantur quod veritate merentur pati*. Quam sententiam sanæ fidei contrariam affirmat, *Alioquin nulla causa est*, inquit, *cur non etiam nunc pro Diabolo & Angelis ejus oret Ecclesia*. Ubi continenter addit, nec pro reprobis oraturam Ecclesiam, si nosset qui sint illi reprobi.

Sed non ideo colligi potest existimasse S. Augustin. nec debuisse ipsum Christum orare pro reprobis quos certo noverat a Deo rejectos; siquidem Christum inter & fideles longum latumque est hac in parte discrimen; fideles enim, cum pro mortuis fundunt preces, incerti sunt de illorum statu, & prædestinatione, secus vero Christus Dominus; præterea si Ecclesia oraret pro impiis in hæresi defunctis, vel etiam pro Diabolo; hinc dubitare viderentur fideles, an certa sit dæmonum & impiorum damnatio, *quod nemo sanæ fidei dicturus est*, inquit ibidem S. Augustinus. Sed Christus qui mediatoris partes agebat sincere volentis homines cum Deo reconciliare, pro illis etiam orare potuit quos noverat reprobatos: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*.

Objicies, ea sententia propugnari non debet, quam nono sæculo rejecit Gallicana Ecclesia pene universa: atqui sententiam, quæ docet Christum pro omnibus hominibus esse mortuum, nono sæculo rejecit Gallicana Ecclesia pene universa. Cum enim an. 847. docuisset Gotescalchus J. C. Dominum nostrum & Salvatorem non fuisse crucifixum, ne-

neque mortuum pro redemptione totius mundi, sed pro eis duntaxat qui salvantur; quemadmodum dixerat Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed eos duntaxat qui salvantur; quæ duo inter se cohærent indivulse; post varias super isto negotio nonnullorum in Galliis Scriptorum altercationes, conventiculum quoddam habuit Hincmarus Remensis an. 853. ibique quatuor edidit capitula, in quorum tertio definitur: *Velle Deum generaliter omnes homines salvos fieri, licet non omnes salventur;* in quarto vero, *Christi sanguinem pro omnibus fusum, licet non omnes passionis mysterio redimantur.* Verum in illa quatuor capitula Carisiaca, & nominatim in duas præfatas propositiones protinus insurrexit universa Ecclesia Gallicana.

1. Enim Prudentius Trecensium clarissimus Præsul, eodem anno Tractoriam per Vicarium misit ad Concilium Senonense, qua ordinationi Æneæ in Episcopum Parisiensem ita demum consentiebat, si Æneas mox ordinandus, *Apostolicæ sedis omnibus institutis, & B. Patrum scriptis ac dictis & specialiter capitulis, quibus Ecclesia Catholica adversus Pelagium, ejusque hæreseos sequaces pugnavit ac vicit, confitendo subscriberet, scilicet 1. liberum arbitrium, &c. 2. quosdam impenetrabili &c. 3. Christi sanguinem pro solis credentibus fusum. 4. Deum omnes quoscunque vult salvare, & quicunque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius ut salventur.* Ubi quatuor capitula quatuor Hincmarianis opposuit. Hanc porro Tractoriam in Concilio Senonensi lectam, approbatam & reverenter susceptam a Uvenilone & Coepiscopis suis, ex eo maxime colligere licet; quod non aliter consentire se Æneæ ordinationi profitetur Prudentius, quam si Æneas huic Catholicæ doctrinæ subscriberet, & tamen in Epistola Synodica de ordinatione Æneæ apud Lupum Ferrariensem Epistola 99. Prudentius Tricassinus, qui nonnisi per Tractoriam suam præsens aderat, suo loco inter alios numeratur.

2. Cum an. 854. quatuor illa Hincmari capitula delata essent ad Ecclesiam Lugdunensem, Remigius tunc illius Ecclesiæ Archipræsul adjuncto sibi, ut ait, Fratrum Concilio, ejusmodi capitula gravi censura notavit, lib. *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 2. sic habet: *Hæc igitur cum legissemus, & adjuncto nobis fratrum nostrorum Deo donavit bene studentium & recte intelligentium Collegio, pia & fideli attentione singula pertractassemus, graviter perculsi & confusi animo, vidimus in eis & Scripturæ sanctæ certissimam veritatem, & beatissimorum Patrum præcipueque S. Augustini reverendam, & in omni Ecclesia Catholica receptissimam autoritatem novo conatu & ausu nimis temerario impugnari.* Et ad quartum Hincmari capitulum hæc scribit cap. 14. *Quod definitum est, quod nullus hominum fuit, est, vel erit pro quo Christus passus non fuerit; quid aliud respondere possumus, nisi ut primum ipsos, qui hoc definierunt, sedulo interrogemus & admoneamus, ne vigilanter & fideliter pensare studeant; ne forte minus considerando quod dicendum erat, contra fidem, & conscientiam suam talia dixerint & scripserint. Nam ut taceamus de his qui nunc sunt vel adhuc usque ad finem sæculi futuri sunt, in quibus utique & Antichristus erit, certe de illa innumerabili multitudine impiorum, qui fuerunt ab initio mundi usque ad adventum Christi, & in sua impietate mortui in æternis pœnis sunt condemnati. Nec ipsos qui hæc dixerunt, credere putamus; quod pro eis in sua impietate mortuis & æterno jam judicio condemnatis Dominus passus esse credendus sit: si enim pro eis passus esse creditur; cur non etiam pro Diabolo & Angelis ejus similiter passus esse credatur?*

3. Cum

5. Cum anno sequenti Lotharii Imperatoris jussu in causa Valentini Episcopi criminibus diffamati celebratum esset Concilium Valentiæ ab Episcopis trium Provinciarum, Lugdunensis, Viennensis, & Arelatensis, finito semel Episcopi Valentini negotio, Synodus nonnullos edidit canones, quorum hic recensetur quartus de Capitulis nempe Carisiacis. *Porro Capitula quatuor quæ a Concilio fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati*; hujus porro Concilii definitiones una cum libellis Ecclesiæ Lugdunensis ad Imperatorem misit Remigius, ut per easdem aliis Gallici regni Præsulibus transmissas, Hincmari ejusque sanctorum inscitia reprimeretur.

Deinde an. 859. iidem fere Episcopi in suburbium Lingonicæ urbis convenerunt, ibique præsente Carolo Rege, sex priores Concilii Valentini canones repetiti & confirmati fuere; ea lege ut in Concilio Tullensi proxime futuro, quo tum vocati se conferebant, recitarentur, & ab omnibus Episcopis reciperentur. Quapropter post quindecim dies in Concilio Tullensi apud Saponarias convenientibus Episcopis, Remigius Lugdunensis sex illos Canones cum reliquis Lingonensis Concilii protulit & deposuit comprobandos solo reclamante Hincmaro cum paucis sequacibus. Unde sexdecim illi Concilii Lingonensis Canones actis Concilii Tullensis inserti sunt. Hactenus de iis quæ acta sunt adversus quatuor Carisiaca capitula.

Quibus merito subjungere possumus cæteros hujusce regni Scriptores vel ab ipso emergentis dissidii exordio, ante Carisiacum conventiculum in doctrinam Hincmari acriter insurrexisse; cum enim ille ipse Prudentius composuisset collectaneum ex sacris Scripturis & ex multis SS. Patrum testimoniis, quibus evincitur Christum pro solis fidelibus passum, Lupus Abbas Ferrariensis sententiam Prudentii in omnibus comprobavit, ut patet ex ejus Epistola ad Carolum Regem. Hunc secutus est alter Lupus Servatus qui iisdem temporibus suum de tribus quæstionibus librum edidit, in quo similiter Gotescalchi doctrinam amplectitur. Quin & ipse Ratramnus Corbejensis Monachus Epistola ad amicum data, Hincmari sensa refellere non timuit. Ex quibus palam est hanc sententiam, quæ docet Christum pro omnibus & singulis passum fuisse, non sæculo ab universa Ecclesia Gallicana rejectam.

Disting. min. sententiam quæ docet Christum pro omnibus passum universa Ecclesia Gallicana rejecit, ad sensum aliquem erroneum vel etiam hæreticum intellectam, C. ad sensum nostrum qui maxime catholicus est, N. Scilicet hæreticum est asserere Christum pro omnibus & singulis mortuum esse efficaciter, & eo animo pro illis passum, ut eos qui jam in inferis erant, inde extraheret; quod unum dubio procul detestati sunt Gallicani Præsules qui Hincmaro restiterunt, id aperte liquet.

Primo quidem ex lib. de tribus Epistolis, ubi sic habetur c. 18. *Quamvis igitur idem Dominus noster & ad omnes salvandos & omnes redimendos, etiam quos nec salvavit nec redemit, id est infideles & impios in sua infidelitate & impietate perditos & pereuntes sive perituros, venisse contendatur: unum tamen est, quod nos & fidelissime credimus, & verissime novimus, quia pro illa innumerabili & infinita multitudine impiorum, qui ab exordio mundi usque ad passionem Domini per quatuor ferme annorum millia in sua impietate sunt mortui, & apud inferos æterna perditione damnati, nunquam Dominus passus, nunquam mortuus est; nec ad eos salvandos ullatenus venit, nec pro eis pretiosum sanguinem fudit. Quoniam solos illos ex his qui ab exordio mundi usque ad passionem ejus extiterunt, eadem pas-*

passione sua redemisse & salvasse, atque ab inferni claustris eduxisse credendus est, qui & fideliter eum speraverunt venturum, & fideliter per eum redemptionem & liberationem ad salutem se accepturos esse crediderunt.

Idem repetit eadem Ecclesia Lugdunensis libro *de tenenda veritate Scripturæ* cap. 14. his verbis: *Nam ut taceamus de his qui nunc sunt, vel adhuc usque ad finem sæculi futuri sunt, in quibus utique & Antichristus erit, certe de illa innumerabili multitudine impiorum, qui fuerunt ab initio mundi usque ad adventum Christi & in sua impietate mortui, in æternis pœnis sunt condemnati .... unde cesset hæc nova & inaudita definitio, imo nova & inaudita præsumptio, ut nullus hominum etiam impiorum, & apud inferos irrevocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Christus passus non sit.*

Eadem porro mens fuit Concilii Valentini, quod objicitur, canone scilicet 4. *Item*, inquit, *de redemptione Sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est; ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, effusum eum definiant, contra illud propheticum, Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne, &c.* Ex quibus manifestum est eo sensu impugnari ab Præsulibus Gallicanis mortem Christi pro omnibus & singulis hominibus, quod putetur absoluta & efficax etiam pro impiis in impietate sua morituris; ita ut eos qui jam in Inferis erant sepulti, inde voluerit efficaciter extrahere; suum enim argumentum petunt, ex eo quod impii in sua impietate mortui, sint irrevocabili judicio damnati, nec ulla unquam futura sit in Inferno redemptio; quod certe non adversatur Patribus Concilii Carisiaci qui hoc solum adversus Gotescalchum definire voluerunt Christum esse mortuum pro omnibus, quatenus voluit sincere omnes redimere, tametsi, ut ait Concil. Tridentin. non omnes mortis ejus beneficium recipianr.

Quapropter huncce errorem sibi ab adversariis affictum conquestus est Hincmarus, lib. *de Prædestinatione*, cap. 29. sub fin. ubi & observat in hanc hæresim fuisse a S. Augustino animadversum: *Sed & quando hæc scripsimus*, inquit, *non ignoravimus S. Augustin. in Catalogo hæresum, ad Quod vult Deum, Diaconum scripto, LXXX. loco hæresim descripsisse de qua dicitur, est hæresis quæ dicit descendente ad Inferos Christo credidisse incredulos, & omnes exinde liberatos.* Id revera habetur apud August. hæresi 79. & impugnatum fuit a S. Gregorio Magno in homil. 22. in Evangel. tum a Venerabili Beda in primam sancti Petri Epistolam.

Secundo, Gallicanos Præsules Hincmari doctrinæ & Capitulis Carisiacis adversatos fuisse duntaxat, quia in iis assertam putabant mortem Christi efficacem pro omnibus vel impiis in impietate morituris: inde manifeste colligitur, quod aliunde verum Ecclesiæ dogma de sufficienti mortis Christi pretio vel ex ejus intentione, & quantum in se est, omnibus impenso diserte stabiliunt.

Ac 1. quidem Lupus Servatus quæst. 3. sic habet: *Curiosos tamen divinorum eloquiorum non fugiat probabiliter dici posse, mortuum pro omnibus Christum, qui ejus fidei Sacramenta sive servaturi, sive non servaturi suscipiunt... verumne me irridendum & respuendum pronuncient, quibus placet omnes sive bonos sive malos indifferenter a Christo redemptos, ponam unum, quod cum eis faciat testimonium, & eos omnes, ut opinor, in gratiam reduxero. Joannes Constantinopolitanus doctrina & sanctitate juxta insignis Episcopus ut gratia Dei pro omnibus gustaverit mortem, quod supra jam posui, sic exposuit, qualiter gratia Dei pro omnibus:*

nibus gustaverit mortem, non pro fidelibus tantum, sed pro mundo universo & ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credant, id quod suum erat, implevit. Ubi 1. dicit Servatus aliquo sensu dici posse, Christum pro omnibus mortuum. 2. Iis solum adversari videtur, quibus placet omnes sive bonos sive malos, indifferenter esse redemptos, quod sane nunquam docuit Hincmarus. 3. demum, eorum sententiam, qui dicunt Christum esse mortuum pro omnibus, cum aliis qui idipsum negant, conciliari putat adducto S. Chrysostomi testimonio, quatenus ait id quod suum erat implevisse Christum, tametsi non omnes credant & redimantur.

Præterea Concilium Valentinum non uno in loco aliquam agnoscit redemptionem pure sufficientem, ait enim can. 2. *Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Et can. 5. *ex ipsa multitudine fidelium & redemptorum alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent . . . alios quia noluerunt permanere in salute fidei quam initio acceperunt; redemptionisque gratiam potius irritam facere pravâ doctrina, vel vita, quam servare elegerunt, ad plenitudinem salutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire.* Quibus profecto verbis nihil ad rem nostram luculentius afferri potest.

Adde tamen quod illi omnes Gallicani Præsules aperte profitentur, Christum pro omnibus baptizatis esse mortuum, tametsi non perseverent; adeoque sint e numero reproborum; sic Ecclesia Lugdunensis lib. de tenenda veritate Scripturæ cap. 14. *De cæteris vero hominibus*, inquit, *qui ab ejus Passione usque nunc fuerunt, aut sunt, aut usque in finem sæculi futuri sunt, Catholica fides tenet, & Scripturæ sanctæ veritas docet, quod pro omnibus credentibus & per gratiam Baptismi ex aqua & Spiritu sancto regeneratis & Ecclesiæ incorporatis vere Dominus & Salvator noster sit passus. . . . quapropter de omnibus credentibus in Christum & in Christo regeneratis recte & veraciter creditur, quod pro eis Dominus Christus sit passus.* Idem scribit Lupus Servatus lib. de tribus quæstionibus, q. 3. *Curiosos tamen*, inquit, *divinorum eloquiorum non fugiat probabiliter dici posse mortuum pro omnibus Christum, qui ejus fidei sacramenta sive servaturi, sive non servaturi suscipiunt.* Unde manifeste sequitur illos admisisse veram redemptionem, mere tamen sufficientem, & inefficacem, quæ ad baptizatos reprobos pertineat.

Instabis: in eum sensum Christi mortem & redemptionem pro omnibus rejiciunt Episcopi Gallicani, quo illam admittebat Hincmarus; hujus enim sententiam potissimum debellant, & in capitula Carisiaca præcipue stilum acuunt: atqui non censuit unquam nec docuit Hincmarus Christum pro omnibus efficaciter passum, sed solummodo sufficienter ex vera & sincera intentione redimendi omnes homines: ergo, &c.

Nego ant. & dico istam Hincmari doctrinam, qua dicebat Christum pro omnibus esse mortuum, non fuisse ab Gallicanis Episcopis eo præcise sensu impugnatam, quo illam publicabat clarissimus Præsul; certum est enim Hincmari nunquam mentem fuisse Christum pro ipsis etiam impiis ita esse mortuum, ut eos aliquando sit ab Inferis liberaturus; in id tamen inclamasse & quarto Concilii Carisiaci capitulo hunc sensum affinxisse nostrates Episcopos abunde, ut puto, mox ostendimus tum ex illorum scriptis, tum ex ipsius Hincmari expostulatione; quocirca cum illi iidem Præsules, qui forte judicio nimis præcipiti capitula Carisiaca condemnaverant in Valentino Concilio, *quasi minus pro-*

spe-

specie suscepta propter inutilitatem vel etiam noxietatem & errorem contrarium veritati, convenissent posta ad Concilium Lingonese, sic Valentini Concilii decreta confirmarunt, ut præfatam adversus Concilium Carisiacum notam sustulerint, quod ipsum itidem præstiterunt in Synodo Tullensi æquissimi judices. Scilicet coram ipsis mentem & doctrinam aperuit Hincmarus, quasi Christum eo tamen sensu dixisset omnes & singulos homines redemisse, quod pretium impenderit sufficientissimum cum sincera voluntate antecedenti tantum & generali, neutiquam vero consequenti & efficaci, ut omnes & singuli vel etiam impii in impietate morituri redimerentur; unde pacatum est tandem grave illud dissidium, quod in varias partes jam tum scindebat Gallicanam Ecclesiam; præterquamquod enim in utroque Concilio Lingonensi & Tullensi eam censuræ notam sustulerunt Episcopi qua Valentiæ confixerant capitula Carisiaca; insuper in Concilio Tullensi rem novo examini subjiciendam decernunt.

Instabis: constat saltem censuisse Gallicanos Scriptores Christum dici non posse mortuum pro Infidelibus; id enim sexcenties affirmant ut aperte consonum & Scripturis & sanctis Patribus, præsertim Augustino: ergo.

Distinguo ant. mortuum efficaciter, C. inefficaciter saltem & sufficienter, N. scilicet, ut dictum est, hanc propositionem, *Christus pro omnibus passus est*, in rigore ac veluti in priorem partem sumebant quasi voluisset Hincmarus ita Christum pro omnibus & singulis hominibus passum, ut & impios in impietate sua morituros extraheret ab inferis; unde fit ut objiciant Hincmaro saltem id dici non posse de infidelibus; sed loquuntur de morte & redemptione Christi quæ esset efficax, aliam vero mere sufficientem minime negant.

Instabis: fatentur illi Christum esse mortuum pro fidelibus baptizatis non perseveraturis, nequaquam vero pro Infidelibus; sic Ecclesia Lugdunensis lib. de tribus Epistolis c. 15. ubi cum quadruplicem hominum ordinem distinxisset, primum qui est electorum, secundum qui est fidelium reproborum, tertium vero eorum qui adhuc in infidelitate positi, aliquando tamen baptizandi sunt; quartum denique Infidelium qui in sua infidelitate peribunt: agnoscit tres primos ordines ad Christi redemptionem pertinere, neutiquam vero quartum seu Infideles in sua infidelitate morituros; unde sic argumentor: In eumdem sensum Christi mortem accipit Ecclesia Lugdunensis, cum dicit Christum non esse mortuum pro Infidelibus in sua infidelitate morituris, ac cum dicit eum esse mortuum pro reprobis baptizatis: atqui non loquitur de morte efficaci, cum fateatur Christum esse mortuum pro baptizatis reprobis, ut per se patet: ergo etiam cum dicit Christum non esse mortuum pro infidelibus non baptizandis, non loquitur de morte efficaci; adeoque non modo negat pro ejuscemodi hominibus Christum esse mortuum efficaciter, quasi sit eos aliquando ab Inferis liberaturus; sed & negat quamlibet in Christo fuisse pro illis moriendi voluntatem.

Dist. min. non loquitur de morte efficaci quoad salutem æternam, C. quoad gratiam saltem aliquam, vel etiam baptismum, N. hæc igitur fuit mens Episcoporum, qui tunc temporis Hincmaro adversabantur, Christum posse dici mortuum pro baptizatis non perseveraturis, non autem pro Infidelibus nunquam baptizandis, & id intelligebant de morte & redemptione efficaci; quia nempe putabant in iis efficacem esse saltem ex parte, qui baptisabantur, nempe quoad gratiam aliquam & baptismum, nequaquam vero in iis qui nec credituri erant nec baptizandi, pro qui-

quibus consequenter Christus non est mortuus efficaciter, qui tamen mortuus est pro illis sufficienter, quippe *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*.

Instabis: iidem Episcopi docent passim non magis Christum esse mortuum pro Infidelibus in infidelitate perituris, quam pro Antichristo, & pro Diabolo; ut constat ex libro *de tenenda veritate Scripturæ* cap. 14. superius citato: atqui nullo sensu catholico dici potest Christum esse mortuum pro Diabolo: ergo.

Dist. maj. non magis efficaciter ut eos ex Inferis ac suppliciis æternis erueret, C. secus, N. hæc non indigent majori explicatione.

Atque hinc facile colligitur, quo sensu aliud capitulum Carisiacum, quo affirmatur Deum velle omnes homines salvos fieri, improbaverint Gallicani Præsules, hanc scilicet intellexerant re nondum satis examinata, ab Hincmaro assertam Deo voluntatem generalem, quæ esset æqualis pro omnibus & singulis cum exclusione cujuscunque alterius, quod sane Pelagianum & Semipelagianum est; idque ex eo maxime evincitur, quod veram & sinceram Dei voluntatem salvandi omnes homines ubique & passim prædicant; sic Ecclesia Lugdunensis lib. de tribus Epistolis cap. 24. prolato hoc Apostoli testimonio, *qui vult omnes homines salvos fieri*, ait, ita exponi a S. August. ut Deus non velit salvare omnes & singulos homines, & tamen ad sensum Hincmari intelligi posse sine errore cum nonnullis sanctis Patribus. *Et licet*, inquit, *alii quidam sancti, & venerabiles Patres simpliciter illi Apostoli verba accepisse inveniantur, utrorumque tamen sententia fuerat honoranda, nec jam, ut superius dictum est, una pro altera damnanda; quia & illa ex divina autoritate vera esse monstratur, & ista quadam pia ratione non abhorrere a veritate fideliter creditur*, quod idem clarius exprimit cap. 26. ait enim recte diei posse *Deum velle omnes homines salvos fieri*, modo id non intelligatur de voluntate efficaci: *Et si cæteros ita vult salvos fieri, ut tamen non eos salvos faciat, sed omnino perire permittat, utrumque hic evidenter apparet, & erga creaturam suam scilicet bonitas creatoris, & erga ejusdem creaturæ iniquitatem severitas judicii*. Ita & c. 28. ejusdem libri, & lib. de tenenda veritate Scripturæ cap. 12.



TRA-

TRACTATUS
DE
JUSTIFICATIONE ET MERITO.

HIS fuse pertractatis quæ ad gratiam actualem pertinent, superest ut nonnulla dicamus de gratia habituali, quæ quidem divina est illa forma, per quam homo impius renovatur spiritu mentis, renascitur in filium Dei, consortem divinæ naturæ factum, & depositis sordium inquinamentis coram Deo vere sanctus justificatur: unde brevem instituemus tractatum de Justificatione & Merito, ut eorum, quæ ad gratiam Salvatoris nostri J.C. spectant, nihil quicquam a nobis prætermissum esse videatur.

Quæ in hac controversia tractari solent, fere omnia referuntur vel ad dispositiones Justificationis, vel ad ipsam formalem Justificationem, vel denique ad illius proprietates & effectus.

Quod spectat dispositiones Justificationis, tria inquiremus. 1. Utrum ad Justificationem impii requiratur actus fidei, 2. An sola fides per modum dispositionis justificet. 3. Utrum ad Justificationem requiratur motus liberi arbitrii.

Quod spectat ipsam formalem Justificationem, examinabimus. 1. Utrum in Justificatione peccata auferantur & deleantur. 2. An præter remissionem peccatorum in Justificatione requiratur renovatio interior. 3. Utrum Justificatio posita sit in justitia inhærente, vel in imputativa.

Denique quod spectat proprietates & effectus Justificationis, tria sunt similiter quæ cadunt in controversiam, duæ quidem ejus proprietates, nimirum certitudo & amissibilitas, unus vero præcipuus effectus nempe meritum, de quibus sigillatim & paucis differemus, præmissa tamen ipsius Justificationis notione.

Nomen & definitio Justificationis.

MUltis modis accipitur in scripturis vox ista *Justificatio*.

1. Pro declaratione seu manifestatione innocentiæ alicujus hominis, quæ appellatio est frequenter usitata apud Jurisconsultos: Eccles. 7. cap. *Non te justifices ante Deum*. Isayæ 5. cap. *Væ illis qui justificant impium pro omnibus*. Luc.c.16. *Pharisæi justificabant se ipsos*.

2. Sumitur pro ipsa lege divina quæ justitiam docet, quo sensu illam vocem accipere amant Lutherani & Calvinistæ, Psal. 118. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas*. Lucæ 1. cap. *Incedentes in omnibus mandatis & justificationibus sine querela*.

3. Accipitur pro acquisitione justitiæ seu sanctitatis per quam formaliter justificatur homo; & quandoque sumitur pro mutatione seu transitu a carentia gratiæ sanctificantis ad ipsam gratiam sanctificantem, quo sensu nunc accipitur; ut habetur ad Rom. 4. cap. *Credenti in eum qui justificat impium*, ut & apud August. lib. de spir & lit. c. 26. *Quid est enim aliud justificati quam justi facti, ab illo scilicet qui justificat impium, ut ex impio fiat justus?* Quandoque pro statu seu permanentia in illa justificatione semel adepta, 1. ad Corint. cap. *Sed nunc abluti estis, sanctificati estis, sed justificati estis*.

4. De-

4. Denique, pro incremento ejusdem Justitiæ, ut legitur Apocalip. cap. ult. *qui justus est, justificetur adhuc*. Ubi etiam justificationis nomen sumitur non pro declaratione, sed pro effectione justitiæ, uti declaratur aliis verbis, *Qui sanctus est sanctificetur adhuc*.

Utrum ad Justificationem impii requiratur actus fidei, & qualis.

Certum est motum fidei necessarium esse ad nostram justificationem; id enim declaratur infinitis prope Scripturæ sacræ locis, Marci ultimo cap. *Qui non credit jam judicatus est*. Et ad Hebr. cap. 11. *sine fide impossibile est placere Deo*. Id præterea testantur omnes sancti Patres, & præsertim S. Augustinus qui passim docet sine fide in Christum nec antiquos sub lege potuisse justificari, sic enim habet lib. de peccato orig. cap. 24. *Sine fide incarnationis & mortis & resurrectionis Christi nec antiquos justos, ut justi essent, a peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari veritas Christiana non dubitat*. Quod idem aperte definitum est a Concil. Trident. Sess. 6. cap. 6. & 8.

Verum disputatur acerrime Novatores inter & Catholicos, quænam & qualis sit illa fides, quæ per modum dispositionis requiritur ad justificationem impii; seu quænam sit illa fides quæ dicitur justificans; ad cujus difficultatis elucidationem,

Observandum est illos hæreticos triplicem distinguere fidem: prima est quam appellant historicam qua nempe assentimur omnibus quæ continentur in sacris codicibus, cujus fidei sermo habetur Hebr. 11. cap. his verbis: *Fide credimus aptata esse sæcula verbo Dei*. Secunda quam vocant miraculorum, qua scilicet credimus nihil esse quod a Deo fieri non possit; hujus mentio fit 1. ad Corint. cap. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*, inquit Apostolus. Tertia demum quam dicunt promissionum, qua credimus veras esse Dei promissiones de hominum salute, ut legitur Marci ultimo, *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*.

Porro solam fidem promissionum, non fidem historicam aut miraculorum, esse fidem justificantem contendunt illi, ut de Lutheranis constat ex art. 4. Confessionis Augustanæ, & de Calvinistis ex ipso Calvino lib. 3. Instit. cap. 2. paragr. 7. fidem illam promissionum dividunt in generalem & specialem: prior est ea qua credimus Deum generaliter omnibus credentibus promisisse remissionem peccatorum; posterior, qua unusquisque sibi divinam promissionem applicans confidit sibi omnia sua peccata dimissa esse per Christum, quam solam specialem divinarum promissionum fidem putant esse justificantem.

Nos vero, licet agnoscamus dari fidem historicam, miraculorum, & promissionum: hanc tamen rejicimus divisionem, quatenus triplicem illam fidem distinguunt ut triplicem virtutem, quia videlicet eadem fides est historica, quatenus per eam credimus omnia facta quæ continentur in Scripturis; est miraculorum, quatenus credimus fieri posse a Deo miracula; est denique fides promissionum, quatenus credimus in omnes Dei promissiones. Quamobrem in eo vehementer Novatoribus adversamur, quod solam fidem promissionum dicant fidem justificantem per exclusionem cujuscunque alterius fidei, unde sit

CONCLUSIO.

Fides justificans non est specialis fides promissionum, sed ea censeri debet fides qua credimus vera esse quæcunque revelavit Deus; seu sint historiæ, seu miracula, seu promissiones.

Probatur ex iis Scripturæ locis, in quibus aperte legitur fidem justificantem pertinere ad intellectum; fides enim pro-

promissionum quæ potius est fiducia quam fides, minus proprie pertinet ad intellectum, non enim posita est in assensu qui præbetur alicui veritati. Joan. 6. cap. *Verba vitæ æternæ habes & nos credimus & cognoscimus, quia tu es Christus filius Dei vivi*. Et cap. 20. *Hæc scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus filius Dei vivi*. Rom. 4. cap. habetur per fidem de omnipotentia Dei justificatum fuisse Abraham. *Plenissime sciens quia quæcunque promisit, potens est & facere*. Et cap. 10. *Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris*. Hæc fides, ut patet, est pure historica, qua nempe creditur facta Christi resurrectio. Heb. c. 11. *Fide intelligimus*, inquit Apostolus, *aptata esse sæcula Verbo Dei*. Et rursus, *sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*. Denique cap. 8. Actuum, Eunucho baptismum petenti his verbis: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Respondit Philippus; *Si credis ex toto corde, licet: & respondens ait, Credo filium Dei esse J.C.* Hæc fides est historica, & tamen accipitur a Philippo ut dispositio sufficiens ad baptismum, adeoque ad jujustificationem.

Quapropter hoc definit Concilium Trid. Sess. 6. cap. 12. *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse qua justificamur, anathema sit*. Scilicet editus est ille Canon adversus Novatores, qui licet fateantur fidem justificantem esse actum intellectus, volunt tamen ejusmodi actum non esse justificantem, nisi ratione fiduciæ sibi adjunctæ; contra vero fides catholica docet fidem sumptam pro assensu qui præbetur veritatibus a Deo revelatis, suo modo justificare; puta per modum remotæ cujusdam præparationis. Adde quod fides illa promissionum secundum hæreticos specialis quædam est fiducia, per quam unusquisque confidit certissime sibi peccata esse remissa per Christum, & qua dicunt hominem apprehendere beneficia Christi: at ejusmodi confidentiam rejicit Ecclesia Catholica.

Objiciunt innumera Scripturæ loca, in quibus justificatio tribuitur fidei quæ vel posita est in confidentia, vel saltem importat secum ejuscemodi fiduciam in promissiones. Math. 9. cap. *Confide fili, remittuntur tibi peccata*. Cap. 24. *omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis*. Ad Rom. 4. cap. *ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio*. Unde ad Hebr. cap. 11. fides dicitur *substantia rerum sperandarum*.

Respondeo ex istis & similibus Scripturæ testimoniis id unum colligi posse, justificationem sequi ad spem quam fideles in Deum ejusque misericordiam & promissiones collocant; quod nemo nemo negaverit Catholicus; suas enim in negotio justificationis partes habet spes Christiana; sed quæ certa est fiducia de peccatis remittendis per misericordiam Dei, qua non dubitamus Deum posse facere quod ab ipso cum tremore hac in vita suppliciter postulamus, æternamque demum expectamus mercedem, juxta illud Apostoli ad Titum cap. 2. *Expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei*. Sed non est posita fiducia, ut volunt hæretici, in fide quadam speciali promissionum, qua homo certissime confidit peccata sua esse remissa; quæ confidentia omnem excludit tremorem; nulli enim constare potest absque speciali revelatione sibi remissa sua peccata; nescit quis an sit amore vel odio dignus. Adde quod ejusmodi confidentia ab hæreticis conficta, non excludit fidem quatenus pertinet ad intellectum, fidem quæ dici solet historica & quam putamus non immerito justificantem.

Quis-

Quisnam vero sit actus hujusce fidei intellectualis, quæ virtus est Theologica & quam dicimus suo modo præparare ad justificationem; an sit mera & simplex veritatum a Deo revelatarum apprehensio, qualis esse potest in Infidelibus vel hæreticis, vel sit infirma intellectus adhæsio, firmus assensus qui præbetur veritatibus propositis; an vero certam præterea & exploratam rerum quæ creduntur, postulet notitiam & intelligentiam; an resideat in intellectu vel in voluntate tanquam in subjecto, ac demum quodnam sit hujusce fidei primarium objectum, suo tandem loco in Tractatu de fide examinabimus.

An sola fides per modum dispositionis justificet.

NON solum per modum dispositionis ad justificationem comparandam requiritur fides, de qua mox dictum est, sed & alia bona opera, alii virtutum actus. Id aperte definit Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 6. his verbis: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt: atque illud imprimis a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet, denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam & servare divina mandata.* Ubi pro dispositionibus ad justificationem in baptismo consequendam requisitis in adulto (idemque sentiendum est de justitia quæ comparatur in Sacramento pœnitentiæ) exigit Concilium Tridentinum cum fide, timorem, spem, dilectionem Dei saltem inchoatam, odium & detestationem peccati, votum Sacramenti suscipiendi, & divina mandata servandi.

Quales porro debeant esse illarum virtutum actus, qualis timor, qualis Dei amor, qualis contritio, &c. fusius jam inquirere præsentis non est instituti.

Est autem hic diligenter observandum hæreticos non leviter hallucinari, cum dicunt solam fidem proprie loquendo esse dispositive justificantem, & præfatos actus bonos virtutum non esse dispositiones proprie dictas justificationis, non esse instrumenta proprie dicta & per se justitiæ percipiendæ; sed se habere duntaxat concomitanter cum ipsa fide. Siquidem eo modo Scripturæ sacræ loquuntur de cæteris bonis operibus ac de fide, & sicut in iis justificatio hominis tribuitur fidei, sic & aliis bonis operibus; sic v. g. tribuitur spei, *Sperantes autem in Domino non deficient omni bono;* tribuitur charitati, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Unde Concilium Trident. Sess. 6. can. 9. sic loquitur: *Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit.*

Nec moror quod dicat Apostolus ad Rom. cap. 3. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis,* quasi doceat sanctus Paulus solam fidem sufficere in negotio justificationis, & non requiri alia bona opera; ibi enim, uti & in aliis nonnullis similibus locis, sermo habetur de operibus legis Mosaicæ, quæ quidem opera nemo Catholicorum sensit unquam esse necessarias dispositiones ad justificationem; si

nempe ejusmodi legis Mosaicæ opera fierent, non ex spiritu legis seu in Christum, sed ex ipsa legis littera; *Nam littera occidit, spiritus autem vivificat*. Et alibi, *lex iram operatur*.

Si vero perconteris, cur Scripturæ frequentius fidei ascribant justificationem, quam aliis bonis operibus, spei, charitati, pœnitentiæ, &c.

Respondeo hanc appositam esse rationem, quod fides *sit humanæ salutis initium & omnis justitiæ radix & fundamentum, sine qua impossibile est placere Deo & ad filiorum ejus consortium pervenire*, inquit Concilium Tridentinum Sessione 6. cap. 8.

Utrum ad justificationem acquirendam requiratur in peccatore motus liberi arbitrii per modum præviæ dispositionis.

NOn agitur in præsenti controversia de justificatione infantium; certum est enim illos ad justificationem minime præparari per ullum liberi arbitrii actum, cujus omnino sunt incapaces, ut vulgo docent omnes Theologi post sanctum Thomam qui in 4. dist. 17. q. 1. art. 2. sic loquitur; *In illis qui non per propriam voluntatem culpam incurrunt, & usum voluntatis non habent, non exigi ex parte eorum aliquam præparationem, sicut de pueris in baptismo patet*. Quæstio itaque est de adultis.

Affirmant Novatores nostri nullam requiri dispositionem ex parte peccatoris adulti, ut justificetur. Quamvis enim fateantur justificationem non fieri sine quibusdam hominis actibus, negant tamen ejusmodi actus esse causam vel præparationem ad justitiam. Ortum habet iste error ex aliis longe gravioribus; contendit enim Lutherus, ut prope ad initium hujusce Tractatus observatum est, peccare hominem mortaliter in iis actionibus quas in statu peccati mortalis constitutus operatur, quam quidem pestilentem doctrinam ex hoc ipso refutavimus, quod manifeste innuit per talia opera hominum non posse præparare se ad propriam conversionem, & frustraneas ac irrisorias esse alias exhortationes quibus tam frequenter ad pœnitentiam agendam excitantur peccatores in Scripturis.

Alius hæreticorum error est, liberos non esse in homine actus, quibus possit se ad justificationem præparare; unde licet actui fidei justificationem tribuere soleant, nolunt tamen hunc actum [illegible] cere causam vel dispositionem justificationis, sed dicunt esse necessarium fidei actum, ut manum qua possumus nobis applicare Christi justitiam quæ nobis imputatur; aliter, inquiunt, justificatio non esset ex fide Christi, sed ex operibus: in eos itaque sit

CONCLUSIO.

Ad justificationem adultorum requiritur motus liberi arbitrii per modum præviæ dispositionis.

Probatur 1. ex Scripturis in quibus remissio peccatorum, renovatio per gratiam, demum ipsa justificatio & sanctificatio promittuntur sub conditione alicujus actus ex parte peccatoris, 1. Regum 7. cap. *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, & præparate corda vestra Domino*. Proverb. 16. *Hominis est præparare animam*. Isayæ 45. *Convertimini ad me, & salvi eritis*. Apocalipsi 3. cap. *Si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad eum*. Ad Philippenses cap. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*. In his enim & similibus locis postulantur ab homine actus fidei, spei, charitatis & conversionis, ut nimirum peccatorum remissionem consequantur.

Quamobrem id aperte definivit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5 his verbis quibus pronunciat exordium justifica-

ficationis sumi a vocatione, ut homines a Deo aversi, *Per ejus excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur*. Dehinc in can. 3. & 4. declaratur *hominem excitatum & adjutum a* Deo *aliquid operari, quo ad obtinendam justificationis & gratiam se disponat ac præparet*.

Et ratio est quia nisi quidam actus liber, quidam liberi arbitrii motus intercederet ex parte peccatoris in opere justificationis, nulla esset ratio cur redarguerentur peccatores adulti qui non convertuntur; spretis scilicet ac neglectis admonitionibus; quandoquidem nihil ex parte sui efficeret peccator; absurdum consequens, ejusmodi enim admonitiones & correptiones frequentissime leguntur in Scripturis, quæ quidem dici non possunt illusoriæ: igitur sentiendum est hominem non habere se mere passive cum justificatur a Deo.

Accedit altera ratio, si quid enim obstaret quominus partes suas haberet voluntas humana in negotio justificationis, id maxime diceretur, vel quia homo per peccatum suam amisit libertatem, vel quia gratia efficax quæ necessaria est ad singulos pietatis actus, vim infert voluntati: sed neutrum dici potest; non primum, quia tametsi per peccatum originale labefactatum aliquo modo fuerit liberum hominis arbitrium, non fuit tamen penitus extinctum, ut definitum est in Concilio Arausicano secundo non semel a nobis citato; at nec secundum dici potest, quia, ut supra ostendimus, quamvis gratia efficax propria virtute voluntates nostras indeclinabiliter & invincibiliter moveat, liberum tamen arbitrium non evertit; ac proinde homo se præparat & disponit ad justificationem per liberos voluntatis suæ actus.

Cum porro dicimus hominem per proprios suæ libertatis actus præparare se ad justitiam consequendam, id intelligimus fieri beneficio gratiæ, non autem quasi homo possit præparare se ad consequendam justitiam solis suis viribus, uti aperte declaravit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. his verbis, *Declarat sancta Synodus ipsius justificationis exordium adultis a Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse*. Et can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*.

Scilicet ad singula pietatis opera quæ de se ad salutem æternam conducunt, diximus necessariam esse gratiam: sed omnis dispositio ad justificationem etiam remota, opus est pietatis, & ad vitam æternam conducit: ergo.

Utrum in justificatione peccatoris peccata vere auferantur, vere deleantur.

DOCENT Protestantes peccata hominum non ita remitti ut penitus tollantur, auferantur, deleantur; sed ut potius radantur, aut tegantur; quatenus propter justitiam Christi ipsis imputatam, Deus illa non imputat ad judicium & condemnationem; unde veram ac proprie dictam peccati remissionem quoad culpam non agnoscunt; sic Lutherus docet art. 2. in puero baptizato manere peccatum, & in art. 10. peccata manere nisi credantur remissa; in quem errorem sit.

CONCLUSIO.

In justificatione peccatoris peccata vere auferuntur, vere delentur, vere remittuntur.

Probatur 1. ex Scripturis, in quibus sic Deus peccata remittere dicitur, ut ea censeatur vere auferre, ac delere; dicuntur enim tolli, auferri; homines dicun-

dicuntur lavati, mundati, abluti, sanctificati; quae quidem & alia similia ad sensum Novatorum emolliri non possunt, nisi penitus enerventur. Psal. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me .... omnes iniquitates meas dele*. Isayae 1. *Venite & arguite me .... sicut nix dealbabuntur*. Et Cap. 43. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me*. Micheae 7. *Qui Deus similis tui qui aufers iniquitatem & transis peccatum reliquiarum plebis tuae*.

Eadem iterum clarius leguntur infinitis in locis novi Testamenti. Joan. 1. *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi*. Ad Rom. 8. cap. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*. 1. ad Corint. 6. post enumerationem peccatorum ait Apostolus, *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis*. 1. Joannis 3. *In hoc apparuit filius Dei ut dissolvat opera diaboli*, hoc est peccata. Denique sanctus Petrus Act. 10. ait: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent remissionem accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum*. Ex quibus aperte sequitur perperam affirmare Novatores nostros, peccata vere ac proprie non remitti, non auferri, non deleri.

Probatur 2. ex sanctis Patribus quorum nonnulla tantum exscribimus testimonia, in re scilicet per se clara & evidenti; sanctus Cyprianus Epist. 2. *baptismum* appellat *mortem criminum*. Sanctus Ambrosius sic loquitur lib. 6. in Lucam, *In eo justificatio Dei est, si non ad indignos & obnoxios, sed ad innocentes per ablutionem factos videatur, & justos sua munera transtulisse*. Sanctus Chrysostomus in Psal. 50. *Sola gratia*, inquit, *sordes meas perfecte abstergere ac nivis candorem mihi conciliare potest*. Theodoretus in Psal. 31. super illa verba, *Beati quorum remissae sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*; sic obiter perstringit Messalianos qui tunc temporis dicebant, baptismum non delere sed tantum ad instar novaculae radere peccata: *Ea liberalitate utitur Deus, ut non modo remittat, verum etiam peccata obliteret, ita ut neque vestigia eorum remaneant*.

Sed hoc ipsum dedita opera probat sanctus Augustinus lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 13. adversus quendam Pelagianum qui praefatum errorem Catholicis imponebat, quasi dicerent baptisma radere peccata, non auferre; *Quis hoc*, inquit, *nisi infidelis affirmet? Dicimus enim baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum & auferre crimina, non radere*. Unde haec scribit Enchiridio c. 52. Christum cum Adamo comparans, *Sicut in illo vera mors facta est, ita & in nobis vera remissio peccatorum; & sicut in illo vera resurrectio, ita & in nobis justitia*.

Quapropter illud adversus Protestantes definivit Concilium Trid. Sess. 5. can. 5. his verbus: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema sit*.

Objiciunt haeretici nonnulla Scripturae loca in quibus impiorum justificatio designatur per voces istas, peccata tegi, abscondi, non imputari. Psal. 31. *Beati quorum remissae sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*. Psal. 84. *Operuisti omnia peccata eorum*. Sapientiae 11. cap. *Misereris omnium, quia omnia potes & dissimulas peccata hominum propter poenitentiam*. Ezechiel. cap. 33. de peccatore agente poenitentiam dicitur, *Omnia peccata ejus quae peccavit, non imputabuntur ei*. 2. ad Corint. c. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum*. Et sanctus Petrus II Epistolae cap. 4. *Charitas operit multitudinem*

dinem peccatorum. Igitur, inquiunt, sic impius a Deo justificatur, ut ejus peccata tegantur, operiantur, & amplius non imputentur, adeo ut nihil proprie deleatur, nihil auferatur.

Respondeo hæc & similia Scripturæ testimonia Catholico nostro dogmati neutiquam adversari; quia tegi, operiri, & non imputari censentur peccata, quando vere a Deo delentur & auferuntur; ut enim habet S. Augustinus Enarr. 2. in Psal. 31. *Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt ... nec sic intelligatis quod dixit peccata cooperta sunt, quasi ibi sint & vivant*. Sed e contra manifeste enervarentur loca Scripturæ in quibus dicuntur peccata tolli, deleri, & auferri, si ad sensum hæreticorum exponerentur; sic enim remitterentur, ut nihil deleretur, nihil tolleretur, nihil auferretur.

Sunt tamen permulti inter Protestantes, qui quidem eatenus solum peccatum non tolli & aboleri in justificatione docent, quatenus in sanctissimis quibusque viris manet prava illa concupiscentia, quæ eos continuo ad malum impellit, & in bene agendo impedit & retardat, quo sensu semper in ipsis justificatis aliquid peccati superest, fassi aliunde per gratiam Christi peccata vere tolli & eradicari; quo posito isti aut parum aut nihil distant a fide Catholica; fatemur enim & nos in homine justificato remanere concupiscentiam, quæ tamen ipsa per se formaliter peccatum non est, sicuti nec motus ejus plane involuntarii.

An præter remissionem peccatorum in justificatione requiratur renovatio interior.

ID negare primum visus est Calvinus lib. Inst. cap. 11. ubi sic integram justificationis essentiam explicat parag. 2. *Ita nos*, inquit, *justificationis simpliciter interpretamur acceptionem, qua nos Deus in gratiam receptos pro justis habet; eamque in peccatorum remissione ac justitiæ Christi imputatione positam esse dicimus*. Is tamen postea docuit in Antidoto ad can. 8. Sess. 6. ad justificationem pertinere interiorem hominis renovationem, non quidem tanquam aliquid essentiale ipsi justificationi, sed ita ut ad illam habeat se concomitanter.

Quapropter solemne est Protestantibus, uti apparet ex scriptis ipsius Calvini & ex publicis Ecclesiarum suarum confessionibus profiteri se aliquam in justificatione inhærentem justitiam agnoscere; sic enim habet v. gr. confessio Reformatorum ex Polonia publice in Conventu Thoruniensi lecta an. 1645. cap. 4. sect. 2. num. 9. *Falso accusamur quasi omnem inhærentem justitiam fidelibus negemus, eosque sola externa justitiæ Christi imputatione, quæ sit sine ulla interna renovatione, justificari statuamus; cum tamen solis pœnitentibus & viva fide in Christum credentibus justitiam imputari, simulque per eandem fidem a Spiritu sancto corda contrita vivificari, ad ardentem erga Christum charitatem, & novæ obedientiæ studium excitari, a pravis scilicet cupiditatibus mundari; atque ita justitiam & sanctitatem vitæ novæ inchoari, & in dies perfici doceamus*. Idem tradit Anglicana Confessio eodem anno publicata cap. 13. & similiter Gallica Reformatorum Confessio articulo 22.

Ut ut sit, constat justificationem impii præter remissionem peccatorum includere formaliter interiorem hominis renovationem; hæc enim duo ubique passim confundunt aut saltem conjungunt Scripturæ. Ezechiel. 38. *Mundamini ab omnibus iniquitatibus vestris, & dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*. Ephes. 4. *Deponite veterem hominem, renovamini autem*

tem

tem spiritu mentis vestræ, & induite novum qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctificatione. Ubi certe aut confunduntur, aut saltem indivulse conjunguntur remissio peccatorum & gratiæ sanctificantis infusio.

Unde S. Augustinus Epist. 174. *Neque*, inquit, *quisquam liberatur & justificatur, nisi gratia Dei per J.C. Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius inspiratione fidei & timoris Dei, impertito salubriter orationis affectu & effectu, donec sanet omnes languores nostros*.

Et Concilium Trid. sess. 6. can. 11. *Si quis dixerit hominem justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur, atque illis inhæreant, aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit*.

Neque est quod dicatur interdum Scripturas resignare justificationem nomine solius mundationis ab iniquitate, solius peccatorum remissionis, ut patet ex isto Apostoli testimonio 2. Corint. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum*. Quia nempe satis est quod alia suppetant loca, in quibus mentio fiat simul & remissionis peccatorum & renovationis interioris.

Et certe in quibusdam locis fit mentio explicita solius renovationis interioris, ut Psalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*. Neque tamen inferre licet justificationem fieri sine remissione peccatorum: ergo similiter licet nonnulla extent Scripturæ testimonia, in quibus fit mentio solius peccatorum remissionis, non idcirco putandum est justificationem fieri sine renovatione interiori quæ fit per infusionem gratiæ sanctificantis.

An Justificatio posita sit in justitia inhærente, aut solum in imputativa.

QUanquam in eo consentiunt Catholici & Protestantes, quod renovatio aliqua interior seu justitia inhærens admittenda sit in Justificatione; inter eos tamen quæstio est magna contentione animorum agitata, per quid magis proprie & formaliter justificetur homo, an per justitiam Christi imputatam, an per solam remissionem peccatorum. Porro justitia inhærens appellatur ea quæ in nobis vere existit, unde dicitur interna: imputativa ea est quæ in nobis vere non existit sed imputatur, unde dicitur externa.

Calvinus sic integram justificationis essentiam explicat, ut a nobis supra dictum est, ut *eam in peccatorum remissione ac justitiæ Christi imputatione positam esse dicat*. Sed ab illius sententia valde recedunt nonnulli recentiores Calvinistæ, qui suam de justificatione doctrinam per Christi justitiam nobis imputatam sic proponunt; non quod negent nos justificari coram Deo per justitiam propriam & nobis inhærentem; sed quod nemo tam justus & sanctus reperiatur, quin reus mortis & damnationis judicetur, si Deus nolit cum illo misericorditer agere, unde quod nos justificemur, id unice debemus, inquiunt, morti & passioni Christi, cujus meritis movetur Deus, ut a peccato nos liberet & jus ad hæreditatem vitæ æternæ concedat.

Cæterum in eo semper inter se consentiunt; & in eo mox illos oppugnaturi sumus, quod dicant magis proprie & formaliter justificari hominem per justitiam Christi ipsi imputatam, quam per justitiam inhærentem.

Mitto quod unus ex Antesignanis Lutheri discipulis Andreas Oziander docet

cet caufam formalem noftræ juftificationis effe illam ipfam juftitiam qua Deus effentialiter juftus eft, quam fententiam velut monftrum & delirium merito refellit Calvinus lib. 3. Inftitut. cap. 11. parag. 5. & feq.

CONCLUSIO.

Juftificatio magis proprie & formaliter pofita eft in juftitia inhærente; ita ut juftitia Dei vel Chrifti non fit nifi caufa efficiens noftræ juftificationis.

Id manifefte conftat ex Scripturis docentibus juftitiam per quam jufti fumus, effe aliquid in nobis manens, & præterea aliquid derivatum a Chrifto ut a caufa efficiente.

1. Defcribitur juftitia noftra ut manens habitualiter in nobis, dicimur enim accipere gratiam, accipere Spiritum fanctum, renovari, regenerari, renafci, vivificari, cor habere novum, ad Rom. 5. *Charitas Dei diffufa eft in cordibus noftris*. Cap. 8. *Accepiftis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater*. Joan. 3. *Nifi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu fancto, non intrabit in regnum cœlorum*. ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus fancti quem effudit in nos abunde per J. C. Salvatorem noftrum, ut juftificati gratia ipfius, hæredes fimus fecundum fpem vitæ æternæ*. 2. Petri 2. *ut efficiamur divinæ confortes naturæ*.

2. Ejusmodi juftitia Deo vel Chrifto tribuitur velut caufæ efficienti, Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Moyfen data eft, gratia & veritas per Jefum Chriftum facta eft*. Ad Rom. 1. *Per quem accepimus gratiam*. Ad Ephef. 1. *Gratia vobis & pax a Deo Patre noftro & Domino Jefu Chrifto*.

Neque eft quod dicant hæretici ex iftis Scripturæ locis ad fummum colligi quædam conferri hominibus gratiæ dona, fed non inde fequi per illa homines formaliter juftificari. Siquidem ut jam fupra diximus, juftificare aliquem in Scripturæ contextu, idem fæpiffime fignificat ac juftum facere, adeoque homo fit formaliter juftus per illa dona per quæ juftificatur. Prætérquamquod alia quam multa loca perfuadent per ipfam gratiam homines juftificari, Roman. 3. *Juftificari gratis per gratiam ipfius*. Et cap. 5. *Si enim unius delicto multi mortui funt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jefu Chrifti, in plures abundavit*. Ex qua comparatione peccati cum gratia manifefte colligitur gratiam infundi hominibus & in iis formaliter inhærentem, de qua tamen gratia mox fubjungit Apoftolus, *Gratia autem ex multis delictis in juftificationem*. Ac poftea, *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & juftitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jefum Chriftum*.

Idem confirmant alia fancti Pauli teftimonia, ait enim v. g. 1. ad Corint. 6. *Abluti eftis, fanctificati eftis, juftificati eftis*. Quæ quidem effectum formalem juftificationis declarant. Ad Titum cap. 3. baptismum appellat, *Lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus fancti quem effudit in nos abunde per Jefum Chriftum Dominum noftrum*. Quibus fimilia proferri poffent prope infinita.

Probatur vero ex fanctis Patribus qui eandem doctrinam apertiffime tradunt. Unum aut alterum proferam adinftar cæterorum. Ita fanctus Chryfoftomus homil. 1. in Epift. ad Ephefios ad illa verba, *Gratificavit nos in dilecto Filio fuo*, quæ quidem fic exponit: *Hoc eft, non folum liberavit a peccatis, fed etiam fecit amabiles; quomodo enim fi quis acceptum quempiam fcabiofum, & pefte ac morbo, fenioque & paupertat*

ac fame confectum & perditum, *statim formosum fecerit juvenem omnes homines pulchritudine vincentem*, *egenis quidem splendorem valde emittentem*, *& micantium oculorum ejaculationibus fulgores occultantem*. *Deinde eum constituerit in ipso flore ætatis*, *& postea eum purpura induerit*, *& diadema imposuerit*, *& omni ornatu ornaverit*; *ita nostram instruxit & ornavit animam*, *pulchramque fecit*, *desiderabilem & amabilem*. Idem sanctus Doctor homil. ad Neophitos docet gratiam Baptismi non in sola remissione peccatorum positam, sed & in donorum infusione, *ut eis*, inquit, *addatur sanctitas*, *justitia*.

Ex quibus perspicuum est hominem formaliter justificari per justitiam sibi inhærentem, & nonnisi efficienter & meritorie per justitiam Dei & Christi.

His aperte consonant quæ passim scribit S. Augustinus, lib. de spiritu & litt. cap. 9. in illa verba, Rom. 3. *Justitia Dei manifesta est*, hæc habet: *non dicit justitia hominis*, *vel justitia propriæ voluntatis*, *sed justitia Dei*, *non qua Deus justus est*, *sed qua induit hominem*, *cum justificat impium*. Cap. 11. *Ideo justitia Dei dicitur*, *quod impertiendo eam justos facit*, *sicut Domini est salus*, *quia salvos facit*. Et iterum cap. 23. *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris*, *non qua nos ipse diligit*, *sed qua nos facit dilectores suos*, *sicut justitia Dei qua justi ejus munere efficimur*, *& Domini salus qua nos salvos facit*, *& fides Jesu Christi*, *qua nos fideles facit*.

Quapropter hanc doctrinam merito sanxit Concilium Trid. Sess. 6. can. 10. his verbis: *Si quis dixerit homines sine Christi justitia per quam nobis meruit*, *justificari*, *aut per eam ipsam formaliter justos esse*, *anathema sit*.

Accedunt & nonnullæ rationes. Prima est, quia per id formaliter homo justus est, quod in eo est vel in subjecto; quemadmodum doctus est per doctrinam in eo insidentem: sed justitia Dei vel Christi non potest esse in homine velut in subjecto, ut per se patet. 2. est, quia justitia per quam homines justi sunt, suscipit magis & minus, minuitur vel augetur, 1. Petri 3. *Crescite in gratiam*. Apoc. ul-timo, *qui justus est*, *justificetur adhuc*. Justitia autem vel Dei vel Christi non suscipit magis & minus. 3. est, quia justitia Christi ex Apostolo ad Rom. 5. nostra est, quemadmodum peccatum Adæ est nostrum peccatum: atqui peccatum Adæ vere nostrum est, sumus enim vere peccatores non per meram imputationem, sed per veram propagationem, ut dicemus in tractatu de peccatis: ergo similiter justi sumus formaliter per gratiam sanctificantem nobis inhærentem.

Objicies, innumera sunt Scripturæ loca, in quibus justificatio explicatur per imputationem, sic ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo*, *& reputatum est illi ad justitiam*. *Ei autem qui operatur*, *merces non imputatur secundum gratiam*, *sed secundum debitum*. *Ei vero qui non operatur*, *credenti autem in eum qui justificat impium*, *reputatur ejus fides ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei*. Et infra, *non est autem scriptum tantum propter ipsum*, *quia reputatum est illi ad justitiam*, *sed & propter nos*, *quibus reputabitur credentibus in eum*. Ergo justificatio formaliter posita est in justitia Christi nobis imputata.

Dist. ant. per imputationem internam, C. externam tantum, N. Imputatio interna ea est, qua subjecto aliquid imputatur quod revera in eo est; imputatio vero externa, qua subjecto aliquid reputetur ex munificentia creditoris debitum solvisse quod revera non solverit. Porro Scripturæ quidem interdum justificationem hominis designant per imputationem justitiæ Christi, sed quæ sit imputatio interna sup-

ponens,

ponens præter Dei Salvatoris benignitatem, veram & internam in homine justificato gratiam per Spiritum sanctum datam; id enim manifeste declarant testimonia a nobis adducta.

Instabis, ad Ephes. cap. 4. ait Apostolus debere nos induere novum hominem, ut simus justi, *induite novum hominem*, inquit, *qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*. Atqui induere novum hominem, idem est ac induere Christum, induere Christi justitiam externam; ergo nostra justificatio posita est in justitia Christi.

Dist. maj. induere novum hominem per justitiam infusam, internam, & inhærentem, C. per solam ipsius Christi justitiam imputatam, N. nam induere novum hominem, est transire a statu peccati ad statum gratiæ; ita ut qui novum hominem induit, debeat simul expoliare veterem; sed homo vetus qui deponitur, est peccatum unicuique inhærens: ergo induitur quoque novus homo per justitiam inhærentem.

Instabis, in prioris Epist. ad Corinth. cap. 1. Christus dicitur *factus nobis sapientia a Deo & justitia, & sanctificatio, & redemptio:* & ad Rom. cap. 5 dicimur per Christi obedientiam constitui justi: ergo formaliter justificamur per justitiam Christi.

Dist. ant. factus est nobis justitia efficaciter & meritorie, C. formaliter per seipsum vel suam justitiam, N. neque enim sine absurditate dici potest nos esse formaliter justos per Christum; atqui tamen eo loci non dicitur justitiam Christi factam esse nostram justitiam, sed Christum ipsum factum nostram justitiam. Deinde vero Christus factus est nobis justitia, quemadmodum factus dicitur nobis sapientia; sed non est nostra sapientia quasi formaliter sapientes simus per illius sapientiam; ergo nec factus est nobis justitia eo sensu quod per illius justitiam simus formaliter justi; sed ita demum illud debet accipi, ut Christus efficienter sit nostra justitia, quia *de plenitudine ejus omnes accepimus;* quia *per eum abluimur, justificamur*.

Instabis, eodem modo efficimur justitia in Christo, quo Christus peccatum fecit, juxta illud secundæ ad Corinth. cap. 5. *Eum qui non noverat peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Atqui Christus vere & formaliter peccator non est, sed solum imputative; ergo efficimur justi solummodo imputative.

Nego maj. neque enim scribit Apostolus eodem modo nos effici justos, quo Christus fuit peccator, docet solum voluisse Christum reputari inter peccatores (sic enim intelligi debent ista verba, *qui pro nobis peccatum fecit*) ut nos hoc pacto efficeremur justi coram Deo, & quidem justi in Christo, hoc est per Christi merita, non per legem, non per propria merita quæ non fluerent a Christo,

Quæres utrum justitia illa interna & inhærens, sit actus, an habitus.

Resp. 1. certum esse apud omnes, nonnisi per habitualem justitiam, justificari infantes in baptismo; tum & adultos, cum ab omni actu cessant, ut quando dormiunt, nonnisi per justitiam habitualem esse formaliter justos.

Resp. 2. idem certum esse de cæteris hominibus, hoc est nullum esse qui justificetur formaliter per actum; est contra nonnullos Theologos qui docent actum charitatis perfectæ tum & actum contritionis non tantum dispositive sed & formaliter justificare.

Verum nostra sententia ex eo maxime liquet, quod licet remissio peccatorum & justificatio passim tribuantur in Scripturis, variis actibus fidei, charitatis, pœnitentiæ, &c. Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vita vivet*. Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies, &c.* Con-

stat tamen ejusmodi actus esse meras dispositiones ad justificationem consequendam, & non esse ipsam justificationis formam.

Si vero hanc sententiam aperte tradunt Patres Tridentini; nam Sess. *6.* cap. *6.* inter dispositiones ad justificationem, enumerant actus pœnitentiæ, timoris, dilectionis Dei, quod idem docent can. 3. his verbis, *& qui dixerit sine Spiritus sancti inspiratione hominem posse diligere & pœnitere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Unde Sess. 14. cap. 4. docet motum contritionis quovis tempore fuisse necessarium *ad impetrandam veniam peccatorum*.

Quæres utrum in justificatione præter justitiam inhærentem & internam, opus sit aliquo Dei favore extrinseco.

Resp. 1. censuisse Albertum Pighium cum Theologis Coloniensibus formalem nostræ justificationis ex duobus constare, quorum unum est internum & inhærens, alterum est extrinsecum & imputativum, quod est scilicet ipsa Christi Domini justitia. Sed ejusmodi opinio aperte revincitur ex ista Concilii Trident. definitione Sess. *6.* cap. 7. *Demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua justus est, sed qua nos justos facit*. Quibus verbis statuitur non esse duplicem, sed unicam tantum causam formalem justificationis.

Resp. 2. ad illam sententiam non parum accedere quosdam alios Theologos, quibus placet præter gratiam habitualem requiri favorem aliquem extrinsecum, sed cæteri vulgo Theologi docent nequaquam in justificatione opus esse favore illo extrinseco, qui sit pars causæ formalis nostræ justificationis; tum quia soli gratiæ attribuitur in Scripturis & remissio peccatorum & sanctitas; tum quia Concilium Tridentinum ejusmodi favoris extrinseci non meminit; immo aperte rejicere videtur, cum unicam statuit causam formalem justificationis, ut mox dictum est.

Quæres utrum de potentia Dei absoluta fieri possit remissio peccati per solam extrinsecam condonationem sine infusione gratiæ sanctificantis.

Resp. affirmative. Siquidem de potentia Dei absoluta fieri potest id omne, quod non involvit manifestam contradictionem: sed istud non involvit manifestam contradictionem; neque enim implicat aliquam formam recedere a subjecto; ita ut nulla alia locum ejus subeat; quin immo cum macula peccati mortalis sit tantum aliquid morale, certe ad eam tollendam sufficit aliquid morale; satis est quod Deus velit ejusmodi maculam amplius non remanere in anima, necesse non est physice agendo illam expellat per introductionem formæ contrariæ; quemadmodum igitur homo remittit offensam alterius hominis per condonationem mere extrinsecam, ita nil impedit quominus similiter Deus hominum peccata remittat. Et ratio est, quia absolute loquendo, necesse non est hominem habere rectitudinem internam, gratia enim ipsi est indebita, nec implicat eum creari in puris naturalibus, ut a nobis superius demonstratum est.

Utrum homo sit certus de sua Justificatione.

Est in confesso apud omnes speciali quadam revelatione Dei, posse hominem certum esse certitudine infallibili de sua justificatione; nimirum illud certo cognoverunt nonnulli, ut B. Virgo, cui dixit Angelus in salutatione: *Ave gratia plena, Dominus tecum*. S. Joannes Baptista, qui dicitur Lucæ 1. *Spiritu sancto repletus adhuc in utero matris suæ*. Tum vero Paralyticus in Evangelio, cui dixit ipse Christus, *remittuntur tibi peccata tua*.

Constat præterea justos omnes posse habere aliquam certitudinem conjectu-

ralem

talem de sua Justificatione; potest enim aliquis prudenter existimare se esse in statu gratiæ, quando sincerum habet dolorem de peccatis commissis, & post rigorosum suæ conscientiæ examen absolutionem accepit a Sacerdote; modo dicatur ejusmodi certitudinem non excludere omnem fortitudinem.

Sed quæstio est, utrum homo credere possit fide divina prorsus infallibili, immo credere teneatur certo peccata sua sibi esse remissa, adeoque se esse justificatum.

Contendunt Protestantes non tantum homines scire posse, sed certo credere posse, vel etiam credere debere se esse justificatos; quippe qui hac fide speciali, & fiducia certa justificantur. Nonnulli tamen ex illorum Antesignanis agnoscunt ejuscemodi certitudinem fidelium non æquare certitudinem quæ requiritur in assensu quem articulis fidei debemus, & quo credere tenemur, v. g. Christum esse filium Dei & mundi servatorem. Non negant etiam esse quemdam timorem piæ sollicitudinis securitati carnali oppositum, qui nunquam a fidelibus in hac vita abesse debet; qua in re laudant hæc Calvini verba, quæ leguntur in Antidoto Concil. Trident. ad Sess. *6. Nos certe*, inquit, *dum fidem docemus esse debere certam & securam, non certitudinem aliquam imaginamur, quæ nulla tangitur dubitatione, nec securitatem, quæ nulla inquietudine sollicitatur, quin potius dicimus perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum diffidentia. Tantum abest ut eorum conscientias in placida aliqua quiete collocemus, quæ nullis omnino turbis interpelletur.* Sunt etiam & nonnulli inter eos qui hanc certam hominum fiduciam de impetrata a Deo venia, volunt non esse eum fidei justificantis actum, ratione cujus in Scriptura dicimur fide justificari, sed nihilominus eam esse apud illos communem sententiam facile intelligitur ex illorum scriptis.

Ab illa Protestantium doctrina non valde recesserunt nonnulli Doctores Catholici, quos inter primas tenet Ambrosius Catharinus, qui in opusculo de prædestinatione docuit quemlibet hominem qui justificatur, certum esse posse divina fide privata se esse in statu gratiæ; quia scilicet omnis adultus qui justificatur, credit illum justificari qui ad Sacramentum rite dispositus, aut qui extra Sacramentum perfectè contritus est; is enim ille stupidus sit necesse est, inquit, qui de se ipso ignoraverit, utrum ex animo & recta conscientia, an vero ficte ad Sacramentum accesserit. In eo tamen ab hæreticis dissentire se profitetur Catharinus: 1. quod dicat homines posse id certo credere, non autem debere. 2. quod non loquatur de certitudine fidei divinæ sed catholicæ. 3. quod non doceat hac fide speciali homines justificari.

Altera est quorumdam Theologorum sententia, qui affirmant justos perfectiores posse, immo etiam solere certo credere, non quidem fide divina sed certitudine morali, quæ sit sine ulla hæsitatione & deceptionis formidine, se esse justificatos; tribuitur vulgo hæc sententia Dominico Soto, Andreæ de Vega, & Ruardo Tappero; in quos omnes sit

CONCLUSIO.

Nemo debet neque potest certo credere fide divina se esse justificatum.

Id constat primum ex Scripturis Proverb. 20. cap. *Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum a peccato;* &, *beatus vir qui semper est pavidus*. Ecclesiastis cap. 9. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit*. Primæ Corint. 4. *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Quamobrem ubique passim in iisdem Scripturis commendatur timor salutaris in negotio salutis, Eccle-

Ecclesiastici 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu* . Ad Rom. 11. *Noli altum sapere sed time* . Ad Philip. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operemini*.

2. Idem uno ore docent SS. Patres, imprimis vero S. Augustinus, sic enim habet lib. de perfect. Just. cap. 15. *Quantalibet justitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum; cum Rex justus sederit in throno, cujus cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa de quibus dictum est, delicta quis intelligit?* Ita & S. Cyprianus de Eleemosyna, S. Basil. in Constit. monasticis cap. 2. S. Hieron. dial. 1. adversus Pelag. S. Greg. Mag. lib. 9. Mor. cap. 17. S. Bernardus Sermon. 3. de Adventu.

3. Demum, illud expresse definivit Concilium Trident. Sess. 6. cap. 9. *Sed neque illud asserendum est oportere eos qui vere justificati sunt, absque ulla dubitatione apud semetipsos statuere se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi, nisi eum qui certo credat se absolutum & justificatum esse; atque hac sola fide absolutionem & justificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet; nam sicut nemo prius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum*. Ubi Patres Tridentini eorum omnium universim sententiam condemnant, qui docent fide certa cognosci posse ab homine suum gratiæ & justificationis statum.

Objicies id quod habet Apostolus ad Rom. 8. cap. *Ipse enim Spiritus*, inquit, *testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*: ergo quilibet nostrum scit certo & credere debet se esse justum, si revera sit justus: Spiritus enim Dei fallax esse non potest.

Nego conseq. quia licet Spiritus Dei qui fallax cogitari non potest, omnibus justis testimonium redderet de eorum justificatione, nemo propterea certus esset de sua justitia; quia nimirum certus non est illud testimonium esse Spiritus sancti quod similiter esse posset Spiritus mendacis, ibi quidem nonnulla veri testimonii indicia præbet Apostolus, puta si quis ad pios motus in Deum excitetur, si tranquillitatem conscientiæ experiatur &c. Sed ita reperiri posse in hominibus nondum justificatis nemo difiteri potest. Adde quod illud testimonium Spiritus sancti ex ipso Apostolo sit conditionatum, ait enim verbis immediate sequentibus, *Si autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur*. Quis vero certus est se compati, in Christo nempe & cum gratia, ut oportet.

Instabis: ait Apostolus sub finem ejusdem capitis, *Certus sum quia neque mors neque vita, neque alia creatura poterit nos separare a charitate Christi*. Ergo certus erat Apostolus de sua charitate.

Resp. 1. sic forsitan loqui Apostolum, quia fuerat illi revelata specialiter sua justitia; hæc autem non debent trahi in exemplum, nec locum habent pro cæteris fidelibus. 2. Certum eo loci idem esse ac persuasum; neque enim certitudo apud Apostolum semper sumitur pro certitudine fidei; ut quando scribit ad Rom 5. *Certus sum, fratres, quod estis pleni dilectione*. Et primæ ad Timoth. cap. 1. *Certus sum quod habitat in te fides non ficta*. Hoc est, puto, existimo, spem habeo ita rem esse.

Instabis: idem Apostolus 2. Corint. 13. sic habet: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide*,

fide , ipsi vos probate , annon cognoscitis vosmetipsos , quia Christus Jesus in vobis est , nisi forte reprobi estis. Ubi supponit Apostolus posse aliquem certo cognoscere, an sit in fide, an Christum habeat in se habitantem per gratiam, quo posito erit justus: ergo.

Dist. ant. posse aliquem certo cognoscere certitudine aliqua, certitudine morali, relinquente tamen aliquam dubitationem & timorem, C. certitudine fidei, infallibili, excludente omnem dubitandi formidinem, N. porro de posteriori illa certitudine locutum non esse Apostolum, manifestum est; quia qui de sua justificatione certus est certitudine fidei, opus non habet probare se, quod tamen monet Apostolus, *ipsi vos probate*. Præterquamquod non constat divum Paulum loqui de gratia habituali, qui probabilius differit de præsentia Christi secundum potestatem imperandi, aut de fide Christi quæ ipsis fuerat annunciata. Nec obstant illa verba, *nisi forte reprobi estis*, quasi possit quis certo scire se esse e numero reproborum, quia nempe vox ista *reprobi* eo loci non significat rejectos a Deo, prout opponitur prædestinatis; sed idem est ac *viles* in quibus nulla est excellentia, nulla dignitas; quemadmodum ipse ait in versiculo sequenti, *Spero autem, quod cognoscitis, quia nos non sumus reprobi*.

Non me latet alia ejuscemodi atque innumera prope Scripturarum testimonia objici solere ab hæreticis, sed ex iis evinci solummodo potest justos plerumque certos esse certitudine morali, & conjecturali, quæ non excludat omnem dubitationem, omnem deceptionis formidinem; ejusmodi est quod legimus primæ ad Corinth. cap. 2. *Nos Spiritum Christi accipimus, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis*. Secundæ Epist. c. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Primæ Joan. 3. *Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Apocal. 3. *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit*. Quod idem respondendum est ad nonnulla etiam loca, quæ quidem occurrunt plane similia apud Sanctos Patres, & consuli possunt apud Bellarminum, qui fusissime quæstiones istas de justificatione adversus hæreticos tractavit, easdem propterea nonnisi strictum & compendiose tradimus, quod actum agere animus non sit.

Objicies, nisi justus de sua justificatione sit certus, nullam habebit in corde pacem, nullam in conscientia tranquillitatem: absurdum consequens, & pugnat cum Apostolo dicente ad Rom. cap. 5. *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum*: ergo admittenda est illa certitudo.

Nego ant. ut enim justus legitima conscientiæ pace & tranquillitate fruatur, sufficit ut certus sit de sua justitia certitudine aliqua & conjecturali; neutiquam vero necesse est, ut sit certus certitudine fidei & plane infallibili, quæ omnem excludat dubitationem, omnem tremorem. Optanda est igitur in homine Christiano non tumultuosa anxietas, sed utilis & salutaris dubitatio, vi cujus respiciat ad inscrutabilia Dei judicia, timens futurum, de præsenti non præsumens; cum enim nemo sciat an amore vel odio dignus sit, beatus profecto ille qui semper pavidus est.

At inquies, qui scit se esse baptizatum, & nullum post baptismi susceptionem commisisse peccatum mortale; item qui martyrium pro Christo volens & forti animo subit, profecto ignorare non potest se esse justum: ergo certus est certitudine infallibili de sua justificatione.

Nego ant. erit enim adhuc in illis casibus timendi locus, nec erit tunc illa certissima quam hæretici prædicant, confidentia. Quoad primum enim, ignoratur num jocose, an serio, sciens & vo-

& volens, tanquam Minister Ecclesiæ baptisma ipsi administraverit? an legitimam adhibuerit materiam, an præscriptam a Christo formam? Quod spectat secundum, quis certo novit inter Martyres se mori pro Christo ex motivo laudabili & ex vera in Deum conversione? quis scit an sit amore vel odio dignus?

Utrum Justitia possit amitti.

NEgant Calvinistæ justitiam semel habitam, per scelera vel atrocissima unquam amitti posse; tam stupendum tamque horrendum est eiuscemodi dogma, ut unus ex illis clarissimus Grotius hæc scripserit animad. pro suis ad Cassand. notis, art. de discrimine peccati mortalis & venialis: *Nullum potuit*, inquit, *in Christianissimum induci dogma perniciosius quam hoc, hominem qui credidit, aut qui regenitus, (nam hæc multis valent) posse prolabi in scelera & flagitia, sed accidere non posse, ut propterea divino favore excidat, aut damnationem incurrat. Hoc nemo veterum docuit, nemo docentem tulisset. Nec aliud evidentius vidi argumentum detortæ ad privatos & malos sensus Scripturæ, quam in hoc negotio*. Hoc delirium ex æquo detestantur Catholici & Lutherani, quocirca sit..

CONCLUSIO.

Justitia semel habita etiam in electis per peccatum mortale amittitur.

Siquidem id aperte declarant Scripturæ sacræ, Ezechiel. 18. *Cum averterit se justus a justitia sua & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus quas fecerit non recordabuntur in prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit in ipsis morietur*. Et cap. 33. *Fili hominis dic ad filios populi mei, justitia justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit*. Unde divus Paulus timebat ne gratiam amitteret, ait enim primæ Corint. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. Idque supponit ut certum ad Hebr. cap. 6. his verbis: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste & participes facti sunt Spiritus Sancti ... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*.

Quibus Scripturæ locis accedit, quod negari non possit multos vel etiam Prædestinatos justitiæ semel habitæ fecisse jacturam; quos inter citati possunt primi parentes, David, & S. Petrus. Cui argumento ut respondeat unus ex Calvinistarum antesignanis Perkinsius hæc scribit in dialogo de statu hominis, ubi hac sibi proposita objectione, *Nonne vult Deus electos suos condemnari si peccent?* ait, *non vult; fundamentum enim salutis nostræ fundatum est in æterna electione Dei, ita ut mille peccata, immo omnia peccata totius mundi, quin omnes diaboli qui sunt in inferno, electionem Dei irritam facere nequeunt. Fieri quidem potest, ut corda nostra obfirment peccata, fidem infirment spiritumque Dei in nobis tristitia afficiant; verum fidem auferre & Spiritum Sanctum prorsus excutere non possunt. Deus neminem condemnat propter peccata, qui modo in filium Dei adoptatus est in Christo Jesu*. Hæc porro juvat exscribere, inaudita quidem & plane monstrosa, sed quæ genuinam hac in parte Calvinistarum doctrinam referunt.

Hanc deinde nostram sententiam tradunt aperte SS. Patres, unus loco cæterorum citabitur Augustinus qui lib. de corrept. & grat. cap. 13. sic habet: *Credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere & postea cadere, neque de hac vita, priusquam id contingat, auferri*. Certum est præ-

præterea docuisse passim S. Doctorem & præsertim toto lib. de dono persev. alios in gratia Dei perseverare, alios non perseverare.

Quocirca sic loquitur Conc. Trident. Sess. 6. can. 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse justificatum ... anathema sit.*

Objiciunt Calvinistæ illud Apostoli quod habetur primæ Corinth. cap. 13. *Charitas nunquam excidit.* Dixerat ad Rom. 8. *Quis nos separabit a charitate Dei?* Ex quo sequitur hominem semel justificatum gratiam non amittere.

Respond. Apostolum id unum docere, charitatem remansuram in homine etiam in altera vita quæ multis aliis donis quæ ad statum hominis viatoris pertinent, adeoque peribunt in ejus morte; hujus responsionis veritas abunde intelligitur ex ipso contextu; sic enim habet divus Paulus: *Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur, ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Quod tamen non obstat quominus eadem charitas per peccatum mortale hac in vita omnino deleri possit; quemadmodum deleta fuit penitus & extincta in primis parentibus, in malis Angelis, in divo Petro, in Juda & aliis.

Objicies illud primæ Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Et cap. 5. *Scimus quia omnis qui natus est ex Deo non peccat, sed generatio Dei conservat eum.* Porro qui nec peccat nec peccare potest, non amittit gratiam: ergo justus, qui nempe ex Deo natus est, non amittit gratiam.

Dist. maj. omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, & peccare non potest, in sensu composito, quandiu nempe justus manebit, C. in sensu diviso, quasi justus justitiam semel habitam amittere non possit, N. Is igitur sancti Joannis locus, in quo patrocinium omne suum collocant adversarii, exponi debet de justis qui nec peccant unquam nec peccare possunt, quandiu nempe justi manent; quandiu nati semel ex Deo per gratiam, non sunt filii degeneres per peccatum; non autem eo sensu quod justi semel facti homines justitiam per peccatum amittere non possint: hunc vero esse istius testimonii sensum constat.

1. Ex proposito divi Pauli, vult enim eo loci justos ab improbis discriminare, eos qui ex Deo sunt ab aliis qui ex Diabolo, ut inde inferat bona opera præter fidem esse ad salutem necessaria: *Filioli*, inquit, *nemo vos seducat; qui facit justitiam justus est, sicut & ille justus est: qui facit peccatum ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei ut dissolvat opera Diaboli. Omnis natus est, &c.* Unde cum hæc dicit, *Omnis qui natus est ex Deo, peccare non potest*; id intelligit in sensu composito, quia nempe hac vera nota discernuntur justi ab improbis, filii Dei a filiis Diaboli, sicut arbores cognoscuntur ex fructibus; totus est enim hac in Epistola S. Joannes, ut ostendat bona opera præter fidem esse necessaria ad salutem.

2. Quia innumeræ propemodum occurrunt in Scripturis similes propositiones, in quibus quod negatur de aliquo, illi quidem non convenit spectato in certo quodam statu, ei vero competit in alio statu; sic enim v. g. hæc leguntur in Scripturis, Math. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos facere.* Ad Rom. 8. *qui autem in carne sunt, Deo placere* non

non possunt. 1. ad Corint. 2. *animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*. Ex quibus colligi quidem potest arborem malam non posse fructus bonos facere, quandiu mala est; neminem Deo placere posse qui in carne est, quandiu est in carne, hoc est in malis carnis operibus, denique animalem hominem non percipere ea quæ sunt Dei, quandiu animalis est: sed idcirco negari non debet, eum quem Scriptura appellat arborem malam, evadere posse arborem bonam, & sic de cæteris.

Hanc porro responsionem subministrat ibidem 6. Joannes: *Nos scimus*, inquit, *quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte, omnis qui odit fratrem suum homicida est, & scitis quoniam homicida non habet vitam æternam*. Si homicida non habet vitam æternam; ergo David qui fuit homicida non habet vitam æternam: quid respondebunt adversarii? nisi dicant homicidam non habere quidem vitam æternam, quandiu homicida est, habere vero posse, si ad exemplum Davidis agat pœnitentiam.

De merito bonorum operum.

His præmissis quæ ad justificationem attinent, nunc sequitur ut dicamus de Merito quod est effectus gratiæ sanctificantis, per quam homo justus formaliter justificatur.

Meritum in genere nomen est commune quod promiscue tribuitur bono & malo operi, nam in Scripturis dicitur homo per peccatum mereri supplicium, Hebræorum 10. cap. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaverit*. Item & iram Dei mereri, Job. 6. cap. *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui*. Sed magis proprie meritum sumitur in bonam partem, uti usus invaluit apud Theologos, & quomodo illud nunc accipimus in hoc compendioso Tractatu.

Meritum igitur proprie loquendo est bonum opus cui debetur merces & præmium, & duplex est, scilicet meritum de condigno, cui debetur præmium ex justitia; & meritum de congruo, cui debetur merces ex decentia: tria super isto negotio paucis expediemus; 1. quidem examinabimus, an vere homo dici possit aliquid a Deo mereri. 2. Quid possit mereri, quid vero non possit. 3. demum, breviter recensebimus veras conditiones ad merendum requisitas.

Utrum homo possit apud Deum aliquid mereri.

Quod nomen meriti tribueretur operibus humanis ægre ferebat Calvinus lib. 3. Inst. c. 15. *Primum*, inquit, *de meriti nomine id mihi præfari necesse est, quicunque primus illud operibus humanis ad Dei judicium comparatis aptavit, eum fidei sinceritati pessime consuluisse ... quorsum enim obsecro, opus fuit invehi nomen meriti, quum pretium bonorum operum significanter alio nomine citra offendiculum explicari posset, &c.* Sed meo quidem judicio perperam id de vocabulo *meriti* affirmat Calvinus. 1. quia reperitur in Scripturis sacris ad sensum quo usurpari solet a Theologis, scilicet Ecclesiast. c. 16. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum*. Et ad Hebr. 13. *Talibus enim hostiis promeretur Deus*. 2. quia vox illa usitata est apud Veteres favente ibid. Calvino his verbis: *Ubi sunt, fateor, passim vetusti Ecclesiæ Scriptores, atque utinam voculæ unius abusu erroris materiam posteris non præbuissent*. Quæ quidem quam temere tam insolenter ab eo dicta nemo non videt. Is vero non modo nomen sed & rem ex æquo detestatur; addit enim justos nihil unquam me-

mereri posse. *Bonorum operum*, inquit, *laudem* (*non ut Sophistæ faciunt*) *inter Deum & hominem partimur, sed totam integram ac illibatam Domino servamus. Tantum hoc homini assignamus, quod ea ipsa quæ bona erant, sua impuritate polluit & contaminat. Nihil enim ab homine erit quantumvis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum.* Idem docet Lutherus in articulis suis.

Habet iste error non parum affinitatis cum alio graviori quem similiter propugnant præfati hæretici, qui videlicet contendunt non esse in justis bona opera; inde enim sequitur justificationem non esse ex operibus, nullum esse in operibus nostris meritum.

CONCLUSIO.

Recte dicitur hominem aliquid mereri apud Deum, si nimirum per gratiam operetur.

Id primum evincitur ex innumeris Scripturæ sacræ locis; scilicet ubi fideles justi dicuntur digni esse aliqua mercede, quod idem plane est ac mereri mercedem, Sapientiæ 3. *Deus tentavit eos, dignos se*. Ecclesiast. 16. *Misericordia facit unicuique locum secundum meritum operum suorum*. Ad Coloss. 1. *Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes*. 2. ad Thessal. 1. *ut digni habeamini regno Dei*. Idem ostenditur ex aliis locis, in quibus dicitur Deus reddere secundum opera. Psal. 61. *Tu reddes unicuique secundum opera ejus*. Et quod longe significantius est dicitur Deus reddere secundum justitiam, Psalm. 17. *Reddet mihi Dominus secundum justitiam meam*. Et 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*. Ut enim ait idem Apostolus ad Rom. 4. c. *Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*. Perperam igitur ne dicam stulte nomen meriti humanis operibus tribuere reformidant Novatores.

Scripturis una voce consonant Sancti Patres & Græci & Latini, quorum hic testimonia recensere animus non est; tum quia ejuscemodi momentum parvi faciunt hæretici quos impugnamus; tum quia fatente Calvino, ut diximus, nobis ultro consentiunt veteres illi Scriptores.

Atque inde rem expresse definivit Conc. Trid. Sess. 6. c. 16. his verbis: *Nolite amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda: hæc est enim illa corona justitiæ, &c.* Vide & Canonem 32.

Objicies id quod habet Isayas c. 64. *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, omnes justitiæ nostræ*.

Respondeo cum S. Hieronymo ibi locutum Prophetam de Judæis, quorum omnes justitiæ, hoc est, omnia vel optima quæque opera nullius fuerunt meriti ante Christi adventum per se nimirum, etsi considerentur sejuncta ab ipsius Christi meritis. Unde initio capitis ait Isayas, *utinam disrumperes cælos & descenderes*, quæ verba ad Messiam venturum diriguntur.

Objicies illa verba S. Lucæ c. 17. *Cum feceritis omnia, dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus*. Ergo nullius valoris sunt actiones nostræ.

Respondeo nos appellari servos inutiles juxta eum communem & usitatum loquendi modum, quo servum inutilem dicere solemus eum, qui nihil ex se facit supererogationis, sed tantum ea quæ sibi facienda præci-

piuntur, qui quidem genuinus eo loci videtur esse verborum Christi sensus, subjungit enim, *quod debuimus facere, fecimus*. Vel dici potest nos esse servos inutiles, si attendatur non ad gratiam sed ad naturam, ut explicat Sanctus Ambrosius in hunc locum: *Ergo*, inquit, *agnosce te esse servum plurimis obsequiis defœneratum; non te præferas, quia filius Dei diceris; agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura*.

Objicies: sic loquitur sanctus Paulus ad Rom. 8. cap. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Ubi manifeste excludit condignitatem nostrorum operum.

Respondeo Sanctum Paulum loqui de passionibus externis hujus vitæ absolute & in se consideratis seorsim a promissionibus, ut inde summam commendet Dei liberalitatem, qui nimirum, ut ait idem Apostolus 2. ad Corint. c. 4. sic rerum ordinem instituit ut leves & momentaneæ passiones magnum & æternum gloriæ pondus operentur, *Quod momentaneum est, & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Quanquam aliunde verum sit eadem bona opera præsuppositis Dei promissionibus & eo statu in quo vivimus, mereri proprie coronam, uti sexcentis in locis Scripturarum, quorum nonnulla superius a nobis adducta sunt, aperte legitur.

Objicies: citra injuriam Deo irrogatam dici non potest hominem mereri aliquid ab eo persolvendum, Dominus enim nihil debet servo: ergo proprie loquendo non est meritum in homine coram Deo.

Dist. ant. absolute loquendo, C. ex hypothesi pacti & ordinationis divinæ, N. Fieri enim potest, ut Dominus ejusmodi pactum ineat & ordinationem, ut propter quædam opera bona servus aliquam mereatur mercedem quæ ei retribuatur vi pacti & promissionis Domini.

Quæres utrum isthæc omnia superius dicta intelligi debeant de merito quod dicitur de condigno.

Respondeo affirmative. Siquidem solum meritum de condigno est meritum simpliciter & proprie loquendo; adeoque soli merito de condigno respondet merces & præmium: atqui in locis Scripturæ mox allatis fit sermo de merito simpliciter, & cui respondet præmium & merces vel etiam ex justitia: igitur illa Scripturæ loca intelligi debent de merito quod dicitur de condigno.

Dicimus tamen & hominem aliquid a Deo posse mereri de congruo. Siquidem tunc homo meretur aliquid de congruo, quando congruum ei, ut homini aliquod bonum opus facienti, præmium retribuatur, quantumvis non sit ejusmodi præmium homini debitum, neque ex ejus cum præmio proportione, neque ex ordinatione divina & pacto: sed aliquando congruum est Deum mercedem aliquam retribuere propter bonum opus; tametsi operi bono condignitas desit, nec ulla fuerit de ejuscemodi præmio divina ordinatio; ergo & quandoque homo meretur aliquid de congruo.

Quid homo possit mereri.

Dico 1. hominem non posse sibi mereri primam gratiam actualem, neque de condigno neque de congruo; non posse quoque sibi mereri primam gratiam habitualem de condigno, sed posse de congruo; tres sunt hujusce propositionis partes. Primam esse veram abunde ostendimus in superiori Tractatu adversus Pelagianos & Semipelagianos. Secunda pars facile ex eo intelligitur, qui quod meretur de condigno debet esse in gratia sanctificante constitutus, ut mox dicturi sumus. Tertia denique pars constat ex eo quod ad meritum de congruo ex parte ejus qui meretur, necesse non est

est ut sit in gratia sanctificante constitutus.

Dico 2. hominem non posse alteri mereri de condigno primam gratiam seu actualem seu habitualem, posse vero de congruo. Ac prima quidem propositionis pars constat, quia nullibi videmus Deum sese pacto quodam obstrinxisse ad dandam alicui gratiam propter merita alterius hominis, puri scilicet; namque non est hic sermo de Christo Domino. Secunda vero pars intelligitur ex eo, quod persæpe conversio & sanctificatio quorumdam hominum debeatur aliorum precibus, *si Stephanus non orasset*, inquit S. Aug. *Ecclesia Paulum non haberet*.

Dico 3. hominem non posse sibi mereri nequidem de congruo gratiam pœnitentiæ & reparationis post lapsum, est contra nonnullos Theologos. Et ratio est quia in contraria sententia sequitur esse in homine justo aliquod meritum quod per peccatum mortale subsequens non pereat, quod nempe meritum maneret in homine peccatore, vi cujus haberet gratiam pœnitentiæ & resurrectionis a peccato: absurdum consequens, qui enim per peccatum gratiam amittit & charitatem, omne consequenter amittit meritum: ergo non potest homo sibi mereri nequidem de congruo gratiam pœnitentiæ, & reparationis post lapsum.

Dico 4. hominem posse sibi mereri de condigno augmentum gratiæ habitualis. Siquidem nihil deest homini, ut censeatur legitime mereri augmentum gratiæ habitualis suis nempe bonis operibus. Adde quod Concilium Tridentinum c. 32. jam citato definit hominem posse *vere mereri augmentum gratiæ*. Sed vere mereri, est mereri de condigno, ut enim diximus, mereri de congruo non est vere & simpliciter mereri.

Dico 5. hominem justum sibi mereri non posse de condigno perseverantiam finalem. Id aperte docuit non uno in loco Sanctus Augustinus, sic enim loquitur verbi gratia libro de correptione & gratia cap. 8. *Si a me quæratur*, inquit, *cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam qua christiane viverent dilectionem dedit, me ignorare respondeo . . . si ergo confiteris donum Dei esse perseverare in bono usque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter nescis*. Et libro de dono perseverantiæ cap. 9. *Ex duobus autem piis*, inquit, *cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei*. Ubi cum dicat Sanctus Doctor se ignorare cur unus homo habeat perseverantiam, alter vero non habeat, idque ex inscrutabilibus Dei judiciis suspensum esse profecto existimavit illam non cadere sub meritum, aliter dixisset alterum perseverare quia meruit, alterum non perseverare quia non meruit.

Id rursus apparet ex eo quod Concilium Tridentinum dedita opera recensens ea quæ sub meritum de condigno cadunt locis jam citatis, nempe Sess. 6. cap. 16. & canon. 32. perseverantiæ finalis nullam injicit mentionem.

Et ratio est quia ad meritum de condigno requiritur ex parte Dei pactum & promissio, aliter enim non potest homo quicquam a Deo mereri: atqui non legimus ejusmodi pactum & promissionem Dei qua se obstrinxerit ad dandam perseverantiam, quin potius Scripturæ docent nos debere cum metu & tremore salutem nostram operari: ergo non potest homo sibi mereri de condigno perseverantiam finalem.

Nec dicas promissum fuisse a Deo donum perseverantiæ, tum in generali promissione dandi hominibus quidquid petierint, Matth. 21. *Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes acci-*

accipietis. Tum quia promisit Deus se neminem deserturum, quin prius ab eo desertus fuerit; ut habet Concilium Tridentinum Sess. *6*. cap. 11.

Si quidem neutro ex illo capite colligi potest Deum promisisse hominibus perseverantiam finalem. Non ex primo, quicquid Deus concedit precibus nostris, non est merces proprie dicta; alioquin & prima gratia habitualis & bona temporalia caderent sub meritum de condigno. Neque etiam ex secundo; quia, ut diximus supra, ubi de necessitate gratiæ ad perseverandum agebamus, neminem censetur Deus deserere, priusquam ab eo desertus fuerit, non quod nemini deneget gratiam ad perseverandum, est enim donum speciale & efficax; sed quia semper datur justis ad bene agendum aliqua gratia sufficiens; vel quia Deus nunquam tollit ab homine gratiam sanctificantem, nisi homo prius Deum per peccatum mortale deseruerit.

At, inquies, qui potest mereri de condigno majus, potest & minus: sed homo meretur de condigno vitam æternam, ut mox dicetur; ergo. Item qui meretur finem, meretur quoque media ad illum finem consequendum necessaria: ergo.

Nego maj. utriusque syllogismi; neque enim inde judicatur, an unum potius quam aliud mereatur homo, quod sit minus aut majus, finis aut medium, sed id solum pensitatur ex pacto & promissione divina; porro Deus promisit vitam æternam recte viventibus, non promisit perseverantiam. Et certe sequeretur ex ejusmodi argumentis primam gratiam cadere sub meritum de condigno; est enim quid minus vita æterna, & medium ad illam consequendam aptatum: ergo.

Dico *6*. bona temporalia secundum se spectata non cadere simpliciter sub meritum, sed tantum secundum quid. Prior pars ex eo colligitur, quod bona temporalia non sunt bona simpliciter, per se & secundum se, per se non sunt optabilia. Posterior vero pars constat, quia bona temporalia prout conducunt ad vitam æternam, promittuntur hominibus ut præmia bonorum, Matth. *6*. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*.

Dico denique hominem posse mereri de condigno vitam æternam. Id abunde certum est ex iis Scripturæ locis superius adductis, in quibus vita æterna dicitur præmium, merces & corona, quæ conceditur justis propter eorum laborem & bona opera. Quod quidem suadetur etiam ex eo quod apud Sanctum Paulum ad Ephesios 1. cap. gratia dicitur *pignus hæreditatis nostræ*. Et 1. Joan. 3. cap. eadem gratia dicitur semen gloriæ, *Semen Dei manet in illo*. Semen quippe virtutum habet producendi fructum.

Unde Concilium Trident. Sess. *6*. cap. 16. sic habet; *Bene operantibus usque in finem & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda*. Can. 32. damnat eum qui dixerit, *Justificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem*.

Huic Sancti Pauli testimonio ad Rom. 8. cap. *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Quod in præsenti quæstione proponi solet, quantum necesse erat, respondimus supra.

De

De conditionibus requisitis ad meritum.

OPus bonum seu meritorium dupliciter considerari potest, nimirum ex parte hominis qui meretur, & ex parte Dei apud quem homo meretur. Porro ad meritum, de condigno scilicet, si consideretur ex parte hominis, hæ requiruntur conditiones. 1. Ille qui meretur debet esse viator. 2. in gratia sanctificante constitutus. 3. debet propterea esse adjutus gratia quadam actuali. 4. debet agere libere. Si vero opus meritorium consideretur ex parte Dei, requiritur promissio de dando præmio. De his pauca sigillatim dicemus.

Ac primo quidem homo qui meretur debet esse viator. Id manifeste constat ex Scripturis, Ecclesiast. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Ad Hebr. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium*. Et ratio est quia meritum est medium quoddam ad finis consecutionem datum, quod proinde locum habere solum potest in viatore.

Secundo, qui meretur debet esse in gratia sanctificante constitutus. Ait enim Christus Joan. 15. *Manete in me & ego in vobis, sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*. Item Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*. Et ratio est quia si quis mereri posset sine gratia sanctificante, merita non penderent ex amicitia Dei, quod absurdum est.

Tertio, debet præterea homo ad merendum esse adjutus aliqua gratia actuali; id fuse ostendimus in superiori Tractatu, ubi de necessitate gratiæ actualis ad quodcunque bonum opus, vel etiam ad initium fidei adversus Semipelagianos disseruimus. Unde Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. definit Christum jugiter in Justificatos influere virtutem, *quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent*.

Quarto demum, homo ut mereatur, debet agere libere. Ecclesiast. 31. de justo dicitur: *Qui potuit transgredi & non est transgressus, & facere mala & non fecit*, mox additur, *ideo stabilita sunt bona illius in Domino*. Et 1. ad Corint. 9. *Si volens hoc ago, mercedem habet*. Et ratio est quia nemo peccat nisi libere agit, ergo nec mereri potest, qui libere non operatur; unde velut axioma receptissimum est apud omnes, libertatem esse principium meriti & demeriti, laudis & vituperii.

Denique si meritum consideretur ex parte Dei, requiritur promissio de dando præmio: nam Jacob. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se*. Ad Hebr. 6. *ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabunt promissiones*. Et cap. 10. *ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem*. Unde Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 16. *Bene operantibus usque in finem & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filii Dei per Jesum Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda*. Et ratio est, quia requiritur ad meritum de condigno, ut præmium sit illi debitum: atqui nullum præmium homini debet Deus nisi ex bona sua voluntate, & pacto seu promissione homini facta: igitur ad meritum de condigno requiritur ex parte Dei promissio de retribuendo præmio.

IN-

INDEX QUÆSTIONUM ET CONCLUSIONUM

TRACTATUS DE GRATIA DEI.



con-

TRA-

TRACTATUS

DE JUSTIFICATIONE ET MERITO.

FINIS.

INDEX
RERUM ET MATERIARUM LOCUPLETISSIMUS
ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS.

Non-

D

E

Fau-

Oppo-

H

I

L

M

N

O

SS. Pa-

P

Et

T

V

